SCHOLÆ CONTROVERSISTICÆ,

TOMUS II.

CONTINENS

LIBRUM QUARTUM.
LIBRUM QUINTUM.
LIBRUM SEXTUM.
LIBRUM SEPTIMUM.

AUTHORE

F. BERNARDO SANNIG,
FRANCISCANO PROVINCIÆ REFORMATÆ BOHEMIÆ, &c.

NEO-PRAGÆ,
Typis JOANNIS NICOLAI HAMPELII. 1688.

Digitized by Google

Digitized by Google


SCHOLA
CONTROVERS:
AVTHORE
F.BERNARDO
SANNIG.

Digitized by Google

FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS MINISTRI GENERALIS.

FRater PETRUS MARINUS SORMANUS *à Mediolano, Lector Jubilatus, Ex Guardianus Jeroſolymitanus, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultor, ac totius Ordinis Minorum S. P. N. FRANCISCI Miniſter Generalis, & Servus. Dilecto nobis plurimùm in Chriſto Patri Fratri* BERNARDO SANNIG *noſtræ Reformatæ Provinciæ Bohemiæ Lectori Jubilato, iterato Miniſtro Provinciali, ac Patri Ordinis ſalutem in Domino.*

Cùm juxta Apoſtolicas, noſtríque Ordinis Conſtitutiones reviſum, & approbatum fuerit quoddam Opus à te compoſitum, cujus titulus eſt, SCHOLA CONTROVERSISTICA, Tenore præſentium ad ſalutaris Obedientiæ meritum facultatem tibi impertimur, quatenus ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſis, & valeas. Vale. Datis Romæ die 29. Martij 1687.

Fr. PETRUS MARINUS
Miniſter Generalis.

Reg. tit. Prov.

(L.S.)

De Mandato ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis

Fr. FRANCISCUS à BASSANO
Secretarius Generalis.

FACUL-

FACULTAS
Adm. R. P. Miniſtri Provincialis.

Frater Amandus Hermann, *Ord. Min. S. P. FRANCISCI Reform. Prædicator, Lector Jubilatus, nec non almæ Provinciæ Bohemiæ S. Wenceslai Ducis & Martyris Miniſter Provincialis & humilis Servus. Adm. R. P.* Bernardo Sannig *Prædicatori, Lectori Jubilato, Religionis Scriptori, Ex-Commiſſario Generali Ciſmontano, nec non totius Ordinis, & Provinciæ Bohemiæ iterato Patri ſalutem & omne bonum.*

Cùm Veſtra Paternitas Adm. R. à Reverendiſſimo Patre Petro Marino Sormano totius Ordinis Seraphici Miniſtro Generali Superiore noſtro longè digniſſimo, jam ante hac facultatem obtinuerit imprimendi Opus Controverſiſticum; quod nunc in duos Tomos, ne volumen in nimiam excreſceret magnitudinem, dividendum erat, cujus quidem prior pars jam opere completa, & perfecta; poſterior verò adhuc typis reſtat evulganda; atque ideo ad ultimum ejus complementum Miniſterialem meam deſuper poſtulet facultatem, & licentiam; quam etiam harum virtute tantò impertior libentiùs, quantò fructuoſiùs, & utiliùs Opus hoc judico eſſe futurum. Servatis igitur alioquin ſervandis, cum ſalutaris obedientiæ merito, in DEI Nomine illud imprmi faciat. Dabam in Conventu noſtro Znoymenſi ad B. V. in Cœlos Aſſumptam die 14. Octobris Anno 1687.

(L. S.)

Fr. Amandus Hermann
Miniſter Provincialis.

INDEX

APPROBATIO ORDINARII.

HIſce facultatem, impertior ut Schola Controverſiſtica à P. Bernardo Sannig, Ord. Min. S. Franciſci Reform. compoſita, & à Theologis debitè reviſa.

Pragæ 10. Maij 1687.

Imprimatur.
Wenceslaus Bilek à Bilenberg
Officialis.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Super Impreſſione Librorum Auctorum Ord. S. Franciſci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ.

PRivilegiò Cæſareæ Majeſtatis cautùm eſt; nè quis per univerſum Imperium Libros à Patribus Ordinis S. Franciſci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ editos, aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intrà Sacri Imperij, Regnorúmque ac Dominiorum hæreditariorum Domûs Auſtriacæ fines adducat, vendat, diſtrahat, abſque conſenſu, & facultate eorundem Patrum ſub pœna confiſcationis Librorum, & mulcta viginti marcarum auri puri. Ita ſancitum & Decretum eſt in Civitate Ratisbonenſi, pridie nonas Decembris. Anno 1636. Signatum.

FERDINANDUS

Infrà
Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.
Joannes Walderode.

à latere. P. H. A. Stralendorff.

INhærendo Decreto Cæſareo FERDINANDI III. Auguſti edito ſuper Impreſſione Librorum, ab Authoribus Regularis, & Strictioris Obſervantiæ edendorum, conſenſum, & facultatem do Domino Joanni Nicolao Hampelio Civi, & Typographo Neo-Pragenſi, faciendi primam editionem Scholæ meæ Controverſiſticæ. Datum Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives die 10. Maij Anno 1687.

Fr. BERNARDUS SANNIG.

INDEX
CAPITUM ET ARTICULORUM TOMI II. CONTROVERSIARUM.

LIBER IV.

Continens Controverſias de Baptiſmo ; de Confirmatione ; ac aliis Eccleſiæ DEI & Chriſti Sacramentis.

CAPUT I.
De Baptiſmo.

ARticulus I. De varietate, & neceſſitate Baptiſmi. pag. 1
Art. II. De capacitate parvulorum quorumcunque ad Baptiſmi receptionem. 3
Art. III. De materia vera Baptiſmi. 4
Art. IV. De forma debita Baptiſmi 5
Art. V. De Miniſtro Baptiſmi. ibid.
Art. VI. De fide parvulorum tempore Baptiſmi. 6
Art. VII. De Baptiſmo Joannis. 7

CAPUT II.
De Sacramento Confirmationis.

Art. I. An detur verum Sacramentum Confirmationis. 9

CAPUT III.
De Sacramento Euchariſtiæ.

Art. I. De reali præſentia Corporis, & Sangvinis Chriſti in Euchariſtia. 10
Art. II. An Chriſtus in Euchariſtia ſit realiter præſens per ubiquitatem ? 13
Art. III. An Chriſtus ſit præſens in Euchariſtia per impanationem, vel tranſubſtantiationem ? 14
Art. IV. An Chriſtus in Euchariſtia ſit adorandus cultu Latriæ ? 15
Art. V. De materia legitima Euchariſtiæ. 16
Art. VI. De forma legitima Euchariſtiæ, & præparatione ad ejus uſum. 17
Art. VII. De Communione ſub utraque ſpecie. 19
Art. VIII. De duplici præſentia Chriſti in Euchariſtia, & Miniſtro ejuſdem Sacramenti. 21
Art. IX. An Miſſa ſit verum Sacrificium ? 22
Art. X. An Sacrificium Miſſæ ſit propitiatorium ? 25
Art. IX. De Miſſis privatis. 26

CA-

CAPUT IV.
De Pœnitentia.

Art. I. An detur Sacramentum Pœnitentiæ? pag. 27
Art. II. De Confeſſione requiſita ad Sacramentum Pœnitentiæ. 28
Art. III. De ſatisfactione pro pœnis peccatorum remiſſorum. 30

CAPUT V.
De Sacramento Extremæ Unctionis. 31

CAPUT VI.
De Sacramento Ordinis.

Art. I. De Ordine, ut eſt Sacramentum Legis Evangelicæ. 32
Art. II. De Ordine, ut importat varios gradus Eccleſiaſticos. 33

CAPUT VII.
De Sacramento Matrimonij.

Art. I. An Matrimonia ſint licita? 33
Art. II. An Matrimonium ſit verum Sacramentum? 34
Art. III. An Polygamia plurium ſimul conjugum ſit licita Chriſtiano? 35
Art. IV. An Matrimonium conſumatum ſit aliqua ratione diſſolubile? 36
Art. V. An licitus ſit promiſcuus concubitus? 37

LIBER V.

Continens Controverſias de effigiatione & cultu SS. Imaginum; de cultu SS. Reliquiarum; & Crucis Chriſti; de cultu & invocatione SS. de Canonizatione; Beatitudine; Feſtis; Templis; Jejuniis; aliiſque bonis operibus, & Peregrinationibus.

CAPUT I.
De Effigiatione & cultu SS. Imaginum.

Art. I. An liceat effigiare Imagines SS. DEI, ac SS. Trinitatis? 38
Art. II. An Imagines Chriſti, & SS. in templis licitè collocari poſſint? 40
Art. III. De cultu SS. Imaginum. 41

CAPUT II.
De cultu SS. Reliquiarum.

Art. I. An SS. Reliquiæ ſint colendæ? 43
Art. II. Quo cultu Reliquiæ ſunt colendæ? 44

CAPUT III.

De cultu; & Invocatione Sanctorum.

Art. I. An Sancti licitè colantur? pag. 45
Art. II. An Sancti licitè, & utiliter invocari poſſint? 46

CAPUT IV.

De cultu Crucis originalis Chriſti; ac Typicarum ejuſdem. 48

CAPUT V.

De Canonizatione Sanctorum. 50

CAPUT VI.

De Beatitudine Sanctorum.

Art. I. An ſit poſſibilis Beatitudo Sanctorum in viſione ſupernaturali conſiſtens? 51
Art. II. An Sancti beatificentur, & videant DEUM ſupernaturaliter intuitivè ante diem judicij. 53

CAPUT VII.

Varia reſolutiones Catholicæ circa Sanctos. 54

CAPUT VIII.

De Feſtis Domini Sabbaoth, B.V. & Sanctorum colendis. 56

CAPUT IX.

De Templis. 57

CAPUT X.

De Jejuniis.

Art. I. An ſit licitum, & meritorium jejunare? 58
Art. II. An jejunia ab Eccleſia conſtituta ſint ſervanda ſub peccato. 59

CAPUT XI.

De Peregrinationibus, & Publicis Orationibus. 60

CAPUT XII.

De bonis Operibus.

Art. I. An opera juſtorum omnia ſint vitioſa? 61
Art. II. An aliqua opera bona ſint juſtis ad ſalutem neceſſaria? 62
Art. III. An opera bona ſint meritoria vitæ æternæ? 63
Art. IV. Variæ reſolutiones Catholicæ circa bona opera. 65

LIBER VI.

Continens Controverſias de Indulgentiis, Suffragiis, Fato, Antichriſto; Prædeſtinatione; Libero arbitrio; Poſſibilitate obſervationis mandatorum

DEI;

DEI; Peccato; Bello; Simonia; Uſura; Fornicatione; Tyrannis; Malefactoribus; Poteſtate Politica; Martyrio; & Excommunicatione.

CAPUT I.
De Indulgentiis. 67

CAPUT II.
De Suffragiis pro defunctis. 69

CAPUT III.
De Fato. 70

CAPUT IV.
De Antichriſto.

Art. I. Antichriſtus necdum venit. 71
Art. II. Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus. 72

CAPUT V.
De Prædeſtinatione, & Reprobatione.

Art. I. An ſit in DEO Prædeſtinatio hominum ad gloriam; & quidem infallibilis? 74
Art. II. An detur aliqua cauſa meritoria Prædeſtinationis ex parte Prædeſtinatorum? 76
Art. III. De Reprobatione. 77

CAPUT VI.
De Libero Arbitrio. 79

CAPUT VII.
De Poſſibilitate obſervationis Mandatorum DEI. 81

CAPUT VIII.
De Peccatis.

Art. I. An omnis homo contrahat Peccatum originale? 82
Art. II. De Pœna decedentium in Peccato originali. 84
Art. III. An præter incredulitatem dentur etiam alia peccata perſonalia mortalia, & tollentia juſtitiam hominis. 85
Art. IV. An omnia peccata ſint paria, & mortifera? 86
Art. V. Variæ reſolutiones Catholicæ circa peccata. 87

CAPUT IX.
De Bello.

Art. I. An bellum ex genere ſuo ſit illicitum? 88
Art. II. An ſpecialiter Chriſtianis ſint licita bella? 89

CAPUT X.
De Simonia. 91

CAPUT XI.

De Uſura; & Fornicatione. ibid.

CAPUT XII.

De Tyrannis. 92

CAPUT XIII.

De Malefactoribus. 93

CAPUT XIV.

De Poteſtate Politica. 94

Art. Unicus. An Politica poteſtas, & ratio Dominii, ſeu Principatûs perſiſtat cum peccato mortali? 95

CAPUT XV.

De Martyrio. 96

CAPUT XVI.

De Excommunicatione. 97

LIBER VII.

Continens Controverſias de Juramentis; Purgatorio; Limbo PP. Inferno; Reſurrectione generali; Judicio Univerſali; Funeribus, & Sepulturis; Proto-Parentibus, Anima rationali; Angelis; Apoſtolis; Prophetis; Virginitate; Reſtitutione, & Votis.

CAPUT I.

De Juramentis; & Perjuriis.

Art. I. An licita ſint Juramenta? 99

Art. II. An licita ſint aliquando Perjuria. 100

CAPUT II.

De Purgatorio.

Art. I. An revera extet Purgatorium? 101

Art. II. An Animæ Purgatorii poſſint aliquid mereri, vel demereri? 103

Art. III. Utrum Animæ Purgatorii ſint ſecuræ de ſua ſalute. ibid.

CAPUT III.

De Limbo Patrum.

CA-

CAPUT IV.

De Inferno.

Art. I. An extet Infernus, qui ſit locus realis? 105
Art. II. Quales ſint Inferni pœnæ? ibid.
Art. III. An pœnæ damnatorum in Inferno ſint futuræ perpetuæ? 106
Art. IV. An animæ damnatorum ſtatim pœnas Inferni ſubeant? 107

CAPUT V.

De Reſurrectione Generali.

Art. I. An revera ſit futura generalis omnium Reſurrectio? 108
Art. II. Inqualinam Carne reſurgent homines? 109
Art. III. In quo ſexu ſit futura hominum Reſurrectio generalis? 110
Art. IV. An corpora poſt generalem Reſurrectionem ſint remanſura mortalia? ibid.

CAPUT VI.

De Univerſali Judicio hominum, 111

CAPUT VII.

De Funeribus, & Sepulturis.

Art. I. An uſus funerum, & ſepulturarum Chriſtianorum ſit pius, & probandus? 112
Art. II. An ipſi ritus Catholici, quibus funera & ſepulturæ Catholicorum Defunctorum perficiuntur, ſint laudabiles, & licitè practicandi? ibidem.

CAPUT VIII.

De Adam, & Eva Proto-Parentibus.

Art. I. An Adam & Eva fuerint revera Proto-Parentes totius generis humani? 114
Art. II. De qua materia Proto-Parentes fuerint creati? 115
Art. III. An Proto-Parentes fuerint ſalvati? ibid.
Art. IV. An perſeverante ſtatu Innocentiæ, Proto-Parentes carnaliter propagâſſent genus humanum? 116
Art. V. An Proto-Parentes ſtante ſtatu Innocentiæ fuiſſent mortui? 117

CAPUT IX.

De Anima Rationali.

Art. I. De quidditate animæ rationalis? 118
Art. II. A quo Principio creetur anima rationalis? 119
Art. III. An ex aliquo Principio præjacenti creetur anima rationalis? ibid.
Art. IV. An anima rationalis fuerit creata longè ante infuſionem in corpus? 120
Art. V. An anima rationalis peccatrix aliquando convertatur in Dæmonem? 121
Art. VI. An detur animarum rationalium transmigratio? 121
Art. VII. An anima rationalis ſit immortalis, & incorruptibilis? 122

CA-

CAPUT X.

De Angelis.

Art. I. An dentur Angeli? pag. 124
Art. II. A quo Angeli ſint creati, & quo tempore? 125
Art. III. An Angeli ſint incorruptibiles? 126
Art. IV. An inter Angelos ſit aliqua Hierarchia & Ordo? 127
Art. V. An ſinguli homines habeant Angelum ſuum Cuſtodem? 127
Art. VI. An SS. Angeli Cuſtodes ſint venerandi & invocandi? 128
Art. VII. An Angeli aliqui habuerint congenitam beatitudinem ſupernaturalem? 129

CAPUT XI.

De Apoſtolis.

CAPUT XII.

De Prophetis.

CAPUT XIII.

De Virginitate.

CAPUT XIV.

De Reſtitutione.

CAPUT XV.

De Votis.

LIBER

LIBER IV.

Continens Controverſias de Baptiſmo ; de Confirmatione ; ac alijs Eccleſiæ DEI & Chriſti Sacramentis.

CAPUT I.

DE BAPTISMO.

ARTICULUS I.

De varietate, & neceſſitate Baptiſmi.

NOta Primò : Triplex â Theologis, & Jure Canonico: *de conſecr. diſt. 4. cap. Baptiſmi vicem*, diſtinguitur Baptiſmus, videlicet Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. *Baptiſmus Fluminis* â Scoto *4. diſt. 3. q. 1.* ſic rectè definitur, quòd *ſit Sacramentum ablutionis animæ â peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis ſimul ab eodem abluente cum intentione debita prolatis.* De hoc Baptiſmo procedit illa Scriptura ad Epheſ. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma. Baptiſmus Flaminis* ſic benè deſcribitur, *eſt deſiderium, & votum formale, vel virtuale ſuſcipiendi in re Sacramentum Baptiſmi.* Tali Baptiſmo ſalvaretur ille homo, qui in caſu abſentiæ aquæ, aut miniſtri cuperet nihilominus expreſsè Baptiſmum: Item qui in caſu ignorantiæ invincibilis de neceſſitate Baptiſmi, adhuc haberet actum Contritionis, in quo includitur quicunque alius actus placens DEO; uti eſt ſuſceptio Baptiſmi. *Baptiſmus Sanguinis* rectè sic explicatur, quòd *ſit Martyrium propter DEUM acceptatum ab aliquo non baptizato.*

Dico primò: â quo lex Evangelica cœpit obligare, Sacramentum Baptiſmi eſt remedium omnino neceſſarium ad ſalutem, omnibus prorſus hominibus vivis, tum adultis, tum parvulis; etiam natis ex parentibus fidelibus. Ita Catholici; contra Pelagianos, Armenios, Wiclephum, Calviniſtas, Zwinglianos, & Anabaptiſtas.

Probatur *primò*: S. Scriptura exptimit præfatam generalem neceſſitatem Baptiſmi, tanquam remedij ad ſalutem omnium prorſus neceſſarij; unde dicitur Joann. 3. *amen amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI*; Et ibidem, *verſ. 7. oportet vos naſci denuò* Et propterea etiam D. Petrus Act. 2. monet, debere baptizari illos, qui ſalutem, & peccatorum remiſſionem obtinere cupiunt. Et ideo pariter Act. 9. ait Ananias Paulo, *exurge & baptizare, & ablue peccata tua.* Et ad Epheſ. 5. Ex eadem ratione S. Paulus ſanctificationem, & generationem ad vitam ſeu ſa-

CAPUT X.

De Angelis.

Art. I. An dentur Angeli? pag. 124
Art. II. A quo Angeli ſint creati, & quo tempore? 125
Art. III. An Angeli ſint incorruptibiles? 126
Art. IV. An inter Angelos ſit aliqua Hierarchia & Ordo? 127
Art. V. An ſinguli homines habeant Angelum ſuum Cuſtodem? 127
Art. VI. An SS. Angeli Cuſtodes ſint venerandi & invocandi? 128
Art. VII. An Angeli aliqui habuerint congenitam beatitudinem ſupernaturalem? 129

CAPUT XI.

De Apoſtolis.

CAPUT XII.

De Prophetis.

CAPUT XIII.

De Virginitate.

CAPUT XIV.

De Reſtitutione.

CAPUT XV.

De Votis.

LIBER

Digitized by Google

LIBER IV.

Continens Controverſias de Baptiſmo; de Confirmatione; ac alijs Eccleſiæ DEI & Chriſti Sacramentis.

CAPUT I.

DE BAPTISMO.

ARTICULUS I.

De varietate, & neceſſitate Baptiſmi.

NOta Primò: Triplex â Theologis, & Jure Canonico: *de conſecr. diſt. 4. cap. Baptiſmi vicem*, diſtinguitur Baptiſmus, videlicet Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. *Baptiſmus Fluminis* â Scoto *4. diſt. 3. q. 1.* ſic rectè definitur, quòd *ſit Sacramentum ablutionis animæ â peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis ſimul ab eodem abluente cum intentione debita prolatis.* De hoc Baptiſmo procedit illa Scriptura ad Epheſ. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma.* *Baptiſmus Flaminis* ſic benè deſcribitur, *eſt deſiderium, & votum formale, vel virtuale ſuſcipiendi in re Sacramentum Baptiſmi.* Tali Baptiſmo ſalvaretur ille homo, qui in caſu abſentiæ aquæ, aut miniſtri cuperet nihilominus expreſsè Baptiſmum: Item qui in caſu ignorantiæ invincibilis de neceſſitate Baptiſmi, adhuc haberet actum Contritionis, in quo includitur quicunque alius actus placens DEO; uti eſt ſuſceptio Baptiſmi. *Baptiſmus Sanguinis* rectè sic explicatur, quòd *ſit Martyrium propter DEUM acceptatum ab aliquo non baptizato.*

Dico primò: â quo lex Evangelica cæpit obligare, Sacramentum Baptiſmi eſt remedium omnino neceſſarium ad ſalutem, omnibus prorſus hominibus vivis, tum adultis, tum parvulis; etiam natis ex parentibus fidelibus. Ita Catholici; contra Pelagianos, Armenios, Wiclephum, Calviniſtas, Zwinglianos, & Anabaptiſtas.

Probatur *primò*: S. Scriptura exprimit præfatam generalem neceſſitatem Baptiſmi, tanquam remedij ad ſalutem omnium prorſus neceſſarij; unde dicitur Joann. 3. *amen amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI*; Et ibidem, *verſ. 7. oportet vos naſci denuò* Et propterea etiam D. Petrus Act. 2. monet, debere baptizari illos, qui ſalutem, & peccatorum remiſſionem obtinere cupiunt. Et ideo pariter Act. 9. ait Ananias Paulo, *exurge & baptizare, & ablue peccata tua.* Et ad Epheſ. 5. Ex eadem ratione S. Paulus ſanctificationem, & generationem ad vitam ſeu ſa-

lutem attribuit Baptiſmo, inquiens, *ut illam ſanctificaret, mundans lavacrô aquæ in verbo vitæ.* Et ad Tit. 3. *ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis*: Ergo &c.

Probatur *ſecundò*: Eandem illimitatam, & generalem neceſſitatem Baptiſmi reſpectu omnium prorſus hominum tam adultorum, quàm parvulorum, etiam natorum ex parentibus fidelibus, dogmatizârunt SS. Concilia, etiam priſca; ſignanter Carthaginenſe tempore Innocentii I. contra Pelagianos celebratum; utì conſtat *ex Epiſt. 90.* D. Auguſtini. Et Milevitanum tempore Ejuſdem Papæ habitum; utì liquet *ex Epiſt. 90.* ejuſdem S. Doctoris. Item Florentinum *in Decreto Eug.* Et Tridentium *ſeſſ. 6. cap.* 4. Ergo.

Probatur *tertiò*: Similiter SS. Patres uno ore docent eandem indefinitam Baptiſmi neceſſitatem; ſignanter Irenæus *lib. 3. cap.* 19. Et Athanaſius *quæſt. 134.* Et Auguſtinus *lib. 1. de peccat. remiſs. cap. 18.* ubi ait, *quis enim Chriſtianorum ferat, cùm dicitur ad æternam ſalutem poſſe quemquam pervenire, ſi non renaſcatur in Chriſto; quod per Baptiſmum fieri voluit, eo jam tempore, quo tale Sacramentum conſtituendum fuit regenerandis in ſpem ſalutis æternæ?* Et *lib. 3. cap.* 4. dicit, *nonne veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolùm in regnum DEI non baptizatos parvulos intrare non poſſe; ſed nec vitam æternam poſſe habere propter Chriſti corpus, cui ut incorporentur Sacramento Baptiſmatis imbuantur.* Et paſſim alibi eandem affert doctrinam. Idem quoque docent S. Clemens, Juſtinus Mart. Dionyſius, Clemens Alexand. Cyprianus, Epiphanius, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, &c. Ergo &c.

Probatur *quartò*: Omnes prorſus homines (DEI Genitrice Mariâ exceptâ) naſcimur in peccato originali; utì conſtat ex illo 1. ad Corinth. 15. *in Adam omnes morimur*, ſcilicet morte ſpirituali peccati originalis contracti: Et illo ad Epheſ. 2. *eramus* (nos omnes) *naturâ filij iræ, ſicut & cæteri.* Ergo omnes prorſus homines, etiam parvuli fidelium, de neceſſitate egent remediô ſalutis, juſtificante eoſdem ab originali: nullum autem congruentius aſſignari poteſt, quàm Baptiſmus: Ergo &c.

Nota ſecundò: Dixi in concluſione, *omnibus prorſus hominibus vivis*, ad excludendum errorem Cataphrygum, & Marcioniſtarum, docentium etiam mortuis eſſe neceſſarium baptiſmum, & iiſdem prodeſſe, ſaltem ſi vivi pro eis baptizentur. Primum autem faſum eſſe inde conſtat; ſi quidem poſt mortem, non eſt amplius tempus benè, vel malè operandi; unde dicitur Eccleſ. 19. *quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas*: Et conſequenter illo etiam tempore nulla eſt neceſſitas, vel utilitas Baptiſmi ſuſcipiendi. Secundum patet etiam falſum ex Concilio Carthaginenſi III. Quod hunc morem Cataphrygum baptizandi mortuos reprobavit *cap.* 6. Uti & S. Ambroſius, ac alii priſci Patres; quod non fuiſſet factum, ſi Baptiſmus vivi pro mortuo applicatus prodeſſet mortuo.

Objiciunt Pelagiani *primò*: Baptiſmus non eſt neceſſarius parvulis natis ex parentibus fidelibus: nam 1. ad Corinth. 7. dicitur, *ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii veſtri immundi eſſent; nunc autem ſancti ſunt*: Ergo &c. *Secundò*: Parentes fideles nequeunt transmittere ad ſuos poſteriores id, quod non habent tempore generationis ſuorum poſterorum ſeu filiorum: ſed non habent tunc ampliùs originale: Ergo illud non transmittunt ad poſteros; & conſequenter hos non afficit neceſſitas Baptiſmi recipiendi.

Reſpondeo *ad Primum* Negando Antecedens; & ad dictum Apoſtoli dico, eum tantùm velle, quòd matrimonium viri fidelis cum mulieri infideli ſit legitimum; & conſequenter filii ex eo prodeuntes evadant legitimi; de quo erat dubium tempore D. Pauli. Cum quo ſtat, quod ejuſmodi filii egeant Baptiſmô, eos ſanctificante, & purgante ab originali. *Ad Secundum* Neg. maj: nam cùm omnes parentes fideles peccaverint in Adam; ideo propagando corpulentam ſubſtantiam in poſteros, cenſentur tempore generationis ſuorum poſterorum in eoſdem transmittere idem peccatum; quamvis illud in ſua anima tunc ampliùs non habeant.

Objiciunt Calviniſtæ *primò*: Ex Scriptura conſtat, omnes filios natos ex utero fideli eſſe filios Abrahæ, & conſequenter filios DEI, & regenitos in Chriſto; ac proinde ordinatos ad hæreditatem æternam, citrà Baptiſmi receptionem, qui ipſis tantùm datur, ut ſigillum, quô indicatur, & confirmatur regenatio ipſorum, & ordinatio ad hæreditatem æternam: Ergo &c. Probat: Antec. nam propterea dicitur Geneſ. 17. *Ero DEUS tuus, & ſeminis tui poſt te.* *Secundò* Sententia Catholicorum eſt contra DEI benignitatem; nam cùm teneat, Baptiſmum eſſe neceſſarium etiam infantibus; multi verò eorum moriantur ante ejus receptionem abſque propria culpa, per negligentiam ſcilicet aliorum; hi omnes dici deberent privari ſalute æternâ; quod adverſatur DEI benignitati; in oppoſita autem

ſententia ſalvarentur, eô ipsô quòd naſcantur à parentibus fidelibus: Ergo &c. *Tertiò*: incredibile videtur, quòd homo aliquis fidelis ritè jam inſtructus circa fidem, ſed repentinâ morte ante ſuſceptionem præventus damnetur defectu Baptiſmi, necdum ſuſcepti: cùm clara ſit DEI promiſſio, quicunque in filium crediderit, non viſurum ſe mortem: Ergo &c.

Reſpondeo *ad primum*: Neg. Antec. & ad ejus probat: dico, ibi ſermonem non eſſe de ſemine Abrahæ, quod ſecundùm propagationem naturalem & carnalem deſcendit ab Abraham; cùm etiam pluribus hominibus natis à Gentilibus, ſed converſis ad fidem, DEUS fuerit eorum DEUS, conſtituendo eoſdem filios æternæ ſalutis; unde dicitur ad Gall. 3. *in quo omnes gentes benedicentur*: ſed eſt ſermo de ſemine, ſeu filiis Abrahæ, qui fidem veram Chriſti ſuſcipiunt, per quam renaſcantur, applicatô ſcilicet Baptiſmô ejuſdem; prout conſtat ex illo Joan. 1. *dedit eis poteſtatem filios DEI fieri, his qui credunt in nomine ejus, neque ex voluntate carnis, &c. Sed ex DEO nati ſunt.* De qua nativitate proſequitur Chriſtus poſtea *cap. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto* &c. id eſt, per Baptiſmum receptum. *Ad ſecundum* Neg. Antec. nam cùm infantes ejuſmodi peccaverint quoque in Adam; hinc eorum perditio orta ex defectu applicati Baptiſmi non officit DEI benignitati; cùm pereant ſecundùm Divinæ juſtitiæ regulas poſitas pro omnibus, originali infectis; uti diſcurrit D. Aug. *lib. de bon. perſever. c. 12. Ad tertium* dico; talem infidelem poſſe ſalvari per Baptiſma Flaminis, ſi verè fuerit contritus, tenens jam fidem veram, & deſiderium ac votum ſuſcipiendi Baptiſma: vel per Baptiſma Sanguinis. Unde

Dico ſecundò: in Defectu Baptiſmi Fluminis, ſufficit baptiſmus Flaminis, vel Sanguinis. Ita Catholici; contra Kemnitium, & Magdeburgenſes.

Probat: prima pars *Primò*: Ex Sacra Scriptura conſtat, aliquem poſſe ſalvari per verum Martyrium, quod in infideli necdum baptizato, præparato tamen vocatur Baptiſmus Sanguinis; unde dicitur Matth. 10. *qui confitebitur me coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Marc. 8. *qui perdiderit animam ſuam propter me, & Evangelium, ſalvam faciet eam.* Idem docent SS. Patres; ut Auguſt. *lib. 13. de Civit. DEI cap. 7.* Et Cyprianus *in Exhort. ad Martyres*: ubi dicit, *Martyrium eſſe Baptiſma, in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius, quod nos de mundo recedentes ſtatim DEO copulat.*

Probat: ſecunda pars: Baptiſma Flaminis in defectu Fluminis ſufficere ad ſalutem, oſtendunt omnes illæ Scripturæ, in quibus promittitur juſtificatio, & peccatorum remiſſio hominibus verè pœnitentibus; ùt illa Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet; & cùm averterit ſe impius ab impietate, animam ſuam ſalvabit.* Et hôc Baptiſmô legitur Cornelius Centurio ante ſuſceptum Baptiſmum Fluminis fuiſſe juſtificatus. Act. 10.

ARTICULUS II.

De Capacitate parvulorũ quorumcunque ad Baptiſmi receptionem.

Dico primò: quicunque Infantes, etiam infidelium, ſunt capaces recipiendi Baptiſmum, & utiliter his applicatur. Ita Catholici; contra Pſeudo-Apoſtolos, Catharos, Lollardos, &c.

Probat: *primò*. Ex Sacra Scriptura conſtat, parvulos quoſque eſſe capaces Baptiſmi recipiendi; unde dicitur Matth. 19. *ſinite parvulos ad me venire: talium eſt enim regnum Cælorum.* Et propterea etiam habetur ibidem, *oblati ſunt parvuli, ut manus eis imponeret*; Et Marc, cap. 10, dicitur, quod erat *complexans eos, & imponens manus ſuper eos, benedicebat eos.* Et idem patet ex variis exemplis, quibus S. Scriptura oſtendit, totas domus & conſequenter etiam parvulos actu fuiſſe baptizatos ab Apoſtolis, ùt Act. 16. ubi de Lydia dicitur, *cùm autem baptizata eſſet, & domus ejus, deprecata eſt*, &c. ibidem de Cuſtode carceris habetur, *& baptizatus eſt ipſe, & domus ejus continuò &c*, Et 1. ad Cor. 1. *baptizavi autem & Stephanæ domum* &c. Tandem illa Scriptura Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c. eſt generalis: Ergo etiam pro parvulis ſupponit; ſicque & hi ſunt capaces baptiſmi. *Secundò*: eadem doctrina conſtat ex SS. PP. mandantibus parvulos baptizari; præſertim ex Dionyſio *lib. Eccleſ.* Et Irenæo *lib. 2. cap. 39.* Et Cypriano *lib. 3. epiſt. 8.* Et Hieronymo *Dial. 3. contra Pelagian.* Et Auguſtino *lib. 10. de Geneſ. ad litt. cap. 28.* ubi ait, *conſuetudo Miniſtris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio. Tertiò*: idem dogmatizant priſca Concilia; ùt Affricanum anno 410. celebratum *in epiſt. ad Innocent.* Et Milevitanum tempore S. Auguſtini habitum *can. 2.* Ergo &c,

Objiciunt Anabaptiſtæ *primò*: Baptiſmus à Chriſto eſt ordinatus ut homines conſepeliantur in Chriſto; & qui mortui erant in deli-

Digitized by Google

liſtis, in Chriſto reſurgant, uti dicitur ad Coloſſ. 2. ſed parvuli non ſunt mortui delictis: Ergo &c. *Secundò*: Chriſtus eſt exemplar aliis hominibus quò ad tempus ſuſcipiendi Baptiſmum: Ergo cùm ipſe in ætate adulta fuerit baptizatus, ſignum eſt, infantes non poſſe Baptizari. *Tertiò*: Salvator Matth. *ult.* priùs vult baptizandos debere inſtrui, ibi *euntes docete omnes gentes baptizantes eos*. &c. Sed infantes non ſunt capaces inſtructionis: Ergo nec Baptiſmi. *Quartò*: parvulis non datur Sacramentum Euchariſtiæ: Ergo neque Baptiſmus. *Quintò*: nullus textus Scripturæ convincit capacitatem parvulorum quò adBaptiſmum recipiendum: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Min. infantes enim mortui ſunt in peccato Originali, juxta illud generale dictū Apoſtoli ad Rom. 5. *per unum hominem peccatum intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt*; quare ratione ejus ſepeliuntur in Chriſto, & in eodem reſurgunt poſt applicationem Baptiſmi. *Ad Secundum*, Neg. Ant. ſed potiùs ſuſcipiendo Circumciſionem (cui ſucceſſit Baptiſmus) fuit exemplar Baptiſmi recipiendi; hanc autem recepit Chriſtus in infantia. *Ad Tertium*, dico; Salvatorem ibi non loqui generaliter de Baptiſmo omnium prorſus hominum; ſed eorum, qui rationis compotes ſunt; nam hi priùs inſtruendi ſunt circa fidem, quàm bapizentur. Deinde ille Ordo Chriſti, ut ſcilicet quivis priùs inſtruatur, & deinde baptizetur, non eſt inviolabiliter ſervandus; alioquin ſequeretur, quòd illa duo ſcilicet prævia inſtructio, & Baptiſmi collatio indiſpenſabiliter deberent eſſe connexa, ac proinde ſequeretur, quòd nemo poſſit inſtrui, niſi ſtatim ſimul baptizaretur; & nemo inſtrui de ſervandis mandatis, niſi quoque Baptiſmum acceptet; quæ tamen negant Anapatiſtæ. *Ad Quartum*, Neg. Conſeq. quia Euchariſtia non eſt Sacramentum neceſſitatis ſimpliciter, & remedii neceſſarii ad ſalutem, ſicut eſt Baptiſmus; nam Euchariſtia eſt inſtituta, ut homo jam renatus per eam ſolùm nutriatur; veluti per cibum, qui datur viventibus, ut vitam conſervent; poteſt autem vita ſpiritualis conſervari ſine novo alimento, ſi non committantur peccata; ſed gratia juſtificans retineatur in anima: at Baptiſmus eſt inſtitutus tanquam medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, eò quòd per illud homo renaſcatur, & ſimpliciter accipiat vitam, aliunde non acquiſibilem hic, & nunc. *Ad Quintum*: Neg. Ant. nam textus illi, ſuprà *prob. 1.* allati, ſatis convincunt illam capacitatem: & vel maximè ille. Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* qui cùm afficiat indefinitè omnes homines; omnes, & conſequenter etiam parvulos, ſupponit eſſe capaces Baptiſmi.

ARTICULUS III.

De Materia vera Baptiſmi.

Dico primò: Sola aqua ſimplex naturalis elementaris eſt ſufficiens, & legitima vera materia Baptiſmi. Ita Catholici; contra Manichæos, Celeuſianos, Jacobitas, Lollardos, Flagellantes, & Lutherum, qui in colloquiis ſympoſyacis *cap.* 17. dicit, omne, quod balnei nomine venit, eſſe aptam materiam Baptiſmi; & conſequenter voluit, lac, cereviſiam, vinum, aquam roſaceam, & ſimiles extractas ex compoſitis, valere ad baptizandum.

Probat: *primò*: illa ſola materia eſt vera, ſufficiens, & legitima Baptiſmi, quam Chriſtus inſtituit, & deſignavit; ſed ſolam aquam ſimplicem naturalem elementarem Chriſtus inſtituit, & deſignavit pro materia Baptiſmi; uti conſtat ex illo Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Et ex illo ad Epheſ. 5. *mundans eam lavacro aquæ* &c. propterea Actor. 8. Eunuchus cupiens baptizari, eandem aquam in via occurrentem tanquam aptam materiam pro Baptiſmo à Chriſto deſignatam oſtendit Philippo dicens, *ecce aqua, quid prohibet baptizari?* Et ideò etiam Apoſtolus 1. ad Cor. 10. comparat Baptiſmum cum mari rubro, quod aquæ Baptiſmi figura fuerit dicens, *omnes in Moyſi baptizati ſunt, in nube, & in mari*, & ideo etiam Chriſtus baptizari voluit in Jordane, ut aquas naturales ejus ſanctificaret, tanquam futuram debitam materiam ſui Baptiſmi. Et ideo denique quoties vetus Teſtamentum de hoc Sacramento figurativè loquitur, nomine aquæ illud deſignat; ut Zachar. 13. *in illa die erit fons patens domus David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Et Ezech. 30. *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*: Ergo &c.

Probat. *Secundò*: Concilia Oecumenica concluſionem dogmatizant; unde Florentinum ſub Eugenio IV. celebratum ait, *materia hujus Sacramenti eſt aqua vera, & naturalis.* Et Trident. *Seſſ.* 7. *can.* 2. oppoſitum anathematizat. Similiter SS. PP. concorditer aſſerunt, & inconcuſſus Eccleſiæ veræ uſus obtinuit, Baptiſmum in ſola aqua naturali elementari poſſe adminiſtrari: Et ratio eſt, quia materia hujus Sacramenti debet eſſe obvia ubique, propter ſalutem Baptizandorum: talis autem eſt aqua elementaris: Ergo &c.

Objiciunt

Objiciunt Seleuciani: Matth. 3. ponitur differentia inter Baptiſmum Joannis, & Chriſti, quòd Joannes baptizabat ſolâ aquâ; Chriſtus verò in aqua, & Spiritu S. & ignè: Ergo materia debita Baptiſmi eſt ignis. Reſpondeo; per Spiritum S. & ignem *loc. cit.* intelligi effectum ſingularem Baptiſmi; ut ſenſus ſit, quòd Baptiſmus a Chriſto adminiſtrandus conferat recipientibus uberem gratiam Spiritûs S., eò quod eô abluti juſtificentur ab omni prorſus labe peccati Originalis, & actualis, ſi quod adſit; quod non fiebat per Baptiſmum

Objiciunt Flagellantes: In Scriptura dicitur, *hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem JESUS Chriſtus, non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine*: Ergo non ſola aqua, ſed & ſanguis eſt materia vera Baptiſmi Reſpondeo Neg. Conſeq. nam ſenſus illius Scripturæ eſt, quòd Chriſtus nos ſalvet & inſtituendo Baptiſmum in aqua naturali tanquam remedium deletivum omnis peccati, & effundendo ſanguinem ſuum pro genere humano.

ARTICULUS IV.

De forma debita Baptiſmi.

Dico primò: ut Baptiſmus validus ſit, debet adminiſtrari cum forma exprimente tres S. Trinitatis perſonas. Ita Catholici; contra Gnoſticos, Cataphryges, Pauliniſtas, Eunomianos, Lutherum, Zwinglium, & Calvinum.

Probat. *primò*: Chriſtus Baptiſmi author Matth. *ult. cap.* mandat Apoſtolis, ut conferant Baptiſmum in nomine S. Trinitatis, cum expreſſione trium Perſonarum; ibi, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Secundò*: Similiter Apoſtoli in ſuis Canonibus eandem formam præſcribunt; unde dicitur *can. 49. ſi quis Epiſcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. ſed in tribus ſine initio, principiis; aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, abjiciatur. Tertiò*: eandem formam ordinavit, & ſemper tenuit in uſu Eccleſia tam Latina, quàm Græca; uti patet ex Conc. Nicæno, Arelatenſi. I. Lateranenſi ſub Innocent. III. Florentino. *Quartò*: Similiter SS. PP. præfatam formam tanquam unicè legitimam ad Baptiſmum referunt; ùt Irenæus *lib. 1. cap. 18.* Auguſtinus, Hieronymus &c. Et habetur pariter in Jure Canonico *cap. ſi revera, de conſecrat. diſt. 4.*

Objiciunt Hæretici: Apoſtoli leguntur Act. 8. baptizâſſe ſolùm in Chriſti nomine; non expreſſis aliis duabus Perſonis S. Trinitatis, ibi, *ſed Baptizati tantùm erant in nomine Domini JESU*: Ergo &c. Reſpondeo *primò*, cum S. Ambroſio, quòd etiam nomine *JESU Chriſti* tota deſignetur Trinitas; nam cùm *Chriſtus* Latinè idem ſonet, quod *unctus*, hoc ipſo nomine quadam rerum connexione denotatur, & ipſe qui unctus eſt, ſcilicet filius; & â quo unctus eſt, videlicet Pater; & unctio ipſius, quâ unctus eſt, videlicet Spiritus S. quare videntur S. Trinitatis perſonæ ſufficienter hoc nomine exprimi. Reſpondeo *Secundò*, cum T. T. Recentioribus; Apoſtolos tunc quidem uſos fuiſſe præfatâ formulâ baptizandi in Chriſti Nomine duntaxat; ſed id egiſſe ex Divinâ ſpeciali diſpenſatione, propter nimirum Nominis JESU Chriſti exaltationem, quod Judæis tunc erat ſcandalum, Genibus autem ſtultitia. Qua occaſione ſublata, cùm jam Nomen JESU Chriſti eſſet exaltatum, ampliùs non viget, nec applicari poteſt illa formula.

Dico ſecundò: ſimiliter Baptiſmus fieri debet cum forma exprimente actum Baptizationis, ſeu actionem Miniſtri; item Perſonam Baptizati. Ita Catholici; contra citatos priſcos Hæreticos.

Probat. utrumque in concluſione aſſertum requirit Chriſtus pro vera forma Baptiſmi Matth. *ult. cap.* primum quidem, id eſt actionem Miniſtri, ibi *Baptizantes*; alterum verò ibi *eos*: Idem fecit ſemper, & de facto facit utraque Eccleſia Latina & Græca; ac SS. PP. & Concilia citata: Ergo &c.

Nota primò: ſive autem actio Miniſtri exprimatur per verbum Indicativi Modi *baptizo*, uti fit in Eccleſia Latina; ſive per verbum Imperativi Modi *baptizetur ſervus Chriſti in Nomine Patris*, &c. non obeſt ſubſtantiæ formæ Baptiſmi: & Græci utuntur illô verbô Imperativi Modi *baptizetur*, propter Schiſma exortum, quô quilibet baptizans exiſtimaret illum ad ſe pertinere, qui à ſe eſſet Baptiſmate initiatus; unde dicebant ſic Baptizati, *ego ſum Pauli, ego Cephæ*; quos tamen Paulus reprehendit 1. ad Cor. 1. *nunquid Cephas pro vobis mortuus eſt; aut Paulus?* ad tollendum itaque hoc Schiſma, Græca Eccleſia ordinavit, ut baptizans, loco *ego baptizo* diceret, *baptizetur*.

ARTICULUS V.

De Miniſtro Baptiſmi.

Dico primò: quivis homo rationis compos, & potens abluere, ac proferre formam legitimam Baptiſmi, cujuscunque ſtatus, Conditionis, Religionis, &

ſexûs ſit, etiam Laicus, fæmina, Hæreticus, & Paganus, poteſt eſſe extraordinarius Miniſter ejuſdem Sacramenti tempore neceſſitatis extremæ. Ita Catholici; contra Calviniſtas.

Probat. prima pars *de Laico.* ex Scriptura conſtat, non ſolos Presbyteros, (qui ſunt Ordinarii Miniſtri Baptiſmi, juxta illud dictum Chriſti ad Apoſtolos Sacerdotes *Matt. ult. euntes docete omnes Gentes Baptizantes eos, &c.*) ſed etiam Laicos Baptiſmum contuliſſe; unde Act. 9. Ananias Laicus baptizavit Paulum; & Act. 10. juſſit Petrus in Joppen baptizari (utique per alios Laicos, cùm Sacerdotes tunc non adeſſent) familiam Cornelij. Deinde etiam Laicos poſſe baptizare, ſentiunt SS. PP. præſertim Tertullianus *lib. de Baptiſ. cap. 17.* Et Hieronymus *Dial. adverſus Luciferan. cap. 4.* Et Auguſtinus *lib. 2. contra Parm. cap. 13. &c.* Ergo &c.

Probat. ſecunda pars *de fæmina*: Tum quia etiam fæmina comprehenditur ſub Laicis, qui ex dictis poſſunt baptizare in neceſſitate. Tum quia uſus utriuſque Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ perpetuus obtinuit, ut fæmina in caſu neceſſitatis poſſit baptizare: utì conſtat ex Conc. Florentino: Ergo &c.

Probat. tertia pars *de Hæreticis, & Paganis*: nam de Hæreticis id definivit Conc. Nicænum; utì conſtat ex S. Auguſt. *lib. 1. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 7.* de utriſque verò determinavit Concil. Florentinum. Et docuit D. Auguſt. *loc. cit. cap. 13.* Eſtque ratio; quia & hi Laicorum nomine veniunt: ac proinde & hi tempore neceſſitatis validè baptizant, ſi aliàs omnia eſſentialia requiſita adhibeant.

Objicit Calvinus contra ſecundam partem *primò*: Concilium Carthaginenſe *cap. 100.* ſancivit, ne mulieres baptizent: Ergo &c. *Secundò*; Chriſtus conſtituit ſolos Apoſtolos Præcones Evangelij, & Miniſtros Baptiſmi; utì conſtat ex illis verbis Matth. dictis ad eoſdem, *euntes docete omnes Gentes, baptizantes* &c. Ergo mulieres nequeunt eſſe Miniſtræ Baptiſmi. *Tertiò*: Tertullianus, & Epiphanius ſentiunt, ſolos viros, non autem mulieres, poſſe miniſtrare Baptiſmum: Ergo &c. Reſpondeo ad omnes tres objectiones ſimul; eas tantùm probare, quòd mulieres non poſſint eſſe Miniſtræ ordinariæ adminiſtrationis Baptiſmi; quod verum eſt: cum quo tamen ſtat, quòd poſſint eſſe extraordinariæ, & in caſu manifeſtæ neceſſitatis; ùt ſi deſit vir baptizans; & immineat mors baptizati; vel in ſimili accidente.

ARTICULUS VI.

De fide parvulorum tempore Baptiſmi.

Dico primò: parvuli in receptione Baptiſmi non habent aliquam fidem actualem in Chriſtum vi exorciſmi, & orationibus Eccleſiæ excitatam: Ita Catholici; contra Lutherum.

Probat. *primò*: nuſquam ex S. Litteris conſtat parvulos in Baptiſmo habere aliquam fidem actualem in Chriſtum; nam ubicunque ſermonem facit de fide actuali, ſemper agit de fide adultorum, quæ conſurgit ex auditu, doctrina, ac prædicatione Evangelii; ùt ad Rom. *10. quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Et Marc. *16. euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium, qui crediderit* (ſcilicet audita prædicatione) *& baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit* (videlicet vobis prædicantibus Evangelium) *condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur; in Nomine meo dæmonia ejicient* &c. quæ dicta omnia de adultis procedunt: Ergo &c. *Secundò*: SS. PP. paſſim rejiciunt in parvulis fidem actualem tempore Baptiſmi; ſignanter D. Auguſtinus *lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 20.* Et *lib. 4. de Baptiſ. contra Donat. cap. 24.* Et *epiſt 23. ad Boniſac. Epiſt.* ubi ait, *itaque parvulum, etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtat, jam tamen ipſius fidei Sacramentum* (id eſt Baptiſmus) *fidelem* facit. *Tertiò*: ex nullo S. Scripturæ paſſu, neque ulla authentica traditione, neque ex ullo S. Patre, vel Concilio conſtat, exorciſmum & orationes Eccleſiæ habere eam vim, ut in parvulo tempore Baptiſmi valeat excitare fidem actualem de Chriſto: Ergo &c. Præterea ex ſententia Lutheri ſequerentur hæc duo abſurda; *Primùm*, quòd Exorciſmus, & Orationes Eccleſiæ eſſent media magìs neceſſaria ad ſalutem pavulorum, quàm ipſemet Baptiſmus; quia illa conferunt ipſis fidem juſticantem, quâ ſalus attingitur; non verò Baptiſmus: *Secundum*, quòd parvulus jam exorcizatus moriens ante receptionem actualem Baptiſmi poſſet ſalvari, ſine ipſo Baptiſmo; haberet enim jam tunc fidem juſtificantem ſecundùm Lutherum: Ergo &c.

Objicit Lutherus *primò*: S. Scriptura aſſerit parvulos habere aliquem fidem actualem; nam Matth. 18. dicitur, *qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt.* Et S. Joannes in utero Matris jam habuit fidem in Chriſtum:

Chriſtum: Ergo &c. *Secundò*: parvuli juſtificantur in Baptiſmo: ſed nemo ſine fide actuali poteſt juſtificari; quia dicitur ad Hebr. 11. *ſine fide* impoſſibile eſt placere DEO: Ergo &c.

Reſpondeo *ad primum*, gloſſando Scripturam objectam Matth. 18. & dico, per *puſillos* non intelligi parvulos uſu rationis carentes; ſed grandiores pueros, rationis jam compotes; utì clarum eſt ex contextu Litteræ: tum quia ibi dicitur, quòd Chriſtus unum puſillum ad ſe vocaverit, & ille acceſſerit ad ipſum, *advocans JESUS parvulum ſtatuit eum in medio eorum*: tum quia illi puſilli erant jam capaces recipiendi ſcandali, quòd uſum rationis ſupponit; quare dicitur ibidem, *qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis* &c. *Ad Secundum* Neg. Min. & ad Scripturam Hebr. 11. dico; illam procedere de juſtificatione adultorum, ad quam utique fides actualis requiritur: & hunc eſſe genuinum ſenſum illius Scripturæ, patet ex exemplis plurium adultorum, quorum fidem diſponentem ad placendum DEO adducit, & commendat Apoſtolus *loc. cit.* videlicet fidem Abel, Henoch, Noë, Abraham, Iſaac, &c. Idem ex illo alio textu ſequenti; *credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt; & inquirentibus ſe remunerator ſit*: quod nullatenus parvulis uſu rationis carentibus convenit.

Dico Secundò: Sed neque parvuli, dum baptizantur, habent aliquos alios motus pios, ſeu inclinationes in DEUM. Ita Catholici; contra Melanton, Hutterum, David Chytræum, Kemnitium &c.

Probat. Ex nulla pariter Scriptura habetur, in infantibus tempore Baptiſmi adeſſe aliquos ſimiles motus: nec ullus S. Pater eoſdem agnovit in iiſdem parvulis: imò ſine ullo fundamento reali confinguntur ab Hæreticis, ùt mox patebit ſolvendo eorum fundamenta. Demum Hæretici nunquam explicare valent qualitatem, & naturam talium motuum; ut proinde Kemnitius *in exam. Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 13.* dicat, *licet nec ſatis intelligamus, nec verbis explicare poſſimus, qualis ſit illa Spiritûs S. actio, & operatio in infantibus, qui baptizantur; eſſe tamen, & fieri ex verbo DEI certum eſt*: Ergo gratis finguntur ejuſmodi motus pij in DEUM.

Objiciunt Hæretici *primò*: Joannes Baptiſta in utero Matris exiſtens habuit pios aliquos motus circa Chriſtum præſentem in utero B. V. MARIÆ; & ideo exultavit in utero: Ergo ſimiles etiam admitti debent in parvulis tempore Baptiſmi, quô Chriſtus ſua gratia adeſt; *ſecundò*: parvuli tunc regenerantur: Ergo ad hanc regenerationem requiruntur aliqui pii motus, per modum diſpoſitionum præviarum. *Tertiò*; tunc datur parvulis Spiritûs S. Ergo hic efficit in ipſis aliquos novos motus pios.

Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Conſeq. nam Exemplum S. Joan. Baptiſtæ non facit regulam generalem, ùt annotavit D. Auguſtinus *epiſt. 57. ad Dardan. q. 2.* ſicut nec loquela aſinæ Balaam; nam non ſequitur, aſina Balaam locuta eſt; ergo omnes aſinæ loquentur: Et ſimiliter non ſequitur, Joannes Baptiſta habuit aliquos motus fidei in utero Matris: Ergo omnes infantes tales habent. Præterea ut rurſus obſervavit idem D. Auguſtinus *loc. cit.* S. Joannes legitur tantùm exultâſſe; non verò crediddiſſe; vel motus pios circa Chriſtum exercuiſſe: nam exultatio fieri poteſt, & fit ſæpius, ſinè fide; vel pio motu in DEUM. *Ad ſecundum* Neg. Conſeq. nam quamvis pro adultorum regeneratione fides actualis requiratur; pro parvulis tamen regenerandis illa non requiritur; ſed ſufficit habitualis, quæ infunditur ipſis in Baptiſmo: & fides aliena, id eſt fides Eccleſiæ; de qua S. Auguſtinus *ſerm. 10.* de verbis Apoſtoli ait, *portantur ad Eccleſiam, etſi pedibus illuc currere non poſſint, alienis pedibus currunt, ut ſanentur. Accommodat illis Miniſter Eccleſiæ aliorum pedes, ut veniant; aliorum corda ut credant, aliorum linguam, ut fateantur; ut quoniam quod ægri ſunt alio peccante (ſcilicet Adam) ſic cùm hi ſani ſint, alio pro ipſis confitente, ſalventur. Ad Tertium.* Neg. Conſeq. quia parvuli tempore Baptiſmi necdum ſunt capaces defectu uſûs rationis, ut mediante gratia Spiritûs S. aliquos alios pios motus in Chriſtum exerceant; nec ad miraculum, quô uſus rationis tunc ætatem anteverti dicatur, recurendum eſt; cùm horum motuum nulla ſit ratio, nec neceſſitas; & Spiritus S. non dicatur otiosè eſſe in anima parvuli; cùm ejus animam ſanctificet, & cæleſtis hæreditatis habilem reddat, per juſtitiam inhabitantem, ſeu juſtificantem ejuſdem animæ.

ARTICULUS VII.

De Baptiſmo Joannis.

Dico primò: Baptiſmus Chriſti fuit latè diſtinctus in virtute & aliis à Baptiſmo Joannis; Ita Catholici; contra Zwing. Calvin. Bezam. Kemnit. Centuriat. &c.

Probat. *primò*: ipſa Scriptura inſinuat diſcrimen latum inter Baptiſmum Chriſti, & Joannis; nam Marc. 1. dicit Joannes, *ego Baptizavi*

Bvaptizavi vos aquâ ; ille verò baptizabit vos Spiritu S. ex quibus verbis conſtat, majorem efficaciam eſſe in Chriſti Baptiſmo, videlicet gratiam Spiritûs S. remiſſivam omnis peccati ex opere operato, quam ſit in Baptiſmo Joannis. Deinde eadem diſtinctio conſtat ex Act. 2. ubi cum plurimi corde compuncti dicerent, *quid faciemus viri fratres?* D. Petrus reſpondit, *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in Nomine JESU Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritûs S.* Et ſequitur, *qui ergo receperunt ſermonem, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illo animæ circiter tria millia:* Ex his autem plures erant, qui priùs receperant Baptiſmum Joannis, quod colligitur ex illis Marc. 1. *egrediebatur ad eum* (ſcilicet Joannem) *omnis Judeæ regio, & Jeroſolymitæ univerſi, & baptizabantur ab illo in Jordanis Flumine:* ex quibus omnibus infertur, Baptiſmum Chriſti fuiſſe diſtinctæ, & majoris virtutis, quàm Baptiſmus Joannis; aliàs Baptizati à Joanne gratis Baptiſmum Chriſti ſuſcepiſſent, & Apoſtoli fruſtra eundem ipſis adminiſtrâſſent? Tandem idem diſcrimen colligitur ex illo Act. 19. *cap. dixitque* (ſcilicet Paulus) *ad eos, ſi Spiritum S. accepiſtis credentes? at illi dixerunt ad eum; ſed neque ſi Spiritus S. eſt audivimus. Ille verò ait, in quo ergo baptizati eſtis? qui dixerunt in Joannis Baptiſmate. Dixit autem Paulus, Joannes baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ populum dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in JESUM. His auditis baptizati ſunt in Nomine Domini JESU:* ex quibus habetur, quoſdam à Joanne baptizatos fuiſſe Baptiſmô Chriſti rebaptizatos; quòd factum non fuiſſet, ſi idem, & ejuſdem virtutis fuiſſet Baptiſmus Joannis, & Chriſti.

Probat. *Secundò*: SS. PP. paſſim ponunt diſtinctionem latam inter utrumque Baptiſmum; ſignanter Tertullianus *lib. de Baptiſ. cap. 10.* Et Gregorius Nazianz. *orat. 2. in Sanct. Epiphan. lum.* Et Ambroſius *ſerm 16. de Nativit. Dom.* Et Cyrillus Alexand. *lib. 2. in Joan. cap. 57.* Et Auguſtinus *lib. 2. contra lit. Petil. cap. 37.* Et Baſilius *Orat. 13.* ubi ait, *Joannes pœnitentiæ Baptiſmum prædicavit, Dominus autem adoptionis filiorum Baptiſmum longè excellentiùs annuntiat.* Et rurſus *initiatorium erat Baptiſma Joannis; Chriſti autem perfectorium.* Illud à peccato avocabat, iſtud cum DEO conjungit, & familiarem reddit: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: ad Epheſ. 4. dicitur, *unum corpus, & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, unus Dominus, una fides, unum Baptiſma:* quibus verbis datur intelligi, quòd Baptiſmus Joannis omnino ſit idem Baptiſma cum Baptiſmo Chriſti; aliàs non eſſet unum Baptiſma: Ergo &c. *Secundò*: fuit idem miniſterium Baptiſmi Joannis, & Chriſti, quod ſecundum delegatum fuit à Chriſto Apoſtolis: Ergo idem Baptiſmus. Probat. Calvinus Ant. quia eadem fuit doctrina Joannis, & Apoſtolorum: Ergo &c. *Tertiò*: Baptiſmus Joannis æquè remittebat peccata, ſicut Baptiſmus Chriſti: nam Joannes æquè ante Baptiſmi ſui collationem prædicabat *pœnitentiam in remiſſionem peccatorum*: Ergo ſunt idem.

Reſpondeo *ad Primum*: Apoſtolum verbis illius authoritatis ad Epheſ. 4. non voluiſſe probare unitatem ſeu identitatem Baptiſmi Joannis, & Chriſti; ſed ſolùm fuit adhortatus fideles, qui tunc jam fuerant vocati in Eccleſiam DEI & Chriſti, ut digni ambulent ſua vocatione, *ſolliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis:* ut quemadmodum erant unum corpus, unum habebant Dominum, unam fidem, ac eodem Baptiſmo Chriſti baptizati erant; ita pariter unitatem pacis conſervarent. *Ad Secundum* Neg. Ant. ad ejus Probat. Neg. primò Ant. quia licet Joannes demonſtraverit Agnum DEI Chriſtum, qui tolleret peccata mundi; & etiam indicaverit, quòd is eſſet Propitiator, & juſtitiæ, ac Salutis Author: attamen omnia myſteria Chriſti, ùt Paſſionis, Reſurrectionis, &c. & divinitatis in particulari non docuit: adeoque eandem doctrinam cum Apoſtolis non tradidit. Et dato gratis, quòd doctrina Joannis fuiſſet eadem cum doctrina Apoſtolorum de Chriſto; ex hac tamen malè deducitur unitas, & identitas Baptiſmi Joannis, & Chriſti; quia Prophetæ antiqui, ùt Iſaias, & Moyſes, quô ipſe dicitur populum in mari rubro baptizâſſe 1. ad Cor. 10. non fuit idem cum Baptiſmo Chriſti. *Ad Tertium* Neg. Ant. ad ejus Probationem ab authoritate dico; ex ea non haberi, quòd remiſſio peccatorum à Joanne prædicata, fuerit immediatus effectus Baptiſmi Joannis, ſicut revera eſt effectus Baptiſmi Chriſti; ſed vel fuit effectus pœnitentiæ, quam à Joanne baptizati faciebant, & ideo remiſſionem peccatorum obtinebant; vel quia dabatur ſic baptizatis ſpes remiſſionis peccatorum, poſtea obtinendæ per Baptiſmum Chriſti.

CAPUT II.

De Sacramento Confirmationis.

ARTICULUS I.

An detur verum Sacramentum Confirmationis.

NOta primò: per Confirmationem intelligitur, *Sacramentum, quô homo viator baptizatus chriſmate inungitur in fronte ab Epiſcopo, cum prolatione certæ formæ, ad fidei robur conſequendum.* Vocatur *Confirmatio*; quia hoc Sacramentô roborantur, & confirmantur fideles, ad pugnandum pro fide ſuſcepta.

Dico primò: Confirmatio eſt verum novæ Legis Sacramentum. Ita Catholici; contra Donatiſtas, Novatianos, Arianos, Waldenſes, Lutheranos, Calviniſtas, & nuperam Confeſſionem Anglicanam.

Probatur *primò*: in Confirmatione adſunt omnia, quæ ſecundùm Scripturam requiruntur ad verum Sacramentum novæ Legis: Ergo &c. Probat. Ant. Confirmatio confertur per aliquod ſignum ſenſibile, ſcilicet per manuum impoſitionem; unde dicitur Act. 8. *qui cum veniſſent* (ſcilicet Petrus, & Joannes in Samariam) *oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum S. nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Similiter eadem Confirmatio confert fidelibus ſpecialem gratiam, à gratia Baptiſmi jam recepti diſtinctam, quâ videlicet fortiùs in fide perſiſtunt: & de qua procedit illud Act. 1. dictum ad Apoſtolos jam Baptizatos, ſed necdum confirmatos, *accipietis virtutem ſupervenientis Spiritûs S. in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem*, &c. Ergo &c.

Probat. *Secundò*: niſi Confirmatio eſſet verum Sacramentum novæ Legis, vix SS. Apoſtoli Petrus, & Joannes ſuſcepiſſent tantùm laboris, & itineris, ut Jeroſolymis irent in Samariam, ad Samaritanos, à S. Philippo jam Baptizatos, Spiritum S. hoc ritu impertiendum, Act. 8. nam potuiſſent Jeroſolymis pro ipſis orare: Ergo &c.

Probat. *Tertiò*: S. Concilia priſca Confirmationem agnoverunt pro vero Sacramento; ut Nicænum I. *can.* 31. Et *can.* 55. Et Conc. Laodicenſe an. 360. celebratum. Et Conſtantinopolitanum I. an. 330. habitum, *can.* 7. Et Conc. Elibertinum an. 320. celebratum, *can.* 38. Et Arelatenſe I. *can.* 8. Et Arelatenſe II. *can.* 17. Ergo &c. *Quartò*: Similiter SS. PP. priſci hunc ritum Divinum confeſſi ſunt pro vero Sacramento novæ Legis: ùt videre eſt apud Cyrillum Hieros. *Catech.* 3. Et Chryſoſtomum *in cap.* 8. *Actor.* Et Epiphanium *hær.* 21. Et Gregorium Nazian. *Orat. in S. Baptiſma.* Et Auguſtinum, qui *lib.* 15. *Trin.* & *lib.* 2. *contra lit. Petel*, ait, *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum Sacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Et Bacianum *lib. de Bap.* qui vixit anno 360. *hæc autem compleri aliàs nequeunt, niſi lavacri, & chryſmatis, & Antiſtitis Sacramentô; lavacrô enim peccata purgantur, chryſmate Spiritûs S. ſuperfunditur; utraq; verò iſta manu, & ore Antiſtitis impetramus*: Ergo &c.

Objicit Calvinus: Confirmatio eſt mera ceremonia, & nudum miniſterium, quô Apoſtoli Act. 8. Et alibi fungebantur, ut ipſo geſtu ſignificarent, ſè DEO velle commendare, & velut offerre illum fidelem, cui manus imponebant: vel certè ordinabatur tantùm ad obtinenda dona gratìs data, id eſt curationum, & linguarum, quæ modò ceſsârunt: Ergo non habet rationem veri Sacramenti. Reſpondeo Neg. Ant. quod eſt merum arbitrium hujus Hæreſiarchæ, nullô teſtimoniô S. Scripturæ ab eo probatum; & antiquis Conciliis, & priſcis SS. PP. adverſans; Nam Confirmationem plus eſſe, quàm meram ceremoniam, & nudum quoddam miniſterium, oſtendunt tot Conciliorum, & SS. PP. ſuprà relatorum authoritates; & ejuſdem effectus, qui eſt Spiritûs S. collatio per manuum impoſitionem ſecuta, ad corroborationem in fide: & credibile non eſt, Petrum & Joannem Apoſtolos ad exercendam meram ceremoniam, & nudum miniſterium abjiſſe in Samariam Act. 8. Quod etiam Confirmatio non fuerit ordinata ad ſola dona curationum, & linguarum obtinenda; ſed etiam principaliter gratiæ inviſibilis corroborationis fidei conſecutionem, docet Auguſtinus *lib.* 3. *de Bap. cap.* 16. dicens; *neque*

enim temporalibus, & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manûs impoſitionem modò datur Spiritus S. ſicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda: quis non nunc expectet, ut hi, quibus manus ad accipiendum Spiritum S. imponitur, repente incipiant linguis loqui? ſed inviſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus Divina Charitas inſpirari. Itaque Confirmatio habet duos effectus, ſcilicet ſecundarium, & primarium. *Secundarius* eſt illa ſenſibilis gratia curationum, linguarum &c. qui jam ceſſavit communiter in Eccleſia, jam dilatata per totum mundum. *Primarius* verò eſt gratia inviſibilis Spiritûs S. quæ infunditur in Confirmatione cordi confirmati, ac corroborat eundem ad firmiter in fide perſeverandum; & hunc adhuc confert Confirmatio; & propterea verum Sacramentum eſſe cenſetur.

CAPUT III.

De Sacramento Euchariſtiæ.

ARTICULUS I.

De reali præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

NOta primò: Euchariſtia bene diſcribitur, quod *ſit Sacramentum ex inſtitutione Divina veraciter ſignificans ſub ſpeciebus panis, & vini Corpus, & ſanguinem Chriſti realiter contineri.* Dicitur *Euchariſtia* id eſt *bona gratia*, vel quia Chriſtum bonæ gratiæ authorem realiter continet; vel quia futuram gloriam ex gratia Chriſti dandam ſignificat; unde & *futuræ gloriæ pignus* nominatur. Alii transferunt *gratiarum actio*; quia in honorem Paſſionis, & mortis Chriſti conſecratur in gratiarum actionem.

Dico primò: in Sacramento Euchariſtiæ verè, & ſubſtantialiter continetur, ac reali præſentiâ adeſt ſub ſpeciebus conſecratis panis, & vini Corpus, & Sanguis Chriſti. Ita Catholici; contra Menandrinos, Neſtorianos, Iconomachos, Berengarium, Albigenſes, Zwinglianos, & alios Sacramentarios, atque Calviniſtas.

Probat. *primò*: Ex S. Scriptura conſtat realis præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis panis, & vini Euchariſtiæ: nam propterea dicitur Joan. *6. panis quem ego dabo, caro mea eſt.* Et ibidem *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Et ibidem, *niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem.* (quòd fit in Sacramenti Euchariſtiæ ſumptione) *non habebitis vitam in vobis.* Et 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Chriſti eſt?* qui omnes, & ſimiles textus intelligendi ſunt litteraliter de reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia; nam regula Generalis eſt S. Auguſtini lib. 3. *de doctrina Chriſtiana cap. 7. quod verba Scripturæ ſint propriè intelligenda, ubi non obſtat Eccleſiæ authoritas, vel evidens ratio*; quorum neutrum obſtat uſurpationi litterali præfatorum textuum: Ergo &c.

Probat. *Secundò*: eadem vera & ſubſtantialis continentia, atque realis præſentia Corporis ac Sanguinis Chriſti in Euchariſtia apertè conſtat ex verbis inſtitutionis, & conſecrationis hujus Sacramenti: nam Matth. 26. Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum, & conſecrans, dicit, *hoc eſt Corpus meum.* Et ibidem *hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti* &c. Et idem textus habetur Marc. 14. Quæ verba litteraliter intelligenda ſunt de vera & reali præſentia Corporis ac Sanguinis Chriſti in Euchariſtia; & non tropicè & figuratè, utì volunt hæretici: ſecundùm enim regulam alteram Generalem D. Auguſtini lib. *83. quæſt. 69. De ſenſu S. Scripturæ ex circumſtantiis rerum, & verborum eſt judicandum:* omnes autem circumſtantiæ rerum, & verborum horum indicant, ipſa eſſe in ſenſu litterali intelligenda; utì patebit inductione ſequenti: Et *primò*; circumſtantia locutionis hunc ſenſum indicat, utì obſervat Synodus VI. generalis Act. 6. contra Hæreticos Iconoclaſtas, hoc Sacramentum appellantes *figuram Chriſti*; cùm Chriſtus proferendo verba inſtitutionis, & conſecrationis Euchariſtiæ non dicat, *hæc eſt figura Corporis mei*; ſed *hoc eſt Corpus meum. Secundò*; circumſtantia contextûs, ſeu ſubſequentium verborum oſtendit eundem ſenſum litteralem; quia poſt illa verba conſecrationis *hoc eſt Corpus meum* ſubjungit, quod *pro vobis tradetur*; & *qui pro vobis effundetur*, quæ figuratè, & tropicè accipi

cipi nequeunt. *Tertiò;* circumſtantia mandati eundem ſenſum litteralem ſuadet ibi, *accipite & manducate*; quia præcepta Divina, maxima ſolemnia, utì eſt hoc, debent à Dεo tradi verbis claris, & in proprio ſenſu; non verò tropicis; utì apparet in aliis DEI mandatis traditis in Scriptura. *Quartò:* circumſtantia Teſtamenti eundem ſenſum ingerit; nam Chriſtus hoc Sacramento condidit teſtamentum; unde dicit, *hic calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine:* in condendo autem teſtamento oportet utì ſenſu proprio, claro, ac litterali; ut lites inter hæredes, & legatarios vitentur; & ſtatuitur *L. non aliter ff. de Leg.* *Quintò;* circumſtantiæ aliæ complures adhibitæ idem demonſtrant; nam ſi apparatus illius Sacratiſſimæ Cœnæ, lotio pedum, deſiderium ardens peragendi myſterium, præparatio loci tam ſecreti, applicatio verborum ad materiam, fractio, & diſtributio, ac aliæ conſiderentur attentiùs, prorſus indicabunt, illa verba inſtitutionis Euchariſtiæ fuiſſe prolata cum omnimoda proprietate, ac ſinè omni tropo, & figura: Ergo &c. Et certè ſi hæretici recentiores tantopere urgeant ſenſum tropicum, & figuratum in his verbis, *hoc eſt Corpus meum;* & *hic eſt Sanguis meus*, quomodo probabnnt contra Manichæos, & Priſcillianiſtas, illa verba *Verbum caro factum eſt*, in ſenſu litterali de carne humana vera, ac propria ex S. Virgine MARIA Concepta, & non de phantaſtica, eſſe intelligenda?

Probat. *Tertiò:* Concilia Oecumenica dogmatizant in Euchariſtia verè, realiter, & ſubſtantialiter còntineri Corpus, & Sanguinem Chriſti; ut Conc. Nicænum I. *lib. 3. de Divina menſa.* Et II. *in epiſt. ad Neſtorium.* Et Lateranenſe ſub Innocent. III. Florentinum, Conſtantienſe, & Tridentinum. Idem docent SS. PP. Latini, & Græci; ſignanter Tertullianus *lib. de Idolat. cap. 7.* Origenes *lib. 8. contra Celſum.* Cyprianus *lib. de lapſis.* Ambroſius *lib. de iis, qui myſteriis initiantur.* Athanaſ. *lib. de humana natura ſuſcept.* Et Cyrillus Alexand. *catc. 4.* Joannes Chryſoſt. *hom. 83. in Matth.* Et *hom. 61.* ubi ait, *Parentes aliis ſæpè filios tradunt alendos; ego autem inquit, non ita; ſed carnibus meis alo, & me ipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens, & bonas vobis prætendens de futuris expectationes, quippe qui vobis hìc me ipſum trado, multò magis in futuro.* Et infra; *heu mihi, quot nobis ad ſalutem viæ? nos corpus ſuum effecit, nobis ſuum communicavit corpus &c.* Et Auguſtinus. *in pſal. 89.* ſcribit, *de carne MARIÆ carnem accepit, & in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit.*

Probat. *Quartò:* pro Confirmatione Catholicæ veritatis de reali præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia quoque facit perpetuus Eccleſiæ DEI & Chriſti ſenſus, quô hanc veritatem complexa eſt, ac Venerabiliſſimum hoc Sacramentum cultu latriæ adorat. Item infinita penè authentica miracula, quibus DEUS eandem præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti atteſtatus eſt in variis orbis partibus; de quibus conſulendi Hiſtorici veteres, & novi; ſignanter Amphilochius *in B. Baſilio*, & Metaphraſtes *in Arſenio*, & *Clemente Ancyrano*, Joannes Diaconus *in hiſtoria B. Gregorij.* S. Cyprianus, Auguſtinus, S. Bernardus &c.

Probat. *Quintò:* Hæretici impugnantes realem præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti, ſuper illa verba *hoc eſt Corpus meum* (quæ baſes ſunt Catholicæ veritatis) adeo diſtortas, ac diſcrepantes, faciunt expoſitiones, ut quiſque prudens facilè dijudicare poſſit, eas eſſe confictas: nam prima eſt Carolſtadii, qui dicit, ſe ex revelatione Patris Cæleſtis accepiſſe, hunc eſſe iſtorum verborum, *hoc eſt Corpus meum* ſenſum; *hic ad menſam ſedet Corpus meum.* Secunda eſt Bucceri; *in hac actione ultimæ Cœna repræſentat ſe Corpus meum.* Tertia eſt Zwingelij; *hic panis ſignificat Corpus meum.* Quarta eſt Boquini; *hic panis dicitur Corpus meum per communicatonem idiomatum.* Quinta eſt Oecolampadii; *hic panis eſt figura Corporis mei.* Sexta eſt Calvini; *hic panis eſt efficax ſignum Corporis mei, quô corpus exhibetur, non tamen continetur.* Septima eſt cujusdam alterius Hæreſiarchæ, *hic cœtus Apoſtolorum eſt Corpus meum myſticum*; in ſumma refert Bellarm. *lib. 1. de Euchariſtia cap. 8.* ſe vidiſſe librum Hæreticum, in quo habentur 200. tam paucorum verborum depravatæ expoſitiones figuratæ, pugnantes contra realem præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia.

Objiciunt Hæretici primò: Matth. 24. dicitur, *ſi quis dixerit vobis, ecce hic eſt Chriſtus, ac illic, nolite credere:* Ergo non eſt credendum Papiſtis dicentibus, ecce in illo altari, aut pyxide eſt Chriſtus realiter cum corpore, & ſanguine. Reſpondeo *primò:* ergo multò minùs credendum Calviniſtis, dicentibus in ſua Cœna eſſe Chriſtum figuraliter. Reſpondeo *ſecundò:* ex Scopo, & contextu

litteræ clarum eſſe, Chriſtum tantùm illis verbis præcavendos monuiſſe Pſeudo-Chriſtos, qui in judicium venturi nomine, ſe venditabunt, idque clanculùm; dicentes; *ecce in deſerto eſt; ecce in penetralibus*: quibus proinde non eſt credendum; quia Chriſtus, in ſuo ſecundo adventu palàm veniet.

Objiciunt *ſecundò*: *Pauperes*, inquit Chriſtus, *ſemper habetis vobiſcum; me autem non ſemper*; quod tamen falſum eſſet; ſi verè eſſet præſens in Eucharìſtia. Reſpondeo: Chriſtum veriſſimè dixiſſe, ſe non ſemper futurum cum Apoſtolis in ſpecie corporali, & viſibili; vel in ſtatu paupertatis; ſicut erat quando in terris converſabatur; eſt tamen nobiſcum ſemper modo Sacramentali.

Objiciunt *tertiò* Act. 17. dicitur *DEUM non habitare in manu factis templis*: ergo neque in pyxide aurea Cathol. Reſpondeo: Scripturam citatam tantùm loqui de Divinitate; quæ ob ſui immenſitatem, nullô locô continetur; quia ubique eſt. Cum quo ſtat, quòd Corpus Chriſti limitatum ſit ſub ſpeciebus conſecratis.

Objiciunt *quartò*: 1. Cor. 10. dicitur; *Patres noſtri eandem eſcam Spiritualem manducaverunt, & eundem potum Spiritualem biberunt*: ſed illi non manducaverunt Corpus Chriſti ore; ſed ſola fide: ergo & nos. Reſpondeo: Apoſtolum ſolùm dicere; quod nos, & PP. noſtri, eandem eſcam quoad ipſam rem ſignificatam manducemus; non verò quoad modum: ipſi itaque cibum Spiritualem Chriſtum figurativè, & modo merè Spirituali manducaverunt; nos verò modo reali, & corporali; licèt inſenſibili. Et hoc eſt, quod dicit S. Auguſt. *in Pſal. 105. In Myſterio cibus, & potus illorum, & noſter; ſed ſignificatione idem; non ſpecie; quia idem ipſe Chriſtus illis in petra figuratus; nobis in carne manifeſtatus.*

Objiciunt Hæretici *quintò*: Matth. 15. dicitur, *omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*; ſed Corpus Chriſti non emittitur in ſeceſſum: ergo non vadit in ventrem per realem manducationem, & præſentiam. Reſpondeo: Corpus Chriſti una cum accidentibus Euchariſticis intrare os, ac ventrem communicantis; non tamen ire in ſeceſſum; quia corruptis ſpeciebus per concoctionem ventriculi deſinit ſtatim adeſſe realiter Corpus Chriſti.

Replicant Hæretici: indignum videri, quod Sanctiſſimum Chriſti Corpus dentibus noſtris prematur, & in fætidum ſtomachum trudatur; vel ſub ſpeciebus ita contineatur, ut à muribus poſſit devorari: Ergo &c. Reſpondeo: ſimili colore olim etiam Neſtorianos negâſſe Chriſti Divinitatem; ipſum hominem purum aſſerentes; nè aliàs Divinitas paſſibilis videatur. Et alii negabant Deum eſſe ubique; quia aliàs etiam eſſet in cloacis. Dico itaque Chriſtum in ſe nil indigni pati; etiamſi à nobis tractetur modô præfatô: ſicut nec Divinitas patitur, etſi Chriſtus patiatur in ſua Paſſione.

Objiciunt *ſextò*: Capharnaitæ putabant Chriſti carnem corporaliter manducandam, utì nunc Papiſtæ, inquit Petrus Martyr; ſed Chriſtus illorum errorem repræhendit, cùm ait Joan. 6. *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam*: Ergo ſignificat Chriſtus carnem ſuam non corporaliter; ſed ſpiritualiter per fidem debere manducari. Reſpondeo cum Chryſoſt. Orig. Aug. & aliis PP. Chriſtum in Capharnaitis carnalem intelligentiam reprehendiſſe: putabant enim; quòd Chriſtus carnem ſuam conciſam, & in fruſta diſtributam daturus eſſet; quòd eſt falſum. Itaque ſicut illa alia locutio; *verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt*, non tollunt rationem ſoni realis, & vocis verè articulatæ; ita iſta *Spiritus qui vivificat*, non tollunt realem præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia; ſed ſolùm oſtendunt, Chriſtum non adeſſe modo ſenſibili; ſed Sacramentali, & Spirituali inſenſibili; reali tamen.

Objiciunt *ſeptimò* ingentem cumulum SS. PP. qui tamen vel non favent Hæreticis; vel contra ipſoſmet pugnant; vel facillimè explicantur; ſi ſequentes Regulæ obſerventur.

Prima Regula eſt; quando PP. vocant Euchariſtiam *figuram, ſignum*, vel *Symbolum* Corporis Chriſti; non intendunt per hoc Corpus Chriſti ſecundùm realem præſentiam abeſſe; quòd ſit figura, vel Symbolum Corporis abſentis; ſicut, dum Scriptura vocat Chriſtum *figuram ſubſtantiæ Patris*; per hoc non intelligitur Divinitas illi non adeſſe.

Secunda Regula eſt; quando audis verba alicujus Patris, quæ ſonare videntur tanquàm aliquo modo minuentia veritatem realis præſentiæ Corporis Chriſti; expone illum de modo præſentiæ; non de ipſa præſentia ſimpliciter; ùt videlicet non eô modô, quô Capharnaitæ intelligebant Chriſti carnem eſſe comedendam, modo viſibili & materiali nimis: & ſecundùm hoc exponitur S. Aug: *in Pſal. 99. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendo, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos. Juxta utramque*

Regulam

Regulam exponatur alius difficilis locus ejuſdem S. Patris *lib. 3. de Doctrina Chriſtiana*, cap. 16. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem; non habebitis vitam in vobis; facinus & flagitium videtur jubere; figura ergo eſt, præcipiens paſſionibus Domini eſſe communicandum: quod pro vobis caro ejus crucifixa & vulnerata eſt.* Vult Aug. juxta primam Regulam, quòd præceptum ſumendi Corpus Chriſti, & ſit figura præcipiens memoriam Paſſionis Dominicæ; non excludendo tamen veritatem realis præſentiæ. Et ſecundùm alteram Regulam; quòd facinus & flagitium jubere videretur Chriſtus, ſi carnem ſuam conciſam in partes, modo viſibili, & ſanguinem in guttas diffundendum, juberet ſumi.

Tertia Regula eſt; quando aliqui PP. verba Scripturæ quandoque ad ſenſum omninò ſpiritualem trahere videntur; intelligendi ſunt; non cum excluſione realis præſentiæ; aut manducationis: ſed ſolùm cum intentione hortandi ad Spiritualem manducationem per fidem, & devotionem; ſinè qua corporalis nil prodeſt. Sic intelligendus eſt S. Aug. Tract. 25. in Joan. *Quid paras dentem, vel ventrem; crede & manducaſti*, Et Orig. *in cap. 15. Matth. Verbum factum eſt caro, veruſque cibus, quem, qui commederit, omninò vivet in æternum; quem nullus malus poteſt edere;* intellige fructuosè, licèt benè ad judicium; ut loquitur Paulus.

Quarta Regula; mirum non eſſe; ſi PP. antiqui obſcuriùs aliquando de hoc Sacramento loquebantur; tum quia nondum exorta fuit ulla de hoc myſterio Controverſia; tum quia non niſi ſobriè, ac modeſtè loquendum putabant, ne coram cathecumenis, aut infidelibus tantum Myſterium periculo irriſionis exponerent: tum etiam, quia in primitiva Eccleſia, veritas hujus Myſterii ita omnibus in comperto fuit; ut de reali præſentia & manducatione nullus omninò dubitaret; quin & parvulis eam dandam putarent; ideoque PP. præſertim Aug. in eo potiſſimùm laborarunt, ut ad Spiritualem, & fructuoſam per fidem hortarentur manducationem.

Objicit *octavò* Martyr à ratione; Chriſti Corpus eſt in Cœlo: Chriſti Corpus eſt in Sacramento: ergo Sacramentum eſt in Cœlo. Reſpondeo *primò*: quare etiam non intulit: ergo Cœlum eſt in Sacramento. Reſpondeo *ſecundò*: ſi regulas Syllogiſticas calleret Martyr; ſic potiùs inferret: ergo Corpus Chriſti exiſtens in Sacramento, exiſtit etiam in Cœlo: aliàs ut formatur ab illo, habet quatuor terminos; ſed corrigens ſe Martyr.

Objicit aliter ſic: quidquid eſt Corpus Chriſti eſt in Cœlo; ſed Sacramentum Euchariſtiæ eſt Corpus Chriſti: Ergo Sacramentum Euchariſtiæ eſt in Cœlo. Reſpondeo diſtin. Maj: quidquid eſt Corpus Chriſti ſecundùm veram identitatem, eſt in Cœlo, Concedo Maj. quidquid eſt Corpus Chriſti ſecundùm continentiam, & ſignificationem tantùm, Nego Maj. nunc autem Sacramentum Euchariſtiæ, non eſt Corpus Chriſti, niſi per modum continentis, & verè ſignificantis.

Objicit *nonò*; vel Corpus Chriſti exiſtis in Euchariſtia cum tota quantitate, quam in Cœlo habet; vel non: ſecundum dici non poteſt; aliàs neque eſſet vivum in Euchariſtia; nec primum; quia quomodo corpus tantæ molis conſtitui poteſt in tam parvo ſpatio? Reſpondeo Chriſti Corpus in Euchariſtia exiſtere cum tota ſua quantitate; non tamen localiter extenſa; ſed miraculosè poſita, per penetrationem ſcilicet omnium partium corporis in qualibet parte hoſtiæ.

ARTICULUS II.

An Chriſtus in Euchariſtia ſit realiter præſens per ubiquitatem.

Dico primò: in Sacramento Euchariſtiæ Chriſtus non ſiſtitur præſens per ubiquitatem. Ita Catholici; contra Lutheranos.

Probat. *primò*: ex S. Litteris conſtat Chriſtum ſecundùm humanitatem non poſſe ubique eſſe: nam propterea ibidem narratur eſſe nunc in hoc, nunc in illo loco; ut Joan. 6. *cum vidiſſet turba, quòd JESUS non eſſet ibi, neque diſcipuli ejus, aſcenderunt in naviculam, & venerunt Capharnaum quærentes JESUM.* Et Marc. 16. *JESUM quæritis Nazarenum Crucifixum, ſurrexit, non eſt hic.* Et alibi refertur Chriſtum fuiſſe in utero matris, deinde in ſtabulo, in Ægypto, in Nazareth, in Jeruſalem &c. quæ & ſimiles locutiones apertè indicant Chriſtum ſecundùm humanitatem non eſſe ubique: Ergo nec in Sacramento Euchariſtiæ per mundum multiplicato eſt per ubiquitatem.

Probat. *ſecundò*: hoc dogmate ubiquitatis Lutherani incidunt in Calviniſmum; nam ex eo ſequitur, communicantes eorum in Cœna non accipere niſi nudas hoſtias, & nuda ſymbola; quòd docent Calviniſtæ; quòd enim ubique eſt, non movetur de loco in locum: quare cum Corpus Chriſti ſit ubique, quando à Miniſtro diſtribuuntur communi-

 cantibus

cantibus hoſtiæ, hæ non deferunt ſecum in ſtomachum Corpus Chriſti; utpote quòd ob ubiquitatem moveri nequit de loco in locum.

Probat. *tertiò*: ſi Corpus, & Sanguis Chriſti ſit in Euchariſtia præſens realiter per ubiquitatem, conſequenter etiam eſt ubique ſic; & ita in omni pane, & vino, in omni cibo, & potu erit: unde non eſt neceſſarium ad Eccleſiam ire pro Corpore, & Sanguine Chriſti ſumendo; item neceſſe non eſt, conſecrare panem & vinum; cùm conſecratione non fiat de novo præſens Corpus, & Sanguis Chriſti; ſed hæc omnia negant Lutherani: Ergo &c. *Quartò*: eſt communis doctrina modernorum Lutheranorum, Euchariſtiam conſiſtere in uſu; & Corpus Chriſti non eſſe præſens niſi in actuali ſumptione: adeoque cenſent ante eam non eſſe præſens: Ergo non eſt ubique præſens.

Objiciunt Hæretici *primò*: in Chriſto eſt communicatio idiomatum; unde humanitati ejus ſunt communicata omnia attributa Divina; & conſequenter etiam ubiquitas: Ergo Chriſtus eſt ubique, & conſequenter per ubiquitatem in Euchariſtia. *Secundò*: de Chriſto dicitur ad Epheſ. 4. *qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia*: Ergo Chriſtus eſt per ubiquitatem in omni loco, & conſequenter ſic in Euchariſtia.

Reſpondeo *ad primum*: Diſt. conſequens; Chriſtus eſt ubique quoad Divinitatem Concedo Conſeq. quoad humanitatem Neg. Conſeq. nam ſecundùm hanc eſt tantùm in certis locis. *Ad ſecundum* Nego Conſeq. nam ſecundùm D. Bernardum *ſerm. 2. de aſcenſ. Domini*, ſenſus illius Scripturæ eſt, quòd Chriſtus priùs deſcenderit ad inferos, ac deinde aſcenderit ſuper cœlos omnes, ut omnia loca infima, media, & ſuprema ſucceſſivè impleret per ſuam præſentiam, virtutem, gloriam, victoriam, & triumphum; & ſic caperet poſſeſſionem ſui imperii in omnes creaturas.

ARTICULUS III.

An Chriſtus ſit præſens in Euchariſtia per impanationem vel tranſubſtantiationem.

Nota primò: per *tranſubſtantiationem* intelligunt Catholici, mutationem, ſeu converſionem ſubſtantiarum, quâ per DEI Omnipotentiam ad prolationem formarum conſecrationis in Euchariſtia tota ſubſtantia panis manentibus accidentibus iiſdem mutatur, & convertitur in ſubſtantiam Corporis Chriſti; ſimiliter tota ſubſtantia vini in ſubſtantiam Sanguinis Chriſti.

Dico primò: in Euchariſtia non fit ulla impanatio; ſed vera tranſubſtantio. Ita Catholici; contra Lutheranos.

Probat. *primò*: illa verba Matth. 26. conſecratoria Euchariſtiæ *Hoc eſt Corpus meum*, indicant clariſſimè in conſecratione fieri tranſubſtantiationem; aliàs non eſſent vera; quia panis non eſt caro Chriſti. Nec valet dicere cum Lutheranis; præfata verba per hoc verificari, quòd Corpus Chriſti ſit pani intimè præſens. Contra enim eſt: quia quamvis DEUS ſit omnibus rebus v. g. lapidi, ligno &c. intimè præſens, tamen propterea non verè dicitur oſtenſo lapide, *DEUS eſt* lapis.

Probat. *ſecundò*: Concilia Generalia, ut Lateranenſe ſub Innocentio III. Conſtantienſe, & Florentinum, dogmatizant tranſubſtantiationem fieri in Euchariſtia: Idem faciunt SS. PP. quamvis hoc nomine *tranſubſtantiationis* non utantur; alio tamen æquipollenti hoc myſterium explicant, puta nomine *immutationis, transmutationis, tranſelementationis, fiſtionis* & ſimilibus. Unde Gregorius Nyſſen. *in orat. catech. cap. 37.* ait, *rectè ergo nunc quoque DEI verbô ſanctificatum panem in DEI verum Corpus transmutari credo.* Et Auguſt. *in cap. 10. epiſt. 1. ad Corinth* ait, *non omnis panis, ſed accipiens benedictionem Chriſti, fit Corpus Chriſti.* Et Cyrillus Hieroſ. *cate. 3.* dicit, *panis Euchariſtiæ poſt Spiritus invocationem non amplius eſt panis; ſed eſt Corpus Chriſti.* Idem docent alii PP. ut Juſtinus *ad Ant. Pium apol. 2.* Et Irenæus *lib. 4. cap. 34.* Et Tertullianus *lib. 4.* contra Marc. *cap. 40.* Et Ambroſius, *de iis qui myſteriis initiantur cap. 9.* Et Gaudentius *tract. 2. de Exod.* Et Chryſoſtomus *hom. 38. in Matth.* Et Cyrillus Alexand. *epiſt. ad Caloſyr.* Et Cyprianus *de Cœna Dom.* Idem etiam conſtat ex Liturgia D. Jacobi in Eccleſia Jeroſolymitana. Et ex Liturgia D. Matthæi in Eccleſia Æthiop. Et ex Liturgia D. Petri, quâ primum uſi ſunt Romani: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: ſi in Euchariſtia ad prolationem illorum verborum *hoc eſt Corpus meum*, fieret ſola impanatio; & non tranſubſtantiatio, tunc hic panis verè eſſet Corpus Chriſti, ut aſſerunt Lutherani; ſed hoc dici nequit; nam, ſi verum eſt, quòd hic panis ſit verè Corpus Chriſti; eſt etiam verum, quòd, ſit idem panis verè, & propriè conceptus ex Spiritu S. natus ex MARIA Virgine, Crucifixus pro nobis, unitus verbo hypoſtaticè & tandem DEUS (cum totus ſit verè DEUS in Euchariſtia) quæ omnia ſunt abſurdiſſima: Ergo &c. Præterea in Cœna Matth. 26. dicit Chriſtus

Chriſtus, *accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum*, &c. ſtante autem impanatione, & non facta converſione ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti, ſequeretur quòd Apoſtoli ſolum panem comediſſent; & nemo unquam manducâſſet in Euchariſtia Corpus Chriſti: nam quando tes aliqua eſt modo ſpirituali, & inviſibili, in re corporea (utì Lutherani finguntChriſtum impanatum) etiamſi res corporea manducetur, res tamen Spiritualis in ea exiſtens non comeditur; ſic v. g. dum Petrus manducat lactucam, cui DEUS ineſt per ſuam præſentiam; non propterea cenſetur manducare DEUM; ſed ſolam lactucam: ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c.

Objiciunt Lutherani *primò*: uſus hujus vocabuli *tranſubſtantiatio* eſt inventum humanum, peregrinum, barbarum, novæque doctrinæ ſignum, nuper in Concilio Lateran. primò excogitatum: Ergo &c. *Secundò*: Paulus ad Cor. vocat Euchariſtiam panem; *panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt*: Ergo in Euchariſtia manet panis, qui eſt participatio Corporis Chriſti: *Tertiò*: ad Sacramentum requiritur elementum. Ergo in Sacramento Euchariſtiæ remanet ſubſtantia panis, quæ eſt elementum. *Quartò*; SS. PP. dicunt in Euchariſtia frangi Corpus Chriſti, tractari manibus, calefieri, corrumpi &c. Ergo debet adeſſe ſubſtantia panis. *Quintò*: Auguſtinus teſte Paræo dicit, illos eſſe impios, & infideles cum Chriſto, nec habere Chriſtum præſentem in Euchariſtia, quia fide eum non capiunt. *Sextò*: Gelaſius Catholicus Pontifex dicit *lib. de duabus natur. contra Eutych. & Neſtor.* quòd in Chriſto ſint duæ naturæ, ſicut in Euchariſtia ſunt duæ ſubſtantiæ; Ergo cenſet in Euchariſtia adeſſe ſubſtantiam panis, & Corporis Chriſti impanati.

Reſpondeo *ad primum*: Neg. Ant. nam quamvis hoc vocabulum *tranſubſtantiatio* in Concil. Lateran. primitus uſurpatum fuerit ad exprimendum aptiùs hoc myſterium Euchariſtiæ; res tamen ipſa hoc vocabulo ſignificata jam à Chriſti tempore fuit; aliis tamen nominibus Synonimis expreſſa, & à SS. Patribus doctum, ſcilicet nomine *tranſmutationis, tranſelementationis*, & aliis, ùt ſuprà *probat.* 2. oſtenſum fuit. Deinde ſicut ſinè barbarie, & novitate doctrinæ licuit Concilio Nicæno I. uſurpare primitùs hoc vocabulum *homouſion*, ad conſubſtantialitatem Patris, & Filiị tunc negatam ab Arianis, aſſerendam; ita & Concilio Lateran. Oecumenico ſinè nota licuit uti hac voce *tranſubſtantiatio*, ad aſſerendam converſionem ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti in Euchariſtia, quam negabat Berengariùs, & ejus ſequaces. *Ad ſecundum*: Neg. Conſeq. nam *loc. cit.* & alibi vel nomine *panis* veniunt accidentia ſenſibilia panis, relicta cum Corpore Chriſti in Euchariſtia, ſicque accipitur pars pro toto. Vel locutio eſt de pane Sacramentato, & jam mutato per converſionem ejus ſubſtantiæ in Corpus Chriſti; ſicut dicitur alibi, quòd *cæci videant, & claudi ambulent*; id eſt, qui antea erant cæci, & claudi, nunc per mutationem miraculoſam vident, & ambulant. *Ad Tertium*: Neg. Conſeq. nam ſpecies Euchariſtiæ remanentes ſufficiunt ad hoc, ut Sacramentum dicatur habere elementum; remanet enim quantùm ad id, quo Sacramentum eſt viſibile ſignum *Ad Quartum*: Neg. Conſeq. nam omnia illa fieri poſſunt mediantibus ſpeciebus Euchariſticis, ſub quibus Corpus præſens eſt, & quæ ſolæ videntur, franguntur, tractantur, calefiunt &c. *Ad Quintum*: dico, Auguſtinum non velle, quòd tales peccatores ſimpliciter non ſumant Corpus Chriſti in Euchariſtia; ſed quòd illud non accipiant, utiliter ad ſalutem, imò potiùs ad damnationem juxta Apoſt. 1. ad Cor. 11. *qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit non dijudicans Corpus Domini.* Et hic ſenſus patet ex aliis Auguſtini verbis *lib. 5. de Bapt. cap. 8.* ubi ait, *ſicut enim Judas cui buccellam tradidit Dominus non malum accipiendo; ſed malè accipiendo locum in ſe Diabolo præbuit, ſic indignè quiſque ſumens Dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipſe malus ſit, aut quia non ſalutem accipit, nihil acceperit; Corpus enim Domini, & Sanguis Domini nihilominùs erat in illis, quibus dicebat Apoſtolus, 1. ad Cor. 11. qui manducat &c.* *Ad Sextum* Neg. Conſeq. nam Papa Gelaſius ſolùm intendit in hoc conſtituere ſimilitudinem, quòd in Chriſto ſint duæ naturæ, ſicut in Euchariſtia ſunt duæ ſubſtantiæ, Corporis ſcilicet, & Sanguinis Chriſti, quæ habent rationem alimenti hominis Chriſti; nam in hoc Sacramento integer Chriſtus factus eſt nobis verè cibus, & potus corporis & animæ; *caro enim* inquit Joan. 6. *mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; idque per ſpecies alienas, quibus ſeipſum tegit, & porrigit. Eodem modo intelligendus eſt Theodoretus, & quidam alii PP. ab Hæreticis objecti.

AR.

ARTICULUS IV.

An Chriſtus in Euchariſtia ſit adorandus cultu Latriæ?

Dico primò: Chriſtus in Euchariſtia eſt cultu latriæ adorandus. Ita Catholici; contra Lutheranos, & Calviniſtas.

Probat. *primò*: ubicunque eſt Chriſtus, ibi eſt latreuticè adorandus; nam propterea Pater æternus introducens eundem ut filium ſuum unigenitum in orbem dicit *pſal. 96.* & refertur Matth. 2. *& adorent eum omnes Angeli DEI*: Et propterea etiam eundem Chriſtum Magi procidentes adoraverunt eodem cultu in præſepio; & idem fecerunt Apoſtoli in Galilæa tempore aſcenſionis; & Centurio in platea: ac latro in Cruce; uti ſacer docet textus: Ergo etiam in Euchariſtia eſt adorandus. *Secundò* perpetuus uſus, & continua traditio in Eccleſia obtinuit ut fideles Chriſtum in Euchariſtia præſentem adorarent cultu latriæ poſt conſecrationem; uti conſtat ex omnibus Liturgiis diverſarum Eccleſiarum Græcarum, & Latinarum, etiam primis quatuor ſæculis conſcriptis; & refert D. Dionyſius *cap. 3. Eccleſ. Hier.* Et Baſilius *de Spirit. S. cap. 27.* Et propterea etiam hoc Auguſtiſſimum Sacramentum ſtatim à principio Eccleſiæ in vaſis aureis aſſervari conſuevit, pro majori decentia, & cultu: & ſic D. Baſilius illud in aurea columba reſervavit, teſte Amphilochio: Et Gregorius Turon. ſcribit jam ſuo tempore fuiſſe incluſum in aurea turri, quam nos, hodie *ciborium* appellamus: & Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Hieronymus de aureis calicibus, & ſimili ſupellectile pro corpore Dominico conſervando mentionem faciunt: Ergo &c. *Tertiò*: SS. PP. etiam veteres Chriſtum in Euchariſtia cultu latriæ adorandũ proteſtati ſunt; unde Chryſoſtomus *hom. 3. in epiſt. ad Epheſ.* de Euchariſtia loquens ait, *adora, & manduca.* Et *hom. 61. ad pop. Antioch.* dicit, *ut pura ſint veſtimenta, adora, & communica.* Et *hom. 24. in 1. ad Cor.* jubet, *Chriſtum in altari eſſe adorandum, ſicut illum adoraverunt Magi, in præſepio.* Eandem adorationem Chriſto in Euchariſtia impendendam eſſe docet Auguſt. *hom. 3. in epiſt. ad Epheſ.* Et Theodoretus *dial. 2.* & Gregorius Nazian. *orat. de obitu Gorgoniæ.* Et demum huc faciunt omnes SS. PP. ſuprà *art. 1. probat. 3.* relati pro reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia; qua ſtante Chriſtus citra omne dubium adorandus eſt in eodem Sacramento ſubſiſtens: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Chriſtus non propterea continetur in Euchariſtia, ut adoretur latreuticè; ſed ut ſumatur: Ergo &c. *Secundò*: Euchariſtia olim deferebatur à Chriſtianis domum, & aliò, ſinè reverentia: Ergo ſignum eſt, Chriſtum ibi non adeſſe, nec ibi eſſe adorandum. *Tertiò*: Papa vetus Clemens mandat, ut Corpus Domini non aſſervetur in craſtinum; ſed reliquiæ remanentes poſt communionem fidelium conſerventur in ſacrario: Ergo cenſet ibi non eſſe Chriſtum, nec adorandum.

Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Ant. nam illud mandatum Deut. 6. *Dominum DEUM tuum adorabis* eſt illimitatum, & obligat Chriſtianos ad Chriſti veri DEI adorationem etiam in Euchariſtia exiſtentis. Et quamvis ſcriptum ſit de hoc Sacramento, *accipite & manducate*; attamen per hoc non excluditur adoratio illius, quod accipitur, & manducatur, id eſt Chriſtus; nam manducatio ejus facienda eſt eô modô, qui tanto Sacramento convenit; id eſt cum adoratione perfecta ſeu latriæ, juxta id pſal. 21. *manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ. Ad Secundum*: Neg. Ant. nam etiam tempore perſecutionis Chriſtianorum, quando Euchariſtia in Eccleſia tutè conſervari non poterat, ſecretè quidem, ſed cum maxima veneratione domum deferebatur, uti teſtatur Origines *hom. 13. in Exod.* Et Auguſtinus *ſerm. 25.* & alibi. Extra deinde perſecutiones narrat Juſtin. in *Apol. 2.* eandem cum ſumma reverentia fuiſſe portatam ad infirmos, & ad Epiſcopus; uti habet Euſebius *lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 24.* Item ex Epiſcopali domo in ædem ſacram, teſte Gregorio Turon. *hom. 24. in 1. ad Cor. Ad Tertium.* Neg. Conſeq. nam Papa Clemens non loquitur de ipſo Dominico Corpore; ſed de fragmentis, & micis, quæ decretô Concilii Matiſconenſis II. conſueverant dari pueris innocentibus; ùt narrat B. Gregorius Turon. *cap. 9. in glor. Martyr.* Vel certè loquitur de reliquiis, quæ vel vetuſtate, vel alia de cauſa jam corruptæ eſſent.

ARTICULUS V.

De materia legitima Euchariſtiæ.

Dico primò: legitima materia Euchariſtiæ pro conficiendo Corpore Chriſti, eſt ſolus panis uſualis triticeus. Ita Catholici; contra Manichæos, Gnoſticos, Aſtrotyritas, Ophitas, Bezam, Bucerum, &c.

Probat. *primò*: S. Litteræ teſtantur, Euchariſtiam, quatenus eſt Sacramentum Corporis

poris Chriſti, eſſe inſtitutam à Chriſto in ſolo pane uſuali, qui in Paleſtina tunc erat triticeus; unde de tali dicitur Matth. 26. *cœnantibus autem eis accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit, deditq; Diſcipulis ſuis*, & ait, *accipite, & comedite hoc eſt Corpus meum*. Et propterea etiam dicitur de eodem Sacramento Joan. 6. *ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Et Act. 2. *erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis &c.* Et 1. ad Cor. 10. *panis quem frangimus, nonne communicatio Corporis Chriſti eſt?* Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: perpetuus Eccleſiæ uſus, & traditio ſolum panem uſualem triticeum agnovit pro legitima materia Sacramenti Corporis Chriſti. Et idem dogmatizârunt SS. PP. paſſim, ut Tertullianus *lib. 4. cap. 6.* Cyprianus *de cœn. Dom.* Auguſtinus *in cap. 10. 1. epiſt. ad Cor.* &c. Et idem etiam definivit Concilium Florent. *ſeſſ. ult.* ante litteras unionis; & *in decreto* Eugenij.

Objectiones Hæreticorum conſiſtunt in meris arbitriis eorum, non fundatis in aliquo S. Scripturæ paſſu, Concilio, vel S. Patre: quare judicavi eas omittendas.

Dico ſecundò: Materia legitima Euchariſtiæ pro conficiendo Sanguine Chriſti, non eſt mera aqua; ſed vinum de vite. Ita Catholici; contra Aquarios, quorum meminit D. Auguſt. *lib. de hær. cap. 4.* Et contra Cataphryges, & Manichæos.

Probatur; Ex omnibus quatuor Evangeliſtis apertè conſtat, Euchariſtiam quatenus eſt Sacramentum Sanguinis Chriſti, fuiſſe in Chriſto inſtitutam in ſolo vino de vite, tanquam legitima materia. Idem docent SS. Concilia generalia, ſignanter Lateranenſe ſub Innocent. III. Et conſentiunt omnes SS. PP. tenétque communis Eccleſiæ uſus, & traditio: Ergo &c. Fundamenta Hæreticorum ſunt mera deliria infundata, unde non merentur adduci.

Dico primò; tam azymus, quàm fermentatus panis triticeus eſt legitima materia conficiendi Corpus Chriſti. Ita Catholici; contra Græcos Schiſmaticos, ſolum fermentatum admittentes pro debita materia, & Latinos appellantes *Azymitas*, ac eoſdem anathematizantes, teſte D. Anſelmo *in quadam epiſt.*

Probat. *primò*: ipſemet Chriſtus uſus eſt pane azymô pro Sacramento Corporis ſui inſtituendo; utì conſtat ex illo Matth. *26. prima die azymorum.* Et Marc. *14. prima die azymorum, quando Paſcha immolabant,* Et Luc. 22. *venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidere Paſcha*; diebus autem azymorum vetitum erat Exod. 12. & 13. fermentatum habere: Ergo &c. *Secundò*: tam panis fermentatus, quàm azymus pro legitima materia Sacramenti Euchariſtiæ definitus eſt in Concilio Florentino *in litt. Unionis*, his verbis, *ſervanda eſt conſuetudo Eccleſiæ tam Orientalis conficientis in fermentato, quàm Occidentalis conficientis in azymo*: Ergo &c. *Tertiò*: SS. PP. etiam Græci nunquam approbârunt azymum: Ergo &c.

Objiciunt Græci *primò*: Chriſtus inſtituit Euchariſtiam luna 13. Menſis primi, quo tempore Judæi utebantur pane fermentato: Ergo in eo inſtituit Euchariſtiam. *Secundò*: azyma fuit propria Judæorum: Ergo Latini conſecrantes in azymo Judaizant. Reſpondeo *ad primam* Neg. Ant. nam Chriſtus inſtituit Euchariſtiæ Sacramentum in ultima Cœna; hanc autem celebravit tunc, quando ſecundùm legem debebat comedi agnus Paſchalis, ut figuratum exactè correſponderet figuræ: agnus verò Paſchalis debebat comedi ad ſecundam veſperam Lunæ 14. utì conſtet ex Leu. 23. & Exod. 12. ubi dicitur, agnum debere comedi veſperâ immediatè præcedente primum diem azymorum, qui erat Luna 14. Vide plura, quæ dico in Schola mea Theologica *Tom. 3. Tractat. 1. diſt. 4. q. 2. & 3.* ubi exactè rejicio Græcorum opinionem circa tempus inſtitutionis Euchariſtiæ. *Ad ſecundam* Neg. Ant. nam ſicut Chriſtiani non dicuntur judaizare, utendo pro materia Baptiſmi aquâ, quâ etiam utuntur in ſuis Purificationibus Judæi; ita nec judaizare dicendi ſunt Latini, etſi utantur pro materia Euchariſtiæ pane azymo, quô Judæi utuntur; nam ſub diſtincto ritu eô utuntur.

ARTICULUS VI.

De forma legitima Euchariſtiæ; & præparatione ad ejus uſum.

DIco primò: ad conficiendam Euchariſtiam requiritur determinata forma; nec ſufficit recitatio ſolius *Pater noſter*, aut alterius meræ precatiunculæ. Ita Catholici; contra Waldenſes.

Probat. *primò*: S. Evangeliſtæ agentes de inſtitutione Euchariſtiæ, ut Matthæus 26. Et Marcus 14. Et Lucas 24. &c. Referunt determinatam formam pro ejuſdem confectione, ſcilicet *hoc eſt Corpus meum*; Et *hic eſt Calix*

Sanguinis mei; vel quod idem eſt, *hic eſt Sanguis meus*: Ergo &c. *Secundò*: univerſa Eccleſia ab initio ſuo ſemper uſa eſt, & utitur de facto determinatâ formâ pro hujus Sacramenti debitâ confectione; utì patet ex omnibus Liturgiis, Ordinibus Miſſæ, & Miſſalibus: & eandem profitentur omnes SS. PP. Ergo &c. Objectiones Waldenſium nullum prorſus habent fundamentum: unde nec eas adduco.

Dico ſecundò: ad legitimam formam Euchariſtiæ, ejusq́ue conſecrationem non requiruntur eſſentialiter, nec ſufficiunt ullæ preces diſtinctæ à verbis Conſecratoriis in Canone Catholico aſſignatis; nec neceſſariæ ſunt ullæ Conciones præviæ. Ita Catholici; contra Kemnit. Weſtphalum, Bucerum, Calvinum &c.

Probat. *primò* ex facto Chriſti: nam Chriſtus inſtituendo Euchariſtiam non legitur formæ legitimæ ejus præmiſiſſe ullas preces, aut Concionem tanquam neceſſariam ad ejus confectionem: Ergo &c. *Secundò*: ſed neque Concilia ulla Oecomenica poſtulant ullas prævias preces, aut Conciones neceſſarias eſſentialiter ad conficiendum hoc Sacramentum; ut videre eſt in Florentino Conc. & aliis. Et tametſi in Canone Catholico multæ Orationes ante Conſecrationem recitentur; hæ tamen eſſentialiter non pertinent ad legitimam formam Conſecrationis huius Sacramenti: Ergo &c. *Tertiò*: SS. PP. paſſim adſtruunt Euchariſtiam confici ſolis illis verbis conſecratoriis, tanquam legitimâ formâ, quæ recitantur à S. Evangeliſtis, videlicet *hoc eſt Corpus meum*; & *hic eſt Calix Sanguinis mei*: unde Chryſoſtomus *hom. de prodit. Judæ*, ait, *hoc eſt Corpus meum, hoc verbô propoſita dona conſecrantur.* Et Ambroſius *lib. 4. de Sacram. cap. 4. quomodo poteſt, qui panis eſt, Corpus eſſe Chriſti? conſecratione; conſecratio igitur quibus verbis? Domini JESU*; illis videlicet, *hoc eſt Corpus meum*: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici, SS. PP. plures docent, Euchariſtiam precibus fieri: ſic Juſtinus Marc. *apol. 2. dicit, oratione confici Euchariſtiam.* Et Irenæus *lib. 4. cap. 14.* ait, *invocatione nominis JESU confici Euchariſtiam.* Et Cyrillus Hieroſol. *Catech. 3. & 4.* dicit, *eandem Euchariſtiam confici invocatione Spiritûs S.* Et Hieronymus *ad Euagri.* vult, *eam confici Sacerdotum precibus.* Et Auguſtinus 3. de Civit. cap. *myſticâ prece* ait illam fieri: Ergo &c. Reſpondeo Gloſſando citatos, & alios SS. PP. ab Hæreticis allegatos; & dico, illos per invocationem, orationem, & preces intelligi ipſa verba Conſecratoria Euchariſtiæ, ſeu formas uſitatas *Hoc eſt Corpus meum*; & *hic eſt Calix Sanguinis mei*: eò quòd virtute horum verborum moveatur DEUS ad ponendum Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis. Et hunc eſſe ſenſum SS. PP. patet ex aliis eorum dictis, *pro Conc.* relatis.

Dico tertiò: ad dignam, & licitam ſumpitonem Euchariſtiæ præmittenda eſt à ſumente debita præparatio, id eſt peccatorum diſcuſſio, & confeſſio, quando adſunt talia. Ita Catholici; contra Lutherum.

Probat. *primò*: Scriptura poſtulat debitam præparationem in ſumente Euchariſtiam; nam 1. ad Cor. 11. dicitur, *probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Impia proinde cenſenda eſt doctrina Lutheri *Conc. de digna præp. ad Euchariſt.* dicentis, optima diſpoſitio eſt, non niſi ea, quâ peſſimè es diſpoſitus. *Secundò*: *cit. epiſt.* D. Paulus dicit, *qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*: quibus verbis exprimitur hominem, non præmittentem præparationem dignam S. Cœnæ per diſcuſſionem conſcientiæ, & pœnitentiæ, peccare, atque judicium ſtrictum ſibi manducare: Ergo &c. *Tertiò*: ad deſignandam neceſſariam munditiem conſcientiæ, quæ prævia præparatione ſumentis Euchariſtiam inducitur, Chriſtus Matth. 15. Diſcipulis ante ſumptionem ſui S. Corporis lavit pedes. Et hujus etiam puritatis in ſumente neceſſariæ typus præceſſit exod. 30. ubi Aaron, & Filij ejus aquâ lavabant pedes, antequam ingrederentur tabernaculum teſtimonii; & priusquam accederent ad altare, ut offerrent in eo thymiama Domino: Ergo &c. *Quartò*: SS. PP. poſtulant præviam præparationem, ſeu diſcuſſionem conſcientiæ in Euchariſtiam ſumente; unde Theophilactus ſcribens ſuper cit. textum 1. ad Cor. 11. cap. ait, *tuâ itaque conſcientiâ examinatâ diſcuſsâque adito ea myſteria, non feſtis modò, pro feſtisq́; diebus; ſed quovis tempore; cùm purum te, & dignum reperеris.* Et Auguſt. *epiſt. ad Julian.* ait, *quando enim eum accipere debemus, antea ad Confeſſionem & pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus noſtros curioſos diſcutere; & peccata obnoxia, ſi in nobis ſenſerimus, citò feſtinemus per confeſſionem, & veram pœnitentiam abluere, nè cum Juda proditore Diabolum intra nos celantes pereamus.* Eandem doctrinam habent alii SS.PP. ut Hieronymus. *in com. epiſt. ad Titum.* Et Cyprian. *ſerm. 5. de lapſis*, & alii: Ergo &c.

ARTI-

ARTICULUS VII.

De Communione ſub utraque ſpecie.

DIco primò: nullum extat præceptum Divinum obligans Laicos, ad Communionem ſub utraque ſpecie faciendam vi inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ; quare licitè ſub una ſpecie ab iiſdem ſumitur. Ita Catholici; contra Petrum Dreſdens, Huſſitas, & Lutheranos.

Probat. *primò*: neque S. Litteræ, neque ulla Apoſtolica traditio, neque Concilium ullum Oecumenicum, neque SS. PP. continent ſimile præceptum Divinum; uti patebit ſolvendo Objectiones hæreticorum infra; quin imò uſus unius duntaxat ſpeciei licitus ex eiſdem conſtat; ut mox oſtendetur: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: Divinum ejuſmodi præceptum, ſi daretur, cauſaret multa inconvenientia; nam *primò* non poſſet ab omnibus fidelibus adimpleri, videlicet ab abſtemiis, qui nequeunt vinum deguſtare; ac ab incolis certarum Provinciarum, quibus copia vini invehi nequit: unde cenſendum eſt Chriſtum Legiſlatorem novi teſtamenti, & Authorem Sacramentorum prudentiſſimum, non conſtituiſſe ſimile difficillimum præceptum. *Secundò* idem præceptum, ſi daretur, impediret frequentationem hujus Sacramenti, & crebram communionem; quam tamen Chriſti fidelibus ſuadet S. Eccleſia variis graviſſimis de cauſis: nam in illis Regionibus, ubi vini inopia viget, & adeſt hominum multitudo, maximas expenſas facere oporteret, pro aliquot millibus communicantium in uno loco quavis hebdomada, vel menſe ſacro calice reficiendis. *Tertiò*, idem præceptum, ſi daretur, pluribus valdè duram conditionem cauſaret; dum videlicet omnes ex eodem conſecrato calice bibere deberent; quorum tamen plures abhorrent naturaliter cum altero bibere ex eodem vaſe ob alterius oris infectionem, ac immunditiam, ob ſalivæ alienæ influxum, & fœtidos halitus, in calicem immiſſos &c. *Quartò*: ſtante ejuſmodi præcepto Sacramentum hoc exponeretur gravi periculo effuſionis ſanguinis Dominici, tempore videlicet concurſûs communicantium; & eorum, qui cum exigua devotione illud frequentant; quæ omnia inconvenientia omnino probant, non extare ullum ſimile Divinum præceptum, de utraque ſpecie â Laicis ſumenda; unde conſequenter hi licitè ſub una communicare valent.

Probat. *Tertiò*: jam ab exordio inſtitutionis hujus Sacramenti Euchariſtiæ communio ſub unica duntaxat ſpecie fuit miniſtrata aliquibus Chriſti fidelibus: Ergo ſignum eſt, non extare ullum præceptum Divinum de ſumenda à Laicis utraque ſpecie; ſed licitè unam duntaxat poſſe ab iiſdem ſumi. Probat. Ant. ipſemet Chriſtus Luc. 24. dedit aliquibus ſuis diſcipulis in Caſtello Emaus unicam duntaxat ſpeciem; uti conſtat ex illo textu ibidem, *& factum eſt, cum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat eis* &c. Et ita tenent S. Auguſtin. *lib. 3. de conſen. Evang. cap. 25.* Et Chryſoſtomus *hom. 17. oper. imperf.* Theophilactus *in cap. 24. Luc.* Et Hieronymus *in epiſt. Paul. ad Euſtoch.* Idem uſus unius duntaxat, ſpeciei conſtat ex eo, quod temporibus perſecutionum Chriſtiani ſolum Corpus Dominicum ſecum in ædes ſuas deferrent, pro privata ſua communione inſtituenda; uti teſtantur Clemens Alexandrinus *lib. 1. ſtrom.* Et Origenes *hom. 13. Levit.* Et Tertullianus *lib. 2 ad uxorem.* Et Auguſt. *ſerm. 152. de temp.* Hieronymus, Cyprianus, Ambroſius &c. Idem uſus licitus unius ſpeciei ulteriùs conſtat ex eo, quod non ſolùm in domibus privatis tempore perſecutionum; ſed etiam publicè in Eccleſia primitiva porrigeretur Laicis Venerabile Sacramentum Corporis Chriſti duntaxat; Leo enim I. (qui Concilium generale Calcedonenſe confirmavit circa an. 440.) ut detegeret fraudes Manichæorum, ſancivir, ut omnes Chriſti fideles ſub unica duntaxat ſpecie communicarent, ſicque dignoſcerentur Catholici Romani à Manichæis, ex Africa Romam venientibus, & vinum non bibentibus, eò quod putarent illud eſſe fel Draconum, & Principium tenebrarum teſte Auguſtino *lib. de hæreſ. cap. 46.* Idem decrevit Gelaſius ejus Succeſſor. Ergo &c.

Probat. *quartò*: ſumptionem unius duntaxat ſpeciei tanquam licitam probat antiquiſſima conſuetudo Eccleſiæ, etiam Græcæ, quæ jam viguit tempore Concil. Nicæni I. & eandem atteſtantur SS. PP. Clemens Rom. *lib. 8. conſtit. cap. 13.* Et Euſebius *lib. 6. Eccleſ. hiſt. cap. 34.* Et *lib. 50. hom. 26.* Et Hieronymus *apolog. pro libris contra Jovinian.* ac alii SS. PP. paſſim: Ergo &c.

Probat. *quintò*: idem eſt effectus communionis ſub una, ac ſub utraque ſpecie; quia Chriſtus ſub una ſpecie communicanti-

bus promiſit tam bene vitam æternam, quàm communicantibus ſub utraque; nam ſicut Joan. 6. dicit Chriſtus, *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam*; ita paulò poſt *cit. cap.* ait, *qui manducat hunc panem, vivit in æternum.* Et ſicut dicitur ibidem *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ita pariter *cit. cap.* ſubnectitur, *ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*; Ergo ſignum eſt, non extare ſpeciale præceptum Divinum, de utraque ſpecie à Laicis ſumenda.

Probat. *ſextò*: finis ſumptionis Euchariſtiæ obtinetur tam bene per unam, quam per utramque ſpeciem ſumptam; Ergo &c. Probat. Ant. nam ideo ſumitur Euchariſtia, ut ſumens maneat in Chriſto, & totus Chriſtus ſumptus in ipſo, juxta illud Joan. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*; totum autem hoc verificatur per ſumptionem unius ſpeciei, quæ continet integrum Chriſtum videlicet ejus Corpus, & Sanguinem, cum aliis conſtitutivis ejuſdem: nam vivum Corpus nequit eſſe ſinè Sanguine; Ergo &c.

Probat. *ſeptimò*: accedunt graviſſimæ cauſæ, ob quas Eccleſia jam olim vetuit Laicis uſum communionis ſub utraque ſpecie: Ergo agnovit circa talem non extare ullum Divinum præceptum. Probat. Ant. afferendo *potiores cauſas*; quarum *prima* eſt; quia quidam Hæretici, ut Berengarius, antiquitùs negârunt, totum Chriſtum cum Corpore & Sanguine ſub una ſpecie contineri; ſed Corpus ſolum ſub una ſpecie, & Sanguinem ſub altera dicebant contineri; unde utramque ſpeciem eſſe neceſſariam putabant: horum errori ſe oppoſuit Eccleſia, & rationabiliter præcepit communionem ſub una tantùm ſpecie. *Secunda* eſt: quia Huſſitæ, Lutherani, & Calviniſtæ docuerunt, Communionem ſub utraque eſſe de præcepto Divino; quod falſum eſt; ideo contra eoſdem Conſtantienſe Concilium, & Baſilienſe, & noviſſimè Tridentinum decrevit, Communionem ſub una tantùm ſpecie, eſſe à Laicis peragendam. *Tertia*: ad evitandas multas irreverentias, quæ circa SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie à Laicis ſumendum contingebant prohibuit, uſum alterius ſpeciei; nam frequenter in concurſu Fidelium, ſacratiſſimus Sanguis effundebatur ſuper veſtes, barbas, & in terram; maximè in communicatione ſenum, tremulorum, infantum puerorum, infirmorum, & agreſtium perſonarum. Deinde Venerabile ſub ſpeciebus vini non poteſt commodè transportari ad ægros; nec diu conſervari in Altari; ſicut ſub ſpeciebus panis. Multi etiam nauſeant ſpecies vini à natura; his proinde dare Venerabile ſub ſpeciebus vini, videbatur Eccleſiæ periculoſum. Accedit, quòd ſub una etiã ſpecie totus Chriſtus cum Divinitate, Humanitate tota, & Sanguine ſit præſens; Corpus enim vivum Chriſti ſub ſpecie panis eſſe nequit ſinè verò Sanguine, quod eſt alimentum Corporis; aliàs eſſet cadaver. Tandem, vinum pro communicandis tot Laicis in omnibus Regionibus tam commodè haberi nequit. His aliiſque rationibus mota Eccleſia in Conciliis diverſis, maximè Conſtant. & Trident. interdixit Laicis uſum calicis, ſeu alteram ſpeciem Euchariſtiæ.

Objiciunt Hæretici *primò*: Joan. 6. dicitur. *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem* &c. Ergo præcepta eſt communio ſub utraque ſpecie. Reſpondeo *primò*: Neg. Conſeq. nam qui dixit hoc; dixit quoque *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; ut rectè notavit Trident. *ſeſſ.* 21. adeoque cùm etiam uſui unius ſpeciei attribuatur vita æterna: in primo textu, nullum debet eſſe præceptum Divinum de uſu utriuſque ſpeciei. Reſpondeo *ſecundò*: & cum Tridentino explico illum objectum textum dicóque; quòd non debeat intelligi de manducatione, & bibitione ſeorſim ſub ſpeciebus diverſis; ſed ſolùm de reali manducatione Corporis; & bibitione ſanguinis, abſtrahendo à modo; quæ manducatio, & bibitio etiam fieri poteſt, ſub una tantùm ſpecie ſumpta. Reſpondeo *tertiò*: poteſt propoſitio Chriſti intelligi, in ſenſu etiam copulativo, ſeu potiùs diſtributivo; idq́ue ſecundum rigorem Dialecticum hoc modo; *ſi nec manducaveritis carnem Filii hominis; nec biberitis ejus Sanguinem*: nam iſta particula exceptiva *niſi* involuit Negationem; & valet idem, quod *ſi non* (utì etiam expreſſit Græcus) & repeti debet etiam in ſecunda parte propoſitionis compoſitæ; veluti ſi dicatur, *niſi adſit Ceres, & Bachus, friget Venus*; ubi ſenſus eſt, ſi neutrum adſit, friget Venus; cùm alterutrum ſufficiat. Reſpondeo *quartò*: commodè etiam dici poſſet, quod ly *Et* pro *vel* ſumatur, ſicut alibi in Scriptura frequenter ſumitur, maximè Act. 3. *Argentum, & aurum non eſt mihi*, id eſt argentum, vel aurum non eſt mihi: Item Lev. 20. *Patri, matriq́, qui maledixerit, Sanguis ejus ſuper eum*, id eſt Patri, vel Matri, qui maledixerit.

Objicit *Secundò* Calvin. *lib. 4. inſtit. c. 17.* Edictum æterni DEI eſt, ut omnes bibant Matth. 26. *bibite ex hoc omnes*: iiſdem enim dictum

dictum eſt, *bibite*, quibus *manducate*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. ult. propoſitionem Antecedentis; quod iiſdem dictum ſit, *bibite*, quibus dictum eſt *manducate*; ſed ſolis Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus dictum eſt, *bibite omnes*: ideoque Syrus vertit *vos omnes*: & Lucas expreſſit *cap. 22. Dividite inter vos*: ſic ſcilicet, ut in orbem vos omnes Apoſtoli aliquid ex iſto calice bibatis; panem enim conſecratum ipſemet fregerat, & ſingulis dederat; unde hoc impletum fuiſſe teſtatur Marc. 14. *Et biberunt ex eo omnes.*

Inſtat Calvinus: *quô*, inquit, *oraculô revelata eſt vobis illa interpretatio? aut cur meliore illo ſæculo ab Apoſtolis ad 1000. annos poſtea, ſinè exceptione omnes fiebant utriuſque Symboli participes? ignorabatur vetus Eccleſia, quos convivas Chriſtus ad ſuam Cœnam admiſiſſet?* Reſpondeo Ego: Oraculo Spiritûs Sancti, qui propterea promiſſus eſt, & miſſus, ut Eccleſiam ſuam doceret omnem veritatem, etiam in Scripturis abſconditam; & quô edocta Eccleſia, pro rerum, temporum, & locorum varietate Sacramenta diſpenſat, ſalvâ eorum ſubſtantiâ, prout ſuſcipientium utilitati, & Venerationi conſentaneum judicaverit. In ſæculis illis prioribus, quia melioribus, & ſanctioribus, fiebat Communio ſub utraque ſpecie; in hoc ſæculo nequam, quo hæreſes Calvini & Lutheri ſuccreverunt, maximè circa hoc punctum; & in quo charitas, ac reverentia Divinorum refrixit; ſalubriter inſtituit Eccleſia, ut calix Laicis non daretur. Sed nec verum ſupponit Calvinus; quòd nuſquam in Eccleſia veteri fuerit uſus unius tantùm ſpeciei: legat Paulinum *in vita S. Ambroſii* ſcribentem; ab Epiſcopo Vercellenſi ſub una ſpecie Euchariſtiam accepiſſe; legat Amphilochium hoc idem de S. Baſilio in articulo mortis, aſſerentem: legat Cyprianum: *ferm. de lapſis*: & alios: & inveniet, uſum unius ſpeciei viguiſſe, etiam inter illos 1000. primos annos.

Objiciunt *tertiò*: Authoritates quorundam SS. Patrum; ex quibus tamen nil aliud habetur; quàm uſum calicis olim fuiſſe Laicis licitum; cùm necdum eſſet ab Eccleſia interdictus, Quòd ſi ſubinde PP. videantur dicere (tamen apertè uon dicunt) ſanguinem eſſe neceſſariò ſumendum; intelligunt ipſum Euchariſtiæ Sacramentum, quod Corpus, & Sanguinem continet, & indifferenter à Patribus exprimebatur modò nomine Corporis; modò nomine Sanguinis; eò quòd tunc ſub utraque ſpecie permitteretur. Deinde multi ex Patribus agebant contra Manichæos docentes; non licere Sanguinem ſumere ſub ſpeciebus vini; eò quòd vinum eſſet à malo DEO productum, & fel draconum; unde nè Catholici illis conſentire viderentur, SS. Patres docuerunt, Corpus & Sanguinem eſſe ſumendum ſub diverſis ſpeciebus; ſinè tamen obligatione præcepti Divini. Tandem poteſt dici, quòd velint, ſanguinem eſſe ſumendum ſaltèm cum Corpore, in quo continetur.

Objiciunt *quartò*: Authoritatem Gelaſij Papæ cap. 2. *comperimus, de conſecratione, diſt.* 2. ubi, hic Papa deteſtatur perceptionem Sacramenti ſub una tantùm ſpecie; & præcepit, ſumi ſub utraque. Reſpondeo: juxta antiquas gloſſas, quòd hic Pontifex loquatur de ſacrificantibus: & planè conſonat titulus præfixus apud Gratianum. Si autem loquatur etiam de Laicis, (ut quidam volunt.) arguit ſuperſtitionem quorundam, qui more Manichæorum, credentes Chriſtum aſſumpſiſſe Corpus ſinè Sanguine, & vinum eſſe creaturam malam, abſtinebant ſemper a calicis uſu: & huic Reſponſioni favet Parentheſis illius cap. *quoniam neſcio, quâ ſuperſtitione docentur obſtringi.*

Objiciunt *quintò*: Hæretici omnes ad tribunal juſtitiæ appellantes: Chriſtus in ſuo teſtamento legavit omnibus ſuis filiis Corpus, & Sanguinem ſuum: Ergo injuſtè fraudantur paterna hæreditate Laici. Reſpondeo: quod non advertant iſti Advocati appellantes, Hæreditatem nobis relictam, non eſſe panem, aut vinum; aut eorum ſpecies; ſed Corpus, & Sanguinem Domini; quæ defacto etſi ſub una ſpecie dentur, Eccleſia neminem defraudat: qua de cauſa igitur appellant ad tribunal Chriſti? Et quis quæſo cenſendus eſt magis falsâſſe paternum teſtamentum in propoſito? An qui nudam ſubſtantiam panis, & vini dat fidelibus, ſinè vera & reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti? utì facit Calvinus &c. an qui utramque ſinè ulla diviſione omnibus dat in una ſpecie? quòd ultimum facit Eccleſia.

ARTICULUS VIII.
De duplici præſentia Chriſti in Euchariſtia; & Miniſtro ejuſdem Sacramenti.

DIco primò: DEUS poteſt efficere, ut idem numero Corpus Chriſti, quod eſt in Cœlo, ſit eodem tempore verè realiter, ac ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia, ſicque habeat duplicem præſentiam ad Cœlum, & Euchariſtiam. Ita Catholici; contra Calvinum, Bezam &c.

Probat,

Probat. *primò* Matth. 19. dicitur, *apud DEUM omnia poſſibilia ſunt*: Ergo etiam poſſibile eſt, ut efficiat idem numerô Corpus Chriſti, quòd eſt in Cœlo, ſit eodem tempore verè, realiter, & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia. *Secundò*: DEUS potuit efficere, ut idem numerô Corpus Chriſti penetraverit clauſum ſepulchri oſtium Matth. 28. & Januam clauſam Joann. 20. Et Cœlos ad Hebr. 4. quæ non minùs difficillima ſunt, quàm replicare idem numerô Corpus ad diverſa loca Cœli, & Euchariſtiæ: Ergo &c. *Tertiò*: huc faciunt omnes paſſus Scripturæ, ac alia argumènta ſupra *cap. 3. art. 1.* relata, pro reali ac ſubſtantiali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia defacto: & aliunde conſtat, idem Corpus Chriſti non obſtante præſata præſentia in Euchariſtia, adhuc ſimul, & eodem tempore exiſtere in Cœlo; nam poſt Aſcenſionem ſuam Chriſtus ſtabiliter remanet in Cœlo, iuxta illud Actor. *3. quem oportet quidem Cælum ſuſcipere, uſque ad tempora reſtitutionis omnium*, id eſt, uſque ad diem judicij finalis: Ergo DEUS poteſt efficere, ut idem numerô Corpus Chriſti, quod eſt in Cœlo, ſit eodem tempore etiam verè & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia: ſicq́ue habeat duas præſentias diſtinctas.

Objiciunt Hæretici, nequit percipi, quomodo Chriſtus in Cœlo, & ſimul in Euchariſtia poſſit eſſe præſens ſecundùm totam ſuam molem corpoream: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. qui ſecundùm TT. Catholicos, præſentia Chriſti in Cœlo eſt circumſcriptiva, quæ dicit extenſionem localem, & ſitum, ſeu ubicationem partium ad locum cœleſtē; præſentia verò Chriſti in Euchariſtia eſt Sacramentalis, definitiva, per quam res eſt in loco, ſinè extenſione, & commenſuratione partium ad locum; eò fermè modo, quô anima rationalis eſt ſimul in toto Corpore humano, & in omnibus ejus partibus diverſis. Has itaque duas præſentias Chriſto in Cœlo, & in Euchariſtia exiſtenti co[illegible]ire de facili concipi poteſt.

Dico ſecundò: Miniſter conſecrans Sacramentum Euchariſtiæ non poteſt eſſe quivis Chriſtianus Laicus: ſed ſolus Sacerdos. Ita Catholici; contra Lutherum.

Probat. *primò*: ſolis Apoſtolis Sacerdotibus, & conſequenter eorum ſucceſſoribus pariter Sacerdotibus dictum eſt Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis miniſterium, & poteſtas Euchariſtiæ ipſis committitur à Chriſto: Ergo non Laicis. *Secundò*: Concil. Nicænum I. *can. 14.* Et Lateranenſe, & Florentinum docent, ſolos Sacerdotes poſſe validè, & ritè conſecrare Euchariſtiam: Ergo &c. *Tertiò*: perpetua Eccleſiæ traditio, & omnium ſæculorum antiquorum conſenſus uſque ad tempora Lutheri tenet, ſolos Sacerdotes eſſe debitos Miniſtros conſecrationis: Idem ſentiunt SS. Patres paſſim, qui propterea mirificè extollunt Sacerdotium, & Sacerdotes Angelis æquiparant, ſic loquitur Chryſoſtomns, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius Naz. &c. Ergo &c.

ARTICULUS IX.

An Miſſa ſit verum Sacrificium.

NOta primò: nomine Sacrificii intelligitur, *actus externus Religionis, & oblatio rei cum ſui immutatione, facta in ordine ad DEUM immediatè, ſignificans DEI excellentiam, ac ſupremum Dominium cum ſubjectione ſacrificantis ad ipſum.* Ommiſſa diviſione varia Sacrificiorum veteris Legis, in Lege nova Evangelica aliud eſt cruentum; aliud incruentum. *Sacrificium cruentum* eſt, in quo Chriſtus in ara Crucis DEO Patri oblatus eſt pro expiatione noſtrorum peccatorum. *Incruentum* eſt, quô quidem Chriſtus quotidie ſub ſpecie panis, & vini offertur in altari, partim in memoriam cruenti Sacrificij; partim ob alias cauſas. Et hoc vocatur à Catholicis Latinis *Miſſa*, quæ ſic benè deſcribitur, *quòd ſit collectio quædam omnium actionum Religionis, quæ fiunt à principio Sacrificij Euchariſtici uſque ad finem, in quo verum Corpus, & Sanguis Chriſti à legitimo Sacerdote conſecratur, & offertur DEO Patri.* Dicitur porrò hoc Sacrificium à Latinis *Miſſa*; vel quia ſignificat Hoſtiam in Cœlum Miſſam, tanquam holocauſtum à DEO aſſumi; vel quia in Miſſa ad DEUM mittuntur vota & preces. Hoc Sacrificium tremendum mirè blaſphemant Hæretici recentiores Calvin. Luther. & eorum ſequaces. Sed

Dico primò: Miſſa Catholicorum eſt verum, & propriè dictum Sacrificium Legis Evangelicæ, ſtatim à principio Eccleſiæ in uſu poſitum. Ita Catholici; contra Manichæos, Bogomitas, Pſeudo-Apoſtolos, Lollardos, Wiclephiſtas, Lutheranos, Calviniſtas, & Confeſſionem nuperam Anglicanam &c.

Probat. *primò*: S. Litteræ veteris Teſtamenti de hoc Sacrificio novæ Legis Evangelicæ vaticinatæ ſunt; unde Malach. 1. *cap.* dicitur, *ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt Nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda*;

quia

quia magnum eſt Nomen meum in gentibus, dicit Dominus: quod vaticinium de Sacrificio vero Miſſæ intelligendum eſſe docuerunt Irenæus *lib. 4. cap. 32.* Et Chryſoſt. *in Pſal. 95.* Et Hieronymus *in cap. 1. Malach.* Et Auguſtinus de Civitate DEI *lib. 18. cap. 35.* Et Martialis *ad Burdial.* Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: hujus incruenti Sacrificii Euchariſtici ſeu Miſſæ typus, & figura exacta præceſſit in Sacrificio Melchiſedech. *Gen. 14.* ibi, *at verò Melchiſedech Rex ſalem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos DEI altiſſimi) benedixit ei*, ſcilicet Abrahæ. Unde *pſal. 109.* dicitur *juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et revera Sacrificium Melchiſedech fuiſſe verum typum & figuram Sacrificii Miſſæ, quod Chriſtus eſſentialiter inſtituit in Cœna Domini, teſtantur SS. PP. Clemens Alexand. *lib. 4. ſtromat.* Et Cyprianus *epiſt. 63.* Et Euſebius *de monſtrat. Evang. lib 5. cap. 3.* Et Baſilius *ad pſalm. 109.* Et Epiphanius *hær. 55.* Et Ambroſius *lib. 4. de Sacram. cap. 6.* Et Hieronymus *epiſt. 17. ad Marcell.* Et Auguſt. *lib. 4. de doctr. Chriſtiana, cap. 21.* ubi ait, *in Sacerdote Melchiſedech Dominici Sacramenti præfiguratum videmus myſterium* &c. Ergo ſicut oblatio panis & vini à Melchiſedech Sacerdote olim typicè facta fuit verum Sacrificium vetus; ita & oblatio Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini facta in Miſſa Catholica eſt verum Sacrificium novæ Legis. Nec valet effugium Hæreticorum, dicentium, Melchiſedech proferendo panem, & vinum non peregiſſe verum Sacrificium; ſed tantùm præfatis alimentis cibâſſe milites Abrahæ. *Contra* enim eſt, quia illo tempore prolationis panis & vini dicti milites jam comederant, & erant ſaturati ex acceptis cibariis Sodomorum; ut habetur *cap.* 14 Gen. Deinde illam prolationem panis, & vini fuiſſe factam in ordine ad ſacrificandum, patet ex illa cauſali locutione, quæ ibidem additur, *erat enim Sacerdos DEI ſummi*: Et ex communi ſenſu SS. PP. ſignanter Clementis Alexand. *loc. cit.* & Auguſtini *loco cit.* Et Iſidori Peluſotæ *lib. 1. epiſt. 431.* Et Leonis I. *ſerm. 2. anniverſ. aſſump. ſuæ ad Pontif.*

Probat. *tertiò*: S. etiam Scriptura novi Teſtamenti teſtatur adeſſe verum Sacrificium in Miſſa; nam huc collimant verba Salvatoris, in ultima Cœna inſtituentis hoc Sacraficium incruentum, & prima vice incruentè ſacrificantis, *hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. ubi ly *facite* æquipollet verbo *ſacrificate*: ſic enim Scriptura interdum loquitur; ut Leu. 15. *ſumet duos turtures, dabitq; Sacerdoti, qui faciet* (id eſt ſacrificabit) *unum pro peccato, & alterum in holocauſtum*: Cùm ergo in Catholica Miſſa ſecundùm mandatum Chriſti ſacrificetur in ejus commemorationem, & offeratur illud idem, quod ipſe in ultima Cœna obtulit; propterea talis Miſſa cenſenda eſt verum Sacrificium Legis Evangelicæ, ſtatim à principio Eccleſiæ in uſum poſitum. Huc etiam valet dictum Apoſtoli ad Hebr. *cap. 13. habemus altare; de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt*, videlicet Judæi: cùm ergo in Eccleſia ſit altare & de illo Chriſtiani aliqui edant; id eſt Sacerdotes; conſequenter etiam erit in eadem Eccleſia ſacrificium; hæc enim duo connexa ſunt, altare & Sacrificium, quod in altari offertur. Nullum autem aliud Sacrificium congruentiùs aſſignari poteſt, quàm Miſſa; utpote in qua omnia ad verum Sacrificium requiſita obſervantur: Ergo &c.

Probat. *quartò*: Apoſtolica traditio, & omnes vetuſtæ Liturgiæ Apoſtolorum (id eſt publica ſacrificia) quæ ſunt idem quod ritus Miſſæ, probant Miſſam Catholicam eſſe verum Sacrificium Legis Evangelicæ; quales ſunt Liturgia Eccleſiæ Romanæ à S. Petro Apoſtolo tradita; & Liturgia Eccleſiæ Hieroſolymitanæ à D. Jacobo conſcripta; Et Liturgia Eccleſiæ Æthiopicæ à D. Matthæo conſcripta; & Liturgia Eccleſiæ Alexandrinæ. Similiter Sanctiſſimi Doctores, & Patres veteres idem confirmant, qui ſe, & Miſſas celebrâſſe, ſeu panem & vinum in Euchariſtia (utì fit in Miſſa) obtuliſſe; atque hac ratione vera Sacrificia DEO præſtitiſſe; & ab aliis jam à temporibus Apoſtolorum celebratas fuiſſe Miſſas, atteſtantur; ita facit Dionyſius Areop. *cap. 3. Eccl. Hierarch.* Et Clemens Alexandrin. *epiſt. 2.* Et Ignatius Mart. *epiſt. ad Smirnens.* Et Anacletus, Alexander, Teleſphorus, Pius, Anicetus, Soter, & alii ſummi Pontifices priſci. Et Juſtinus *dial. cum Tryp.* ubi ait, *univerſos, qui per nomen ipſius Sacrificia offerunt, quæ JESUS Chriſtus fieri tradidit; hoc eſt in Euchariſtia panis, & calicis, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt, prævertens DEUS, gratos ſibi eſſe teſtificentur.* Et Irenæus *lib. 4. cap. 32.* ubi dicit, *ſed & ſuis Diſcipulis dans conſilium primitias DEO offerre, ex ſuis creaturis, cùm qui ex creatura panis eſt, & gratias egit dicens, hoc eſt Corpus meum, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quàm Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert DEO*: Ergo Miſſa, in qua fit oblatio Corporis Chriſti, eſt verum Sacrificium Legis Evangelicæ. Nec refert quòd SS. PP. veteres præfati, & alii de Sacrificio Legis Evangelicæ loquentes, non utantur,

hoc

hoc nomine *Miſſæ*: ſufficit enim quòd aliô æquipollenti utantur, videlicet vel *oblationis*; utì facit Irenæus *cit. loc.* Vel *Sacrificii incruenti*; uti facit Nazian. *in carmin.* Vel *immolationis.* uti facit Auguſtinus *in pſal. 75.* Vel *miniſtrationis ad altare*; uti facit Ambroſius *lib. 1. de Sacram.* & dicitur Act. 13. ibi, *miniſtrantibus autem illis Domino*, &c.

Probat. *quintò*: plurima Concilia Oecumenica, etiam priſca definierunt, Miſſam Catholicam eſſe verum Sacrificium Legis Euangelicæ; ita fecit Concil. Nicænum I. *can. 14.* Et Toletanum I. *can. 5.* Et Antiſiodorenſe *cap. 8.* Et Lateran. II. Et Florentinum, &c. *Sexto*: in Miſſa adſunt omnia eſſentialiter requiſita ad rationem veri Sacrificii ſupra deſcripti *not. 1.* exercetur enim in ea actus Religionis; cùm per eam præſtetur ſpiritualis, & inſignis cultus Latreuticus DEO: contingit in ipſa mutatio; quia ſubſtantia panis, & vini deſtruitur totaliter, & fit inde Corpus, & Sanguis Chriſti: exprimitur in eadem Miſſa ſupremum Dominium DEI ſuper omnem creaturam; ac ſubjectio ipſius ſacrificantis ad DEUM; uti liquet ex textu S. Canonis in Miſſali Romano, & priſcis Liturgiis regiſtrato: Ergo Miſſa eſt verum Sacrificium Legis Evangelicæ.

Objiciunt Hæretici *primò*: Chriſtus mulieri Samaritanæ Joan. 4. *Reſpondit; venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate*; per quæ verba inſinuat, omnem cultum externum atque adeò Sacrificium in Lege nova ceſſaturum: Ergo &c. Reſpond. per hæc verba Chriſtum tantùm voluiſſe; quòd cæremoniæ carnales, apud Judæos Typicæ, apud Samaritanos verò falſitatibus permixtæ, eſſent ceſſaturæ; & nova cultûs forma, magis ſpiritualis, & vera, externa tamen, inducenda.

Objiciunt *ſecundò*: Chriſtus eſt unicus Sacerdos, & quidem in æternum, teſte Apoſtolo ad Hebr. 7. Ergo in Lege nova non ſunt Sacerdotes Succeſſores; qui offerant; Reſpond. Neg. Conſeq. quia licèt non habeat Sacerdotes Succeſſores æquales in jurisdictione, & authoritate; habet tamen Succeſſores Vicarios, qui poſſunt offerre. Deinde Chriſtus dicitur unus Sacerdos; ſicut dicitur alibi unus Paſtor, & unus Magiſter; & tamen hoc non obſtante ſunt in Eccleſia plures Paſtores, & Magiſtri. Eſt ergo unus per Excellentiam, & Primitatem.

Objiciunt *tertiò*: Calviniſtæ: Sacrificium Crucis habet vim infinitam ſatisfaciendi: Ergo multiplicare tot Sacrificia Miſſæ, non eſt aliud, quam negare virtutem, & ſufficientiam Sacrificii Crucis. Confirmatur ex Apoſtolo ad Hebr. 9. *ſemel ad deſtructionem peccati per Hoſtiam ſuam apparuit Chriſtus, ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Et cap. 10. *Unâ oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos*: ad quid ergo tot Miſſæ, clamat Calvinus? Reſpondeo *primò*: retorquendo argumentum: Sacrificium Crucis habet vim infinitam, & æternam reſpectu omnium hominum: Ergo ad quid Sacrificia Moſaica, & Legis naturæ? Item ad quid ſunt Sacramenta novæ Legis, & Cœna Domini? Reſpondeo *ſecundò*: Nunquid Legem deſtruimus per fidem? abſit; ſed legem ſtatuimus; nunquid Crucem deſtruimus per Miſſam? abſit; cùm Sacrificium Miſſæ nil aliud ſit, quàm continua Crucis commemoratio. Certè nullus magis evertit Crucem Chriſti, quàm Hæreticus; qui memoriam ejus obliterat. Habet quidem Sacrificium Crucis virtutem infinitam moraliter, pro infinitis, ſi eſſent, culpis expiandis; & ideò meritò dicit Apoſtolus; fuiſſe ſemel oblatum, nunquam reiterandum: ſed re ipsâ non ſignificat, nec exhaurit peccata; niſi quibus ritè applicatur (non enim omnibus immediatè applicatur ſeipsô; aliàs omnes homines eſſent ſalvandi) per nil autem meliùs applicatur virtus Sacrificii cruenti Crucis, quàm per Sacrificium hoc Euchariſticum incruentum, in memoriam prioris potiſſimè inſtitutum; ſicut & Calvinus habet neceſſe fateri; nec Sacrificium Crucis cuiquam prodeſſe, niſi cui per verbum DEI, & Cœnam Domini, tanquam per ordinata media applicatur, ſinè ullo præjudicio infiniti ejus valoris.

Objiciunt *quartò*: Nullum Sacrificium, ſæpiùs iteratum, perficit cultores: ut habet Apoſtolus ad Hebr. 7. ſed Sacrificium Miſſæ ſæpiùs iteratur: Ergo &c. Reſpondeo *primò*: etiam fides de Cœna Hæreticorum ſæpiùs iteratur; ergo nec illa perficiet ipſos Hæreticos, nec ipſis proderit. Reſpondeo *ſecundò*: quòd Apoſtolus ibi declaraverit hoc intereſſe inter Sacrificia Moſaica, & Sacrificium Crucis Chriſti; quòd illa, tametſi ſæpiùs iterata, non poterant per ſe perficere & ſanctificare Judæos; Sacrificium verò Crucis ſemel oblatum, per ſe fuit ſummi valoris; & ideò ſufficientiſſimum ad juſtificandos omnes, quibus debitè applicatur; quæ applicatio in antiqua Lege per Sacrificia, & Sacramenta illius Legis fiebat; nunc verò per Sacramenta Eccleſiæ, & Sacrificium Miſſæ.

ARTI-

ARTICULUS X.

An Sacrificium Miſſæ ſit propitiatorium ?

DIco primò: Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium pro peccatis. Ita Catholici; contra Manichæos, Arianos, Lutheranos, & Calviniſtas.

Probat. *primò* : S. Scriptura indicat, hoc Sacrificium pro ſuo effectu habere propitiationem peccatorum; unde Luc. 22. de eodem dicitur, *hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Et Matth. 26. *hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum* : ubi notandæ ſunt illæ particulæ *tradetur*, & *effundetur in remiſſionem peccatorum*, quæ propitiationem ab hoc Sacrificio provenientem ſignificant : Ergo &c. Præterea ad Heb. 5. habetur, *omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad DEUM, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis* &c. Et *propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis* &c. Quibus verbis rurſus pro effectu hujus Sacrificii Euchariſtici Miſſæ affertur peccatorum expiatio, ſeu propitiatio : Ergo &c.

Probat. *ſecundò* : SS. Patres paſſim atteſtantur Sacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium pro peccatis: unde Cyrillus Hieroſym. *cat. 5. myſtag.* illud appellat, *propitiationis Hoſtiam*. Et Cyprianus vocat, *ad totius hominis vitam, ſalutemq́; inſtitutum medicamentum*. Et Origenes *commemorationem, quæ propitium fecit hominibus DEUM*. Et S. Baſilius *in ſua Liturgia* ſic orat: *Da Domine & pro omnibus noſtris peccatis, & populi tui ignorantia acceptabile, & ſuſceptibile fieri Sacrificium noſtrum*. Et S. Chryſoſtomus *in Liturgia Conſtantinopolitana*, ſic, *fac nos dignos offerendo tibi preces, & Hoſtiam incruentam pro univerſo populo, pro peccatis noſtris, & ignorantiis*. Et Ambroſius *exhort. ad Virg.* ſic orat: *Fiet tibi in odorem ſanctificationis omne Sacrificium, quod in hoc templo fide integrâ, piâ ſedulitate defertur; & cùm ad illam reſpicis Hoſtiam ſalutarem, per quam peccatum hujus mundi aboletur, reſpicias etiam ad has piè Hoſtias Caſtitatis* &c. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: ad Hæb. 9. dicitur *ſinè Sanguinis effuſione non fit remiſſio*. Et cap. 10. *ſanctificati ſumus per oblationem Corporis JESU Chriſti ſemel*: Ergo nulla ampliùs in Eccleſia reſtat oblatio vera, & multò minùs propitiatorium Sacrificium. *Secundò* : cedit in injuriam Sacrificii Crucis, ſi dicatur, Sacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium : Ergo &c. *Tertiò* : non poteſt unus pro altero baptizari in propitiationem peccatorum : Ergo neque celebrare Miſſam propitiatoriam. *Quartò* : ſaltem Miſſa pro particulari perſona, hac vel illa non eſt propitiatoria; ſed pro tota Eccleſia. Nec merces dari debet pro ea. Reſpondeo *ad primum*: Neg. Conſeq. nam his, & ſimilibus textibus tantùm ſignificatur vera Chriſti in Cruce oblatio, ſemel jam peracta, per quam Chriſtus plenariam omnium peccatorum veniam pro omnibus hominibus promeruit, ut proinde nulla aliâ tali cruenta oblatione indigeamus. Cum hoc autem ſtat, quòd præterea etiam exſtent alia inſtrumenta à DEO ordinata, per quæ virtus, & efficacia illius oblationis, ſeu Sacrificii cruenti Crucis pro univerſis hominibus ſufficientiſſimè his, vel illis fidelibus applicetur; & tale eſt Sacrificium Miſſæ propitiatorium pro peccatis ; item Sacramenta, Baptiſmus &c. *Ad ſecundum* : Nego Ant. nam ut mox dictum eſt, Sacrificium incruentum Miſſæ non eſt inſtitutum, neq; peragitur eo fine, ut per illud denuò promereatur peccatorum remiſſio ; uti Hæretici, falsò imponunt Catholicis; nam hoc jam factum ſufficienter eſt per Sacrificium cruentem Crucis; ſed ut peccata his, vel illis fidelibus remittantur virtute Crucis, & Paſſionis Chriſti; quod nihil aliud eſt, quàm ut Chriſtus tanquam Sacerdos meritum Sacrificii DEO Patri per Miniſtros Eccleſiæ offerat, ut Pater his, vel illis fidelibus propter merita Paſſionis ſuæ peccata remittat, ac alia dona illis largiatur; quod virtuti Sacrificii Crucis nullam irrogat injuriam ; ſicut nec Paſſionis Chriſti præjudicat, quòd ipſe ad dexteram Patris ſedens perpetuè ſalvet Electos, ipſis in virtute Paſſionis à Patre quotidie impetrando ſalutem, & Patrem pro eis interpellando, uti dicitur ad Hebr. 7. *Ad tertium* : Neg. Conſeq. nam Sacramentum Baptiſmi ex ſua inſtitutione habet, quòd tantùm proſit ſuſcipienti, & non conferenti illud, ſicut regulariter omnia alia Sacramenta ſub hac ratione ſunt conſtituta à DEO. At Sacrificium Miſſæ ex ſua inſtitutione habet, quòd non tantùm celebranti; ſed & illis, pro quibus celebratur, proſit; uti conſtat ex illo ad Hebr. 5. *Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* *Ad Quartum* : Nego Ant. nam ſicut poſſunt fieri orationes aliæ non tantùm pro Eccleſia in Generali; ſed etiam pro particularibus perſonis ; uti patet ex

illo 2. ad Theſſal. 3. ubi Apoſtolus pro ſe orari rogat, dicens, *orate pro nobis, ut ſermo DEI currat, & ut liberemur ab importunis, & malis hominibus*: ita etiam celebrari licitum erit pro hac vel illa particulari perſona; ſicque Miſſa pro tali etiam erit propitiatoria. Præterea hoc idem patet ex mox *cit. textu.* ad Hebr. 5. Quod deinde addit Calvinus; non poſſe dari mercedem pro Miſſa celebrata, verum eſt, ſi merces detur pro Miſſa per modum venditionis ejuſdem Sacrificii; hoc enim eſſet Simonia: nec Catholici ſub hac ratione mercedem dant pro Miſſis: ſi verò aliquid detur pro Miſſa, ut Sacerdos vitæ ſuæ neceſſaria inde procurare valeat; hoc vetitum non eſt; imò tale quid dandum eſſe oſtendit Apoſtolus ex Sacerdotum veteris Legis ſubſidio 1. ad Cor. 9. dicens, *neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui Altari deſerviunt, de Altari participant: ità & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* &c.

ARTICULUS XI.

De Miſſis privatis.

Dico primò: licitum, & bonum eſt celebrare Miſſas privatas, etiam extra Eccleſias; in decentibus locis tamen, ad hoc permiſſis. Ita Catholici; contra Lutherum, Kemnitium, Calvinum.

Probat. *primò*: Chriſtus primum Miſſæ Sacrificium tanquam privatum in loco privato cœnaculi celebravit; uti conſtat ex *cap.* 14. Matth. Et *Apoſtoli quotidie frangebant panem circa domos*. Ergo &c. *Secundò*: in primitiva Eccleſia tempore perſecutionis Summi Pontifices, & alii Sacerdotes uſque ad tempora Sylveſtri nunc in cryptis, nunc in cæmeteriis, nunc in ædibus piorum Divina faciebant, & celebrabant Miſſas; uti conſtat ex vetuſtis Hiſtoriis Eccleſiaſticis, & aliis Authenticis: Ergo &c. *Tertiò*: idem ſentiunt SS. PP. qui praxim celebrandi Miſſas privatas etiam extra Eccleſias referunt, & non damnant: ſic D. Auguſtinus narrat, *lib. 22. de Civit. DEI cap. 8.* quòd in domo privata Tribunitij à ſpiritibus malis jam noxia perpeſſa, unus ex Presbyteris S. Corpus Domini obtulerit &c. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: SS. PP. reprobant Miſſas privatas: unde Baſilius *in pſal. 115.* ait, *non in latebris deliteſcens ſacrificabo; ſed publicum exhibebo tibi ſacrificium*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad S. Baſilium dico, ipſum illis verbis non reprobare Miſſas privatas, more Catholico ſolitas celebrari: ſed agere ibi contra Hæreticos ſui temporis, qui impiè in ſpuriis Eccleſiis Sacrificium offerebant, ſegregati ab unitate Eccleſiæ; unde addit *loc. cit.* ſequentia verba, *audite qui Eccleſiam relinquitis, & in publicis domibus verſati miſeras facitis Corporis pretioſi ſciſſuras.*

Dico ſecundò: licitum quoque, & bonum eſt quotidie celebrare Miſſas privatas. Ita Catholici; contra eoſdem Hæreticos.

Probat. *primò*: ex Act. 2. conſtat, Apoſtolos quotidie celebrâſſe Miſſas privatas; nam ibi dicitur, *quotidie frangebant panem circa domos*. Idem patet ex dicto S. Andreæ Apoſtoli, *in ejus vita* relati, quò dictus S. Andræas alloquitur Ægeam Proconſulem, *ego omnipotenti DEO, qui unus & verus eſt immolo quotidie, non taurorum carnes &c. ſed immaculatum agnum in altari Crucis*, &c. *Secundò*: eadem praxis quotidie celebrandi licitè Miſſas privatas conſtat ex S. Hyppolito, *orat. de Anti-Chriſto.* Et S. Auguſtino *epiſt. ad Bonifacium* dicente, *nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo; & tamen in Sacramento, non ſolùm per omnes Paſchæ ſolemnitates; ſed omni die populis immolatur*: Ergo &c.

Dico tertiò: licitum etiam eſt celebrare Miſſas privatas, in quibus nullus fidelium aſſiſtentium communicat; imò & illas, in quibus, præter Miniſtrum, nullus alius homo aſſiſteret. Ita Catholici contra eoſdem Hæreticos.

Probat. *prima pars*: nullum extat præceptum Divinum, quò adſtringuntur fideles Miſſis privatis aſſiſtentes communicare: Ergo Miſſæ tales celebrari poſſunt licitè, tametſi in eis nullus fidelium aſſiſtentium communicet. Præterea de oblatis in veteri Lege non participabat populus; ſed ea igne abſumebantur Leu. 6. Ergo nec neceſſe eſt, ut populus Chriſtianus in Lege nova per communionem toties quoties participet de oblatis Sacrificio Miſſæ privatæ. Tandem ex SS. PP. conſtat, populum Miſſæ aſſiſtentem non ſemper communicâſſe; quamvis ad hoc idem SS. PP. adhortati fuerint, propter inſignem fructum talis communionis frequentis; uti conſtat ex D. Chryſoſtomo *ſerm. 3. in epiſt. ad Epheſ.* Et S. Ambroſio *lib. 5. de Sacram. cap. 4.* Et D. Auguſtino *epiſt. 118. ad Januarium*: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: in prima Miſſa, Cœnæ Domini omnes Apoſtoli communicârunt: Ergo idem facere debent omnes alii Chriſtiani ſub quavis Miſſa privata. *Secundò*: *can. peracta, de conſecrat, diſt. 2.* dicitur, *peracta conſecratione omnes communicent.* *Tertiò*: SS. PP. impellunt ad quotidianam communionem;

nem; ut Chryſoſtomus. *hom. 3. in epiſt. ad Epheſ.* &c. Ergo &c.

Reſpondeo *ad primum* : Neg. Conſeq. nam plura facta ſunt circa illam primam Miſſam Cœnæ Dominicæ, quæ ex præcepto Divino alii fideles præſtare non tenentur audiendo Miſſas privatas : ſic præceſſit Miſſam Chriſti Lotio pedum Diſcipulorum ad quam fideles non obligantur : item conſecratio poſt aſſumptos alios cibos uſuales primùm peracta fuit; quòd non fit modò: Item Chriſtus voluit ſolos duodecim Apoſtolos habere præſentes illi Miſſæ, & non hoſpitem domûs, vel alios ibidem commorantes : quæ reſtrictio tamen non ſervatur hodie cum auditione Miſſæ privatæ : Quarè, quamvis in prima Miſſa Chriſti omnes Apoſtoli auſcultantes eam communicaverint; non ſequitur tamen, quòd alii quoque hodie Miſſæ aſſiſtentes communicare teneantur ex aliquo Divino præcepto. *Ad ſecundum* dico ; illum Canonem tantùm eſſe conditum contra quoſdam, qui ex ſuperſtitione quadam, vel intemperantia averſabantur S. Canonem ; unde tales mandato præfatô jubebantur communicare peracta conſecratione. Vel dici poteſt, quòd ille Canon non ſit præceptorius ; ſed tantùm admonitorius de frequenti communione, ſub Miſſa facienda *Ad tertium* eſt eadem reſponſio, quòd videlicet SS. PP. ſolùm ſuadeant, & adhortentur aſſiſtentes Miſſæ ad faciendam Communionem, quam ſi omitterent, non propterea illicitam facerent Miſſæ privatæ celebrationem.

Probat. *ſecunda pars concluſionis* ; Tum quia ad rationem Sacrificii non pertinet pluralitas auditorum ejus. Tum quia nullum extat præceptum nec Dominicum, nec Eccleſiaſticum, quò inhiberetur Miſſæ celebratio, niſi in præſentia plurium auſcultantium eam. Tum quia in pluribus Conciliis ordinatum fuit, ut ſaltem unus Miniſter aſſiſteret celebranti; adeoque ſupponunt Miſſam abſque pluribus poſſe celebrari : quamvis congruentiùs ſit, ut plures Miſſæ audiendæ aſſiſtant.

CAPUT IV.
De Pœnitentia.

ARTICULUS I.
An detur Sacramentum Pœnitentiæ ?

NOta primò : Sacramentum Pœnitentiæ rectè ſic deſcribitur , *quod ſit abſolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote juriſdictionem habente, efficaciter ſignificantibus abſolutionem animæ à peccatis* : Hoc Sacramentum à PP. vocatur aliquando *expiatio* ; aliquando *purificatio*; aliquando *renaſcentia* ; aliquando *reformatio* ; aliquando *Baptiſmus laborioſus*, ſeu *lachrymarum*; aliquando *ſecunda poſt naufragium tabula* ; aliquando *reconciliatio* ; & aliquando *exomologeſis*, &c.

Dico primò : datur revera Sacramentum verum pœnitentiæ, quâ miſericordia DEI ; & peccatorum remiſſio à DEO obtineri poteſt. Ita Catholici ; contra Montaniſtas, Novatianos, Calviniſtas. &c.

Probat. *primò* : Joan. 20. habetur hujus Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutio , ibi , *dixit eis, iterum pax vobis; ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet inſſlavit, & dixit eis: accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis : & quorum retinueritis retenta ſunt* : quibus verbis ſignificantur omnia, quæ neceſſariò requiruntur ad rationem hujus Sacramenti; videlicet *primò* ; in Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus eſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis, quam in recto importat hoc Sacramentum; *ſecundò* ; hanc poteſtatem reſpicere peccata , & aliquos actus pœnitentis illius, qui abſolvendus eſt ; nimirum Contritionem Confeſſionem, & Satisfactionem, quæ omnia habent rationem materiæ hujus Sacramenti. *Tertiò* ; indicatur etiam forma; nam remiſſio peccatorum, quæ fit in hoc Sacramento, exprimi & fieri debet mediantibus verbis aliquibus, formam componentibus. *Quartò* ; notatur effectus ejuſdem Sacramenti, qui eſt peccatorum remiſſio : Ergo datur Sacramentum Pœnitentiæ, quô peccatorum remiſſio à DEO conſequi poteſt. Præterea de hoc eodem Sacramento intelligitur illud Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram*, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunq; ſolveritis ſuper terram, *erunt ſoluta & in Cœlo.* Item 2. ad Cor. 2. *cap.* D. Paulus monet illum inceſtuo-

ſum per pœnitentiam reconcilliari; quod fit mediante hoc Sacramento: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: S. Litteræ paſſim faciunt mentionem de Pœnitentia, tanquam de re proficua, & ad remiſſionem peccatorum ordinata; ac de miſericordia DEI per eandem pœnitentiam conſequenda; unde dicitur Ezech. 18. *nolo mortem peccatoris; ſed magis ut convertatur, & vivat.* Et Eccleſ. 21. *fili peccaſti, nè adjicias iterum; & de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur.* Et Iſai. 55. *derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad DEUM noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Et Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt* &c. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*: Ergo dari poteſt Pœnitentia, quâ remiſſio peccatorum, & DEI miſericordia poſſit obtineri; quod in Lege nova fit efficaciter per Sacramentum Pœnitentiæ: Ergo tale datur.

Probat. *tertiò*: Priſca Concilia Oecumenica, contra Novatianos Congregata, damnant oppoſitam doctrinam Hæreticorum; ſic fecit Nicænum, *cap.* 8. ſuorum decretorum. Et Romanum ſub Cornelio Papa, teſte Euſebio Cæſar. *lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 34.* Ergo &c. *Quartò*: conſtans praxis, & uſus inconcuſſus Eccleſiæ etiam primitivæ tenuit, extare in Lege Evangelica verum Sacramentum Pœnitentiæ, quô peccatorum remiſſio, & DEI miſericordia conſequi poſſit, uti conſtabit ex SS. PP. mox citandis: Ergo &c.

Probat. *quintò*: SS. PP. priſci Latini, & Græci aſſeruerunt uno ore Sacramentum Pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum ordinatum: Ergo &c. Probat. Ant. ita fecit Tertullianus *lib. de Pœnit.* circa medium, ubi inter cætera ait, *collocavit in veſtibulo Pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefacit.* &c. Et Cyprianus *lib. de lapſis.* Et *lib. 3. epiſt. 15.* Et Ambroſius *lib. 1. de pœnitent. cap. 2.* Et Hieronymus *lib. 1. adverſus Pelag.* Et Auguſtinus *epiſt. 180. ad Honor.* ubi Sacramentum Pœnitentiæ *reconciliationem* vocat dicens, *an non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis verò Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipſius actionem omnibus Conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem?* Et Epiphanius *hæreſ. 30.* Et Clemens Alexand. *lib. 2. ſtromat.* Et Gregorius Nazian. *orat. 39.* ubi Pœnitentiam appellat *Lachrymarum Baptiſmum.* Et Chryſoſtomus *in epiſt. ad Hebr. cap. 6.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Fideles lapſi poſt Baptiſma non egent ullô novô Sacramentô ad remiſſionem peccatorum; ſed ſufficit, ut in memoriam reducant, ſe eſſe Baptizatos; & hac viâ excitentur ad fidem, quâ peccata remittuntur: Ergo &c. *Secundò*: ad Hebr. 6. dicitur, *impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donũ cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs S. &c. Et prolapſi ſunt rurſus renovari ad Pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium DEI*, &c. Ergo poſt Baptiſmum non datur ampliùs locus Pœnitentiæ, & veniæ; & conſequenter nullum Sacramentum Pœnitentiæ extat pro his.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam 1. Joan. 1. dicitur etiam de peccantibus poſt Baptiſma, *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*: quibus verbis Apoſtolus Joannes agit de remedio ad remiſſionem peccatorum, & in ordine ad hoc applicandum non monet, ut fideles in memoriam tantùm reducant Sacramentum Baptiſmi, & hac ratione excitent fidem remiſſivam peccatorum; ſed ut actu confiteantur; quòd fit per Sacramentum Pœnitentiæ. *Ad Secundum* gloſſô allatam Scripturam ad Hebr. 6. & dico, Apoſtolum ſolùm velle aſſerere, quòd illi, qui poſt Baptiſmum prolapſi ſunt in peccata, non poſſint renovari iterum per Sacramentum Baptiſmi, & propriè regenerari: cum quo ſtat, quòd iidem poſſint renovari, & expiari per aliud Sacramentum, ſcilicet Pœnitentiæ.

ARTICULUS II.

De Confeſſione requiſita ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Nota primò: Confeſſionem ad propoſitum ſic bene deſcribi, quòd *ſit delinquentis hominis præſentis accuſatio Sacramentalis, legitima, de propriis peccatis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute clavorum.* Hanc Lutherus impiè appellat *crudeliſſimam carnificinam.* Et Calvinus *inventum hominum* circa tempora Innocentii III. Sum. Pontificis excogitatum, quod eſt mendacium groſſum.

Dico primò: ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè peragendum in relapſis poſt Baptiſmum requiritur neceſſariò Confeſſio Sacramentalis ſpecifica, homini facta. Ita Catholici; contra Novatianos, Wiclephiſtas, Lutheranos, Calviniſtas, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat,

Chriſtum

Chriſtum Petto dediſſe claves, ſeu poteſtatem judicandi peccatores pœnitentes; unde dicitur Matth. 16. *tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Idem conceſſit aliis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Sacerdotibus Matth. 18. & Joan. 29. ibi, *accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata* &c. Sed hæc poteſtas exerceri nequit, niſi præcedat ſpecifica Confeſſio peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ; nam Judex nequit judicare niſi cognitâ causâ in ſpecie: Ergo ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè peragendum requiritur neceſſariò Sacramentalis Confeſſio ſpecifica homini facta, quæ eſt cauſæ, ſeu peccatorum ſpecifica explicatio. Præterea ſtatim temporibus Apoſtolorum Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrabatur cum prævia Confeſſione Sacramentali ſpecifica homini facta; nam Act. 14. dicitur, *multiq; credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos*: ubi hæc verba *actus ſuos* ſpecificam Confeſſionem ſignant. Et ideò etiam dicitur Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Et 2. ad Cor. 5. *dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Et infra *poſuit in nobis verbum reconciliationis; pro Chriſto ergo Legatione fungimur*: Ergo Confeſſio Sacramentalis prævia ſpecifica eſt neceſſaria ad hoc Sacramentum.

Probat. *ſecundò*: jam priſca Concilia agnoverunt Confeſſionis Sacramentalis ſpecificæ præviæ neceſſitatem in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ perficiendum; & in ſpecie Concil. Laodicenſe; VI. Synodus Conſtantinopolitanæ; Concil. Cabilonenſe; Turonenſe; Rhemenſe; Moguntinum; Vormacenſe, &c. Idem patet ex perpetuo Eccleſiæ etiam primitivæ uſu, & praxi, quam SS. PP. veteres, mox citandi, referunt &c.

Probat. *tertiò*: SS. PP. priſci utriuſque Eccleſiæ atteſtantur neceſſitatem, & praxim Sacramentalis Confeſſionis ſpecificæ homini factæ; ut videre eſt apud Irenæum *lib. 1. cap. 9.* Et Origenem *hom. 2. & 3. in Levit.* Et *hom. 17. in Luc.* ubi ait, *ſi enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata noſtra non ſolùm DEO; ſed & his, qui poſſunt mederi* (ſcilicet Sacerdotibus) *vulneribus noſtris atque peccatis, delebuntur peccata noſtra, ab eo qui ait, ecce delebo ut nubem iniquitates tuas* &c. Et apud Athanaſium *in ſerm. ſuper verba Evangelii, profecti in pagum, qui ex adverſo eſt* &c. Et Baſilium *interrog. 288.* ubi ait, *neceſſariò iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum DEI: ſiquidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos certimus ſecutos fuiſſe; quando & in Evangelio ſcriptum eſt, quòd Joanni confitebantur peccata ſua, & in Actis Apoſtolis ipſis, à quibus etiam baptizabantur cuncti*: Et Gregorium Nyſſ. *lib. 7. art. 3.* Et Chryſoſtomum *hom. 20. in Geneſ.* Et Tertullianum *lib. de Pœnit.* Et Auguſtinum *lib. 50. homiliarum hom. 12.* ubi ait, *in omnibus Scripturis Divinis fratres dilectiſſimi, utiliter & ſalubriter admonemur, ut peccata noſtra debeamus jugiter, & humiliter, non ſolùm DEO; ſed etiam Sanctis, & DEUM timentibus confiteri; ſic enim per Jacobum Apoſtolum nos admonet Spiritus S. dicens, confitemini alterutrum peccata veſtra.* Et infra, *DEUS noſter &c. vult, ut ea confiteamur in hoc ſeculo, ne pro illis poſtea confundamur in futuro*: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: ad remiſſionem peccatorum obtinendam in Sacramento pœnitentiæ ſufficit Confeſſio Generalis, quâ peccator fateatur in genere DEO, ſe eſſe peccatorem: Ergo &c. *Secundò*: Chriſtus abſolvit illam peccatricem mulierem ſinè prævia auriculari ſpecifica Confeſſione: Ergo &c. *Tertiò*: SS. PP. aliqui dicunt ſufficere Confeſſionem, ſoli DEO factam; unde Chryſoſtomus *hom. 2. in pſal. 50.* dicit, *peccata tua dicito, ut deleas illa; ſi confunderis alicui dicere, quæ peccâſti, ut dicito ea quotidie in anima tua; non dico, ut confitearis conſervo tuo, qui exprobraret; dicito DEO, qui curet ea.* *Quartò*: eſt impoſſibilis illa ſpecifica enumeratio peccatorum, nimiumque anguſtiaret conſcientiam: Ergo talis non requiritur.

Reſpondeo *ad primum* Nego Ant. cujus falſitas clarè patet ex illo Act. 19. *confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Quæ verba ſpecificam enumerationem, & Confeſſionem actuum peccaminoſorum Paulo factam clarè indicant; & idem conſtat ex addita ibi ſpecificatione talium actuum, *multi autem ex iis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus* &c. Deinde cum Confeſſio tendat ad abſolutionem obtinendam Sacerdotis, eidem præviè cauſa tota in ſpecie, circa quam ſententia abſolutionis pronuntianda eſt, detegi debet; ut proportionatè ſententia pronuntietur. *Ad ſecundum* Neg. Conſeq. nam Chriſto ut DEO aliunde conſtabat peccata illius mulieris peccatricis, nimirum per Scientiam ſupernaturalem; quòd in Sacerdotibus hominibus puris non contingit; ac proinde his facienda eſt prævia Confeſſio ſpecifica peccatorum, ut eadem debitè abſolvere valeant. *Ad tertium* Neg. Ant. & gloſſo S. Chryſoſtomum, dicoque ipſum ſolùm loqui de aliquâ publicâ Confeſſione, non Sacramentali, humano jure introducta, quæ olim fieri ſolebat; ſed eandem jam Nectarius

Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſuus anteceſſor abrogaverat, propter multas inconvenientias, ex ejuſmodi Confeſſione ſolitas oriri: Cum quo ſtat, quòd Confeſſio ſpecifica privata, ſeu auricularis Sacramentalis neceſſaria ſit ad obtinendam abſolutionem peccatorum. *Ad quartum.* Neg. Ant. nam ad ejuſmodi enumerationem peccatorum ſufficit diligentia moralis, qualem homines in aliis rebus magni momenti, & quæ ipſis curæ ſingularis ſunt, ſolent adhibere; quæ diligentia abſque angoribus conſcientiæ perfici poteſt: in reliquis deinde peccatis, memoriæ non occurrentibus pœnitens dicere debet cum Pſalmiſta Regio Pſal. 50. *ab occultis meis munda me Domine.* Et ea per generalem clauſulam Confeſſori exponere; quod ſufficit ad purgandam conſcientiam, & Sacramentum ritè complendum.

ARTICULUS III.

De ſatisfactione pro pœnis peccatorum remiſſorum.

Dico primò: poteſt Viator redimere pœnas temporales, remanentes & ſibi iminentes poſt peccatorum remiſſionem; & pro iiſdem pœnis ſatisfacere per opera bona. Ita Catholici; contra Calvinum, Lutherum, Confeſſionem Anglicam nuperam, &c.

Probat. *primò*: plures paſſus S. Scripturæ indicant, peccatores per opera aliqua bona poſſe redimere pœnas temporales ipſas debitas; puta per Eleemoſynam, de qua dicitur Dan. 4. *quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua Eleemoſynis redime.* Et de eadem dicitur, Tob. 4. *Eleemoſyna ab omni peccato liberat.* Et Luc. 11. *quod ſupereſt date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Item per Jejunium, quô Ninivitæ redemerunt totalem ſuum interitum Jon. 3. *cap.* Item per Opera Miſericordiæ, & Fidei, Proverb. 15. *per miſericordiam, & fidem purgantur peccata*: Ergo &c. *Secundò*; reatum pœnarum temporalium poſſe redimi per bona opera pœnalia, orationes, converſionem ad DEUM &c. Conſtat ampliùs ex claris DEI promiſſionibus 2. *Paralip. cap. 7.* ubi dicitur, *converſus autem populus meus, ſuper quos invocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſieris faciem meam, & egerit Pœnitentiam à viis ſuis peſſimis; & ego exaudiam de Cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum*, ſcilicet à pœnis temporalibus ſiccitatis, devaſtationis, locuſtæ, & peſtilentiæ, immiſſis propter peccata, de quibus ibidem præmittit. Idem conſtat ex promiſſione facta, Jerem. 18. ibi, *ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: SS. PP. etiam Priſci, communi conſenſu docent, viatorem poſſe per opera laborioſa, pœnalia, & flectus &c. item per orationes, jejunia, miſericordiæ exhibitionem, & ſimilia, impetrare à DEO remiſſionem pœnarum temporalium: unde Auguſtinus *hom. ult. in 50. homil. cap. 5. non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat DEO per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, cooperantibus eleemoſynis*, &c. Et propterea Cyprianus *lib. 5. epiſt. 40.* ait, *Dominus longâ, ac continuâ ſatisfactione placandus eſt; ſi quis autem Pœnitentiam agere, & DEO ſatisfacere detrectans ſeſe hæreticæ factioni conjunxerit, ſciat ſe ad Eccleſiam redire poſſe.* Eandem doctrinam de remiſſione pœnarum temporalium, per opera ſalutaria obtinenda proponit, & aſſerit Clemens Rom. *conſtit.* Apoſt. *lib. 2. cap. 16.* Et Juſtinus *q. 74.* Et Irenæus *lib. 4. cap. 26.* Et Tertullianus *lib. de pœnit. cap. 5.* Et Caliſtus *epiſt. 2.* Et Origenes *in Exod. homil. 6.* Et Baſilius *hom. 3.* Et Hilarius *in Pſal. 118.* Hieronymus, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianz. Innoc. I. *epiſt. 1. cap. 7.* & innumeri alii veteres SS. PP. Ergo Viator poteſt ſatisfacere pro pœnis temporalibus.

Objiciunt Hæretici *primò*: Chriſtus jam ſatisfecit pro nobis omnibus; unde injuriam Chriſto facit Viator, qui per aliqua opera bona conatur ſatisfacere pro ſuis pœnis temporalibus. *Secundò*: ex S. Litteris conſtat, peccata nobis gratìs condonari à DEO Iſai. 48. ſed hoc non eſſet verum, ſi pœnæ temporales ipſis annexæ poſſent à nobis redimi, & pro ipſis à nobis ſatisfieri: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*; verum eſt Chriſtum ſatisfeciſſe tam pro peccatis noſtris, quàm pœnis eiſdem correſpondentibus; non tamen taliter, ut illa ſatisfactio, in nobis habeat plenum effectum, ſinè nobis, ſeu noſtra cooperatione. Itaque ſicut quamvis Chriſtus ſatisfacerit pro genere humano; adhuc tamen omnes homines ſuſcipere debent Baptiſma, & fidem, quibus ſibi applicent meritum illius ſatisfactionis: ita pariter ut fructus illius ſatisfactionis applicetur nobis, ex parte noſtra neceſſaria ſunt opera bona, quibus redimamus pœnas temporales, peccatis noſtris debitas: quare dum Viator reatu ſimilium pœnarum obnoxius ponit ejuſmodi opera, non cenſetur ſa-

tur facere ullam injuriam Chriſto Redemptori, & ſatisfactori. *Ad Secundum* dico; etiam ex S. Litteris conſtat Prov. 16. Et Dan. 4. Et Luc. 7. peccatorum remiſſionem fieri per bona opera. Itaque tametſi peccatorum, & pœnarum temporalium remiſſio fiat per opera bona ſatisfactoria; adhuc tamen ſufficienter dicentur gratuita ſeu gratis fieri; unde Neg. Min. quia cùm DEUS nobis fidem, & Pœnitentiam gratis inſpiret; item gratis nos admittat ad ſuam amicitiam, gratis nobis culpam & reatum mortis æternæ condonet; inſuper gratis infundat gratiam, per quam pro pœnis temporalibus poſt culpæ dimiſſionem, ſatisfacimus; propterea peccatorum noſtrorum condonatio Jure meritò dicitur gratis fieri. Cum quo tamen ſtat; quòd eadem peccata ſub alia ratione etiam cenſeantur redimi à peccatore per opera ſatisfactoria.

CAPUT V.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

NOta primò: bene deſcribitur Sacramentum Extremæ Unctionis, quòd *ſit Unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus Corporis, cum oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote, ſimul certa verba cum intentione debita proferente, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium peccatorum.*

Dico primò: Extrema Unctio eſt verum Legis Evangelicæ Sacramentum, à Chriſto inſtitutum. Ita Catholici; contra Waldenſes, Albigenſes, Lutheranos, Calviniſtas, ac alios Novatores.

Probat. *primò*. Jac. 5. dicitur, *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleò in nomine Domini; & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit remittuntur ei*: Ex quo textu Concilia Oecumenica, Florentinum, & Tridentinum, Innocent. I. & III. ac plerique Patres, probant, dari Sacramentum verum Extremæ Unctionis. Et meritò: quia in citatô textu aſſignantur omnia requiſita ad rationem veri Sacramenti; nam pro ſigno ſenſibili, ſeu materia, & forma, aſſignatur *Unctio, & Oratio*: pro Miniſtro *Presbyter*; pro effectu *remiſſio peccatorum*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: Concluſio conſtat ex pluribus Conciliis, eam definientibus: ſic determinat Concilium vetuſtum Cabilonenſe, tempore Caroli Magni celebratum *cap. 48.* Et Concilium Senonenſe, *cap. de Extrema Unctione*. Et Concilium Moguntinum, *cap. 34.* Et Florentinum, Ergo &c.

Probat. *tertiò*: ex antiquis PP. Dionyſ. Areopagita *cap. de Eccleſiaſtica Hierarch.* in fine; qui tempore Chriſti, & Apoſtolorum vixit. Et ex Origene Hom. *2. in Levit.* qui vixit ann. 230. Et Ephrem. *lib. de vita ſpirituali, cap. 71.* qui vixit ann. 390. Et Chryſoſtomo *lib. 3. de Sacerdotio*. Et Auguſtino *ſerm. 215. de tempore*: & clariſſimè ex Innocentio *lib. ad Decentium Eugub. cap. 8.* ſedente in ſede D. Petri tempore Auguſtini: qui omnes Extremam Unctionem perpetuò in Eccleſia practicatam agnoſcunt; eique peccatorum remiſſionem, alleviationem, ac rationem veri Sacramenti adſcribunt: Ergo &c. Ex his concluditur, vanam eſſe Hæreticorum calumniam, dicentium nullam apud Veteres reperiri hujus Sacramenti mentionem.

Probat. *quartò* congruentiâ Scoti: DEUS non minùs providit fidelibus ſuis in minori, quàm in maxima neceſſitate conſtitutis: maxima autem eſt neceſſitas Sacramenti alicujus in articulo mortis, ob Dæmonis tentationes, Divini judicii timorem, futuri ſtatûs incertitudinem: Ergo ſicut in initio vitæ providit de Baptiſmo; in medio viæ de pœnitentia; ſic in fine vitæ de Sacramento Extremæ Unctionis: atque adeo Extrema Unctio eſt verum Sacramentum, à Chriſto inſtitutum.

Objiciunt Hæretici *primò*; nuſquam legitur inſtitutio Divina Extremæ Unctionis pro Sacramento vero Legis Evangelicæ; nam ex allegato textu S. Jacobi (quô potiſſimè utuntur Catholici) ſolùm habetur, quòd Jacobus Apoſtolus illud inſtituerit: Ergo &c. *Secundò*: Innocentius I. Papa primò inſtituit hunc ritum unctionis infirmorum: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Ant. nam Eccleſia etiam primitiva, & SS. PP. priſci citati *probat.* 3. Extremam Unctionem agnoſcunt pro Sacramento, ab ipſomet Chriſto inſtituto; & volunt Jacobum *loc. cit.* tantùm promulgâſſe ampliùs ejus ritum, atque Cæremoniam. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam *ex probationibus pro concluſione adductis* patet, Ritum hunc, ſeu Extre-

Extremam Unctionem jam fuiſſe in uſu à tempore Chriſti, & Apoſtolorum: Et propterea habetur etiam in antiquiſſimo Concil. Niceno I. *can. 69.* ut annis ſingulis ſacrum Oleum infirmorum, quod eſt materia hujus Sacramenti, renovetur, & benedicatur.

CAPUT VI.

De Sacramento Ordinis.

ARTICULUS I.

De Ordine, ut eſt Sacramentum Legis Evangelicæ.

NOta primò: Ordo ſumitur dupliciter; *primò* pro ipſo effectu, reſultante ex collatione Sacramenti Ordinis, ſeu ordinationis; ſeu pro gradu aliquo in Eccleſia; quo ſenſu ſic bene definitur à Scoto 4. *diſt. 14. quæſt. un.* quòd *ſit inſtitutio alicujus in gradu Eccleſiæ præeminenti, cui convenit aliquod miniſterium circa Euchariſtiam exhibendam, facta ab idoneo Miniſtro, certa verba proferente, & ſimul cum intentione debita miniſterium gradûs illius aliquô ſignô ſenſibili repræſentante, ex intentione Divina efficaciter gratiam præeminentem, quô ordinatus dignè miniſterium aliquod exequatur.*

Dico primò: Ordo ut capiter pro ordinatione, eſt verum Legis Evangelicæ Sacramentum. Ita Catholici; contra Meſſalianos, Lutherum, Calvinum, Illyricum, Confeſſionem Anglicanam, &c.

Probat. *primò*: S. Litteræ faciunt mentionem de Sacramento ordinis: unde de ordinatione Epiſcoporum, & Sacerdotum, quæ fit per impoſitionem manuum, tanquam ſignum ſenſibile Sacramentale dicitur, Act. 13. *tunc jejunantes, & orantes, imponentesq; eis manus, dimiſerunt eos*; ubi ſecundùm SS. PP. Paulus, & Barnabus ordinati ſunt in Epiſcopos, & Presbyteros. Similiter de eadem Sacerdotali Sacramentali ordinatione, dicitur 1. ad Tim. 4. *manus citò nemini impoſueris.* Et quòd hujuſmodi impoſitio manuum fuerit revera ſignum Sacramentale gratiæ collativum, & conſequenter verum Sacramentum, conſtat ex illo 1. ad Tim. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyteri.* Et illo alio 2. ad Tim. 1. *propter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam DEI, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum* &c. Tandem etiam eadem S. Scriptura facit memoriam de ordinatione Sacramentali Diaconorum; nam Act. 6. dicitur, *orantes impoſuerunt ipſis manus.* Et de mandato Generali, ac inſtitutione Divina hujus Sacramenti, habetur Act. 13. *ſegregate* (ait DEUS) *mihi Saulum, & Barnabam.* Et Act. 20. *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos* &c. Et ad Eph. 4. *& ipſe dedit quoſdam Apoſtolos &c. alios autem Paſtores, & Doctores* &c. Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: SS. PP. etiam primitivæ Eccleſiæ, aſſerunt ordinem quatenus eſt ordinatio quædam in Miniſterium Eccleſiæ, eſſe verum Legis Evangelicæ Sacramentum; ita facit Clemens *lib. 3. conſtit. Apoſt. cap. 10.* Et Dionyſius Areopag. *lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 5.* Et Ignatius *epiſt. ad Tral.* Et Gregorius Nyſſen. *orat. de S. Bapt.* Et Cyprianus *lib. de card. Chriſti oper. cap. de ablut. pedum.* Et S. Auguſtinus *lib 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13.* ubi ait, *utrumque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur.* Et Gregorius Magnus *lib. 4. in cap. 10. libri 1. Reg.* dicit *Sacrorum ordinum Sacramenta ab Eccleſia Doctoribus foris accipimus; ſed Sacramentorum virtute ab Omnipotente DEO interius roboramur; virtus verò Sacramenti gratia eſt Spiritûs ſeptiformis*: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici ſignanter Lutherus: omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes, & uncti ex Baptiſmo in Sacerdotes, ſinè ullo alio Sacramento ordinis; unde dicitur 1. Pet. 2. ad omnes Chriſtianos, *vos eſtis genus electum, Regale Sacerdotium.* Et Apoc. 6. *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes DEO, & Patri ſuo*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad authoritates Scripturæ dico; omnes Chriſtianos impropriè, & ſenſu ſpirituali tantùm dici Sacerdotes; ſicut dicuntur etiam templum DEI 1. ad Cor. 3. *templum DEI ſanctum, quod eſtis vos*; quia omnes Chriſtiani offerunt DEO fidem, orationes, & membra ſunt unius ſummi Sacerdotis Chriſti: ideo appellantur hac ratione Sacerdotes. Audi Auguſtinum *lib. 20. de Civit. DEI, cap 10.* illud Apoc. 20. *ſed erunt Sacerdotes DEI, & Chriſti* &c. exponentem,

tem, *non utique de ſolis Epiſcopis, & Presbyteris dictum eſt, qui propriè jam in Eccleſia vocantur Sacerdotes; ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus per myſticum chriſma; ſic omnes Sacerdotes; quoniam membra ſumus unius Sacerdotis; de quibus Apoſtolus Petrus, plebs inquit ſancta, regale Sacerdotium.*

ARTICULUS II.

De ordine ut importat varios gradus Eccleſiaſticos.

DIco primò: ſtatim à principio Eccleſiæ viguerunt veri iſti ordines, Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, & Oſtiariatus. Ita Catholici; contra Lutherum, Calviniſtas, Anglicanam Eccleſiam, &c.

Probat. *de antiquitate, & exiſtentia Epiſcopatûs*: nam de hoc ordine Act. 20. dicitur, *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Et de eodem ait Ignatius Mart. *epiſt. ad Philad. boni ſunt Sacerdotes, & ſermonis Miniſtri; melior autem eſt Pontifex, cui credita ſunt ſecreta, & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere prætendent*: Ergo &c.

Probat. *de Presbyteratu*: de antiquitate hujus Ordinis conſtat ex illo 1. ad Timot. 5. *qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Et de eodem dicit Tertullianus *lib. de Bapt. dandi habent jus Baptiſmum ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: de hinc Presbytero* &c. Et Ignatius *cit. epiſt.* ait, *qui enim extra altare conſtitutus eſt, extra Epiſcopum, & Presbyterum, & Diaconos aliquid agens, qui talis fuerit, pollutus eſt conſcientiâ, & eſt deterior infideli* &c. Ergo &c.

Probat. *de antiquitate Diaconatûs*: de hoc vetuſtiſſimo ordine S. conſtat ex Act. 6. ubi leguntur Diaconi fuiſſe deputati pro menſis: & de horum numero erant Stephanus, & Philippus, qui faciebant ſigna, & prodigia magna in populo. Et de iiſdem Miniſtris Eccleſiæ dicitur 1. ad Timot. 3. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos* &c. Et Clemens Rom. de ipſis pariter facit mentionem *lib. 8. conſtit. Apoſt.* dicens, *Diaconus non benedicit, non dat benedictionem; accipit autem ab Epiſcopo, & Presbytero.* Et Cyprian. *ferm. 5. de lap. ubi verò ſolemnibus adimpletis Diaconus præſentibus offerre capit*, &c. Ergo &c.

Probat. *de antiquitate ſubdiaconatûs, & aliis quatuor Ordinibus Minoribus Lectoratûs*, &c. nam horum facit mentionem Ignatius Mart. vicinus Apoſtolorum temporibus *epiſt. ad Antioch.* dicens, *ſaluto ſanctum Presbyterorum Collegium, ſaluto ſacros Diaconos, ſaluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores laborantes, Exorciſtas Confeſſores* &c. Et Euſebius Cæſar. *lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 35.* dicit, *iſtum lepidum Evangelii Patronum Novatum omnino præteriit* &c. *in qua tamen non ignorabat Presbyteros eſſe quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas, ac Lectores unà cum Oſtiariis quadraginta duos* &c. Eorundem meminit Hieronymus *in cap. 2. ad Tit.* Et Concilium Romanum *cap. 7.* anno 320. celebratum. Et Concil. Laodicenſe *can. 24.* celebratum anno 360. Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum conſiſtunt in meris calumniis, ac mendaciis; quibus ſuadere conantur, Ordines, maximè Minores, primitivæ Eccleſiæ fuiſſe incognitos: quæ falſa eſſe, conſtat ex mox relatis teſtimoniis Ignatii, & Clementis, ad primitivam Eccleſiam annis ſuæ vitæ accedentes.

CAPUT VII.

De Sacramento Matrimonii.

ARTICULUS I.

An Matrimonia ſint licita?

NOta primò: bene deſcribitur Matrimonium, ut dicit tantùm contractum, quemdam, quòd *ſit maris, & feminæ mutua translatio Corporum ſuorum, pro uſu perpetuo ad procreandam prolem, debitè educandam.* Prout verò ſimul rationem Sacramenti (uti habet inter Chriſtianos) ſic, *eſt expreſſio certorum verborum, vel ſignorum æquivalentium maris & feminæ, ad ſe invicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum, ad prolem debitè procreandam, ex inſtitutione Divina*

efficaciter ſignificans gratiam, conferendam mutuò contrahentibus, ad conjunctionem mutuam animorum.

Dico primò: Matrimonia, & Nuptiæ ſunt licitæ. Ita Catholici; contra Tarianos, Encratitas, Marcioniſtas, Manichæos, Picarditas, Adamianos, Aërianos, Apoſtolicos, & alios priſcos Errones.

Probat. *primò*: Chriſtus Joan. 2. legitur Nuptiis interfuiſſe, adeoque ſuâ præſentiâ authentizavit eaſdem tanquam licitas. Præterea ſi Nuptiæ eſſent malæ (uti comminiſcuntur citati Hæretici) ergo DEUS eſt author malorum; cùm eaſdem inſtituerit, dicens Geneſ. 1. *creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Item Chriſtus Matth. 19. nuptiarum inſtitutionem probat tanquam licitam, dicens, *non legiſtis, quia qui fecit hominem, ab initio maſculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc ergo relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro: quod ergo DEUS conjunxit, homo non ſeparet.* Rurſus Nuptiæ, ſeu Matrimonium 1. ad Cor. 7. vocatur *honorabile connubium, & thorus immaculatus*: quæ prædicata ipſi non darentur, ſi eſſet illicitum: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: Concilia priſca Nuptias agnoſcunt eſſe licitas; & hæreticos eaſdem damnantes damnant; ita facit Concil. Gangrenſe *cap.* 14. Et Concil. Braccarenſe *1. cap.* 11. &c. Eaſdem licitas reputant SS. PP. etiam veteres, præſertim Cyrillus Hieroſolymitanus *cat. 4. ibi neque rurſus, cùm magnoperè ſtudes temperantiæ, ſis inflatus adverſus illos, qui occupati ſunt Nuptiis; nam & hi mundi ſunt; honorabile enim conjugium, & thorus immaculatus*, dicit Apoſtolus. Et Tertullianus *de Monog. cap. 5.* Et Hieronymus *lib. adverſus Jovinian. cap. 1.* Et Auguſtinus *lib. 1. de nupt. & concup. cap. 10.* ubi ait, *quoniam ſanè non tantùm fœcunditas, cujus fructus in partu eſt; nec tantùm pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verùm etiam quoddam Sacramentum Nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis; unde dicit Apoſtolus, viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam*: Ergo &c. *Tertiò*: Hæretici damnantes Nuptias ſeipſos damnant; cùm geniti ſint ex muliere præviis Nuptiis. Et ſi Nuptiæ illicitæ ſint, quomodo generis humani propagatio licitè fiet; quæ tamen ab aliquibus fieri debent, dicente DEO, *creſcite & multiplicamini* &c.

Objiciunt Hæretici: Matrimonium eſt malum: Ergo non eſt licitum. Probat. Ant. in Matrimonio exercentur actus concupiſcentiæ, quæ Joan. *1. cap. part. peccatum*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad Prob. ejus dico, S. Joannem loqui de concupiſcentia inordinata & illicita, ac contra legem DEI, vel rectam rationem exercita; in Matrimonio autem exercetur concupiſcentia licita circa propriam uxorem.

Dico ſecundò: etiam ſecundæ Nuptiæ ſunt licitæ. Ita Catholici; contra Cataphryges, Montaniſtas, Novatianos, Catheros, ac Græcos Schiſmaticos.

Probat. Deut. 25. non tantùm permittuntur, imò & demandantur ſecundæ Nuptiæ; adeoque cenſentur eſſe licitæ; dicitur enim *loc. cit. quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; ſed accipiet eam Frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* Et 1. ad Cor. 7. Apoſtolus ſecundas Nuptias licitè fieri poſſe affirmat dicens, *mulier alligata eſt Legi, quanto tempore vir ejus vivit; quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt. à Lege; cui autem vult nubat, tantùm in Domino.* Et plures viri ſancti, ac probæ mulieres ad ſecundas Nuptias tanquam licitas tranſierunt; nec propterea inculpantur à Scriptura; ut Abraham, qui poſt mortem Saræ uxoris primæ, duxit Cethuram, Gen. 25. Et Ruth mulier, quæ mortuô virô ſuô primô Noëmi, nupſit ſecundo Booz, Ruth *cap.* 4. Et Sara uxor Thobiæ junioris, quæ ad octavas Nuptias cum dicto Tobia tranſiit: Ergo &c.

ARTICULUS II.

An Matrimonium ſit verum Sacramentum?

Dico primò: Matrimonium legitimè initum eſt verum Legis Evangelicæ Sacramentum. Ita Catholici; contra Armenos, Lutheranos, Calviniſtas, Confeſſionem Anglicanam, & Helveticam &c.

Probat. *primò*: S. Scriptura Matrimonium appellat Sacramentum ad Epheſ. 3. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Deinde in Matrimonio adſunt omnia eſſentialiter requiſita ad rationem Sacramenti; nam ipſum eſt ſignum quoddam ſenſibile à DEO ordinatum pro Sacramento; cùm ſit cæremonia à DEO inſtituta Gen. 1. ac à Chriſto deinde elevata ad rationem Sacramenti, quando dixit Matth. *19. quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet.* Eſt ſignum rei ſacræ, quia eſt ſignum unionis ſacræ inter Chriſtum & Eccleſiam; uti conſtat ex illo *ad Epheſ. 5.* mox citato. Habet annexam gratiam, quam

quam explicat D. Paulus 1. ad Tim. 2. quadruplicem; contra quatuor mala, quæ ſinè gratia DEI in Matrimonio nequeunt evitari, ibi, *ſalvabitur conjunx per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione, cum ſobrietate*; quæ quatuor contra perfidiam, odium, immunditiam, & intemperantiam militant: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: perpetua Eccleſiæ traditio Apoſtolica per SS. PP. inconcuſsè aſſerta tenet, Matrimonium eſſe Sacramentum Legis Evangelicæ: unde dicit Clemens Alex. *lib. 3. ſtromat. quòd ſi Lex S. eſt, ſanctum eſt Matrimonium, Sacramentum ergo hoc ad Chriſtum, & Eccleſiam ducit Apoſtolus.* Et Tertullianus *de monog. cap. 5.* ait, *Chriſtus unam habens Eccleſiam Sponſam ſecundùm Adam & Evæ figuram, quam Apoſtolus in illud magnum Sacramentum interpretatur in Chriſtum, & Eccleſiam competiſſe.* Et Hieronymus *in Coment. epiſt. ad Epheſ.* in illa verba *Sacramentum hoc magnum eſt*, dicit, *& quia non omnia æqualia Sacramenta ſunt; ſed eſt aliud Sacramentum majus, & aliud minus; propterea nunc dicit, Sacramentum hoc magnum eſt.* Et Auguſtinus *lib. de fid. & oper.* ait, *in civitate Domini, in monte ſancto ejus, hoc eſt Eccleſia, Nuptiarum non ſolùm vinculum; ſed etiam Sacramentum commendatur.* Videatur, etiam Clemens Rom. *lib. 6. conſtit. Apoſt. cap. 8.* Et Ignatius Mart. *epiſt. ad Philip.* Et Irenæus *lib. 1. cap. 1.* omnes priſci Patres: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici, *primò*: unum Sacramentum Legis Evangelicæ non repugnat alteri: ſed Matrimonium repugnat Sacramento Ordinis Sacerdotalis, qui habet annexum cælibatum: Ergo &c. *Secundò*: ad Epheſ. 5. ubi Apoſtolus Matrimonium vocat Sacramentum (in quo ſe fundant Catholici) in Græco legitur *Myſterium*: Ergo inde non rectè probatur eſſe Sacramentum.

Reſpondeo *ad Primum*; diſt. Min. Matrimonium repugnat jure Divino Sacramento Ordinis Sacerdotalis Neg. Min. Jure Eccleſiaſtico Conc. Min. Itaque Matrimonium eſt ſimpliciter compatibile cum Sacerdotio, quantum eſt ex ratione Sacramenti: Eccleſia tamen illud rectè denegat Sacerdotibus; propter impedimenta, & ſæculares curas, quæ ipſum conſequuntur, ac ab obſequio Divino retrahunt, dicente Apoſtolo, *qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* *Ad ſecundum*, concedunt etiam Latini Catholici, Matrimonium eſſe *Myſterium*: cùm autem omnia Sacramenta ſint, & vocentur *Myſteria* ſecundùm Græcos, ideo hoc non tollit à Matrimonio rationem Sacramenti.

ARTICULUS III.

An Polygamia plurium ſimul Conjugum ſit licita Chriſtiano?

Dico primò: Polygamia plurium uxorum, vel maritorum ſimul eſt omnibus Chriſtianis Jure Divino prohibita. Ita Catholici; contra Machometanos, Adamitas, & Anabaptiſtas.

Probat. *primò*: 1. ad Cor. 7. dicitur, *mulier ſui corporis poteſtatem non habet; ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet; ſed mulier*: ex quo habetur, quod neque vir, neque mulier poſſit ſe in alias tradere Nuptias; ſicque Polygamia plurium uxorum, vel maritorum ſimul cenſetur prohibita Chriſtianis. Item ad Rom. 7. dicitur, quòd *vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro*; non cenſeretur autem mulier adultera, ſi Polygamia plurium virorum ſimul eſſet Chriſtianis licita: Ergo &c. Item Matth. 19. de conjugibus mandativè dicitur, *erunt duo in carne una*; & non dicitur, erunt tres aut quatuor in carne una: quod tamen dici poſſet ſtante Polygamiâ licitâ: Ergo &c. Item 1. ad Cor. 7. præcipitur, *præcipio non ego; ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere*: cenſeretur autem à viro ſuo diſcedere, ſi præterea adhuc aliis licitè conjungi poſſet: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: ab Exordio Eccleſiæ Chriſtianæ ſemper viguit Monogamia, & reprobata fuit Polygamia tanquam illicita; uti docent SS.PP. præſertim Hieronymus *in comment.* ſuper illa Matth. 19. verba, *propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Et lib. 1. contra Jovin. ubi ait, *una coſta à principio in unam mulierem verſa eſt; & erunt, inquit, duo in carne una; non dixit tres neque quatuor: alioquin non duo, ſed plures. Primus Lamech Sanguinarius, & homicida unam carnem in duas diviſit uxores; fratricidium & bigamiam eâdem Cataclyſmi pœnâ delevit.* Idem docet Chryſoſtomus *hom. 63. ſuper Matth.* Et Theophilactus *in comment.* ſuper Matth. Et Innocentius III. ut refertur *in cap. gaudemus de divortiis*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: valdè rationabiliter Polygamia in Lege Evangelica eſt prohibita; nam unitas uxoris magìs conducit educationi prolis; ſinceriori inter conjuges affectui; paci,

ac concordiæ domeſticæ: ſimiliter unitas mariti magìs prodeſt generationi prolis, aliiſque bonis matrimonialibus: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: in veteri Lege vigebat Polygamia uxorum, etiam apud S. viros; ut Patriarchas Abraham, Iſaac, Jacob, David &c. Ergo Chriſtianis hæc non debet prohiberi in Lege nova. Reſpondeo Neg. Conſeq. nam alia planè ratio eſt habenda de tempore veteris, & de tempore novæ Legis; nam, ut ait Auguſtinus *lib. de bono conjug. cap. 15. non eſt nunc propagandi neceſſitas, quæ tunc fuerat, quando & parentibus conjugibus alias propter copioſiorem poſteritatem ſuperducere licebat; quod nunc certè non licet.* Itaque in veteri Lege permiſit DEUS Polygamiam plurium uxorum, ut populus electus, & verum DEUM confitens, aliàs numerô paucus, copioſiùs multiplicaretur; maximè quando homines ampliùs non attingebant tam longam annorum ſeriem: unde hac DEI promiſſione fulti Abraham, alii juſti coluerunt Polygamiam, ex cauſa publica; *non victi libidine, ſed ducti pietate,* ut ait Auguſtinus *cit. lib. cap. 15.*

ARTICULUS IV.
An Matrimonium conſummatum ſit aliqua ratione diſſolubile?

DIco primô: Matrimonium legitimum conſummatum ob nullam cauſam, etiam fornicationis, vel adulterii commiſſi diſſolvi poteſt. Ita Catholici; contra Montanum, Lutherum, Calvinum, Anabaptiſtas &c.

Probat. *primò*: S. Scriptura paſſim aſſerit indiſſolubilitatem hujuſmodi Matrimonii; & eam inſtituentes, ac alteri ſeſe aſſociantes adulterii reos pronuntiat; unde dicitur 1. ad Cor. 7. *mulier alligata eſt Legi, quanto tempore vir ejus vivit &c.* Et ibidem, *qui Matrimoniô juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere, &c.* Et rurſus ibidem, *igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Et Marc. *10. quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alium ſuſceperit, mœchatur*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: SS. Concilia, etiam priſca, dogmatizant præfatam indiſſolubilitatem, & ſtatuunt graves pœnas contra ſolventes Matrimonia; unde dicitur in Concil. Libertino *can. 4. mulier quæ ob viri adulterium alteri nupſerit, non recipiatur ad Communionem, niſi poſt mortem prioris mariti.* Et in Canon. Apoſtorum *can. 44.* ſinè ulla exceptione, excommunicari jubetur ille, qui uxore dimiſſâ, aliam ducit. Idem ſemper apud veros Chriſtianos obſervavit Eccleſiæ praxis perpetua. SS. quoque PP. etiam primitivi adſtruunt præfatam indiſſolutionem Matrimonii conſummati; ut videre eſt apud Origenem *tract. 7.* ſuper Matth. Et Clementem Alexand. *lib. 2. ſtromat.* Et Evariſtum (qui vixit tempore Diocleti. & Nervæ Traiani) *epiſt. 2.* Et Chryſoſtomum *hom. 17.* ſuper Matth. Et *ſerm. de lib. repud.* ubi ait, *quando ergo licebit illi ſecundas Nuptias contrahere? tunc ubi à catena liberata fuit, quando vir morietur ſolùm.* Et Auguſtinum *lib. 2. de adult. conjug.* ubi dicit, *hæc verba* (ſcilicet quæ habentur 1. ad Cor. 7. mulier alligata eſt Legi &c.) *toties repetita, toties inculcata vera ſunt, ſana ſunt, plena ſunt, nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit; eſſe autem deſinit uxor prioris, ſi moriatur vir ejus; non ſi fornicetur.* &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Chriſtus Matt. 19. inſinuat, Matrimonium poſſe diſſolvi ob fornicationem alterius Conjugis; unde dicit, *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur &c.* Ergo &c. *Secundò*: in Jure Canonico *can. ſi qua mulier, cauſ. 31. q. 1.* dicitur, quòd vir poſſit dimittere uxorem, quæ ſibi mortem machinaretur, & aliam, ſi voluerit ducere. *Tertiò*: eſt tantùm Lex humana, & hæc dura nimis, quâ innocens conjunx prohibetur ſolvere Matrimonium, & inire aliud, ſi alter adulteriô polluerit thorum: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum.* Neg. Ant. & ad Scripturam Matth. 19. dico cum S. Auguſtino *lib. 2. de adult. conjug. cap. 9.* illa verba non importare aliquam exceptionem, quaſi exciperetur caſus fornicationis, quô ſecutô alter conjunx innocens poſſet dimittere uxorem ſuam: ſed important quamdam limitationem, ſeu reſtrictionem; ut ſenſus ſit, nec etiam ob fornicationem poſſe dimitti uxorem. Deinde gloſſo aliter illum paſſum Scripturæ, & dico, illum loqui de dimiſſione quoad cohabitionem, & thorum, propter fornicationem ſecutam; ut ſenſus ſit, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, quod non licet, etiam quoad cohabitationem, & thorum, niſi per fornicationem; & aliam duxerit ex quacunque alia cauſa, mœchatur. *Ad Secundum* illud capitulum Juris Canonici dico, illud corruptè allegari ab adverſariis; nam in genuinis exemplaribus ſic habetur, quòd talis vir poſſit aliam uxorem ducere; ſed poſt mortem primò uxoris; quod è contra ibidem non conceditur

tur mulieri in pœnam criminis, ſeu machinationis mortis. *Ad Tertium*: Neg. Ant. nam hanc eſſe Legem Divinam patet ex argumentis, *prob. 1.* ſupra relatis. Nec ejuſmodi Lex dura videri debet Luthero; cùm quivis volens contrahere Matrimonium in libertate ſua habeat, illud contrahere, vel non contrahere, ſi autem ſemel elegerit hanc ſortem, ejuſdem quoque eventus contrarios, ut conjugis fornicationem, &c. patienter tollerare debet; nec propterea Matrimonium diſſolvere quoad vinculum.

ARTICULUS V.

An licitus ſit promiſcuus concubitus?

Dico primò: ſub nullo prætextu licitus eſt promiſcuus concubitus, ſeu coitus carnalis fœminarum. Ita Catholici; contra Simonem Magum, Saturninianos, Nicolaitas, Florianos, Bicardos, Adamitas, & Waldenſes.

Probat. *primò*: promiſcuus concubitus fœminarum aut exercetur cum uxore alterius; aut cum libera; ſed uterque eſt illicitus, & damnatus à Lege Divina; primus quidem, quia importat adulterium, morte puniendum Lev. 20. ibi, *ſi mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriatur, & mœchus & mœcha.* Idem prohibetur in decalogo; ibi, *non concupiſces uxorem proximi tui* &c. Secundus quoque concubitus eſt illicitus, & damnatus ab eadem Lege DEI; quia continet fornicationem, quæ inter illicita, & peccaminoſa opera recenſetur Matth. 15. ibi, *de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes* &c. Et ad Gal. 5. ibi, *manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia* &c. Et 1. ad Cor. 6. damnatur hic concubitus *nolite errare; neque fornicarii, neque idolis ſervientes* &c. *Regnum DEI poſſidebunt.* Et Deut. 23 apertè prohibetur tanquam malus; ibi, *non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec Scortator de filiis Iſrael; quia abominatio eſt utrumque ad Dominum DEUM tuum.*

Probat. *ſecundò*: ex promiſcuo concubitu plura mala ſequuntur, puta incertitudo, & conſequenter abjectio prolis; rara procreatio prolis; coitus filii cum matre; & patris cum filia, quod natura abhorret, & Lex Divina damnat: Ergo &c. *Tertiò* SS. PP. paſſim damnant adulteria, & fornicationes, & conſequenter omnem promiſcuum concubitum; ut Chryſoſtomus *hom. 63. in Matt.* Et Theophilactus *in comment. ſuper Matth*: Et Hieronymus *in comment. ſuper Matth.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: in Geneſi demandatur multiplicatio hominum ibi, *creſcite & multiplicamini*; quod plurimùm fit per concubitum promiſcuum: Ergo ad hunc effectum cenſetur permiſſus promiſcuus concubitus. Reſpondeo Diſt. Ant. demandatur multiplicatio hominum, fienda per quemcunque concubitum Neg. Ant. per concubitum conjugalem Conc. Ant. Itaque illa verba directa ſunt ad Adam & Evam veros conjuges; & ad eorum poſteros legitimo pariter conjugio copulatos; non ad quoſcunque homines.

LIBER V.

Continens Controverſias de effigiatione & cultu SS. Imaginum; de cultu S. Reliquiarum; & Crucis Chriſti; de cultu & invocatione SS. de Canonizatione; Beatitudine; Feſtis, Templis; Jejuniis; aliiſque bonis operibus, & peregrinationibus.

CAPUT I.
De Effigiatione & cultu SS. Imaginum.

ARTICULUS I.
An liceat effigiare Imagines SS. DEI, ac Sanctiſſimæ Trinitatis?

NOta primò: nomine *Imaginis* hìc intelligitur aliqua Sculptura, vel Pictura, vel ſimile effigiatum, quod prototypon, ſeu verum hominem ſanctum, quoad exteriorem figuram, ſeu lineamenta imitatur. Differt *ab Idolo*, quòd illud ſit ſtatua, vel ſimile quid, quod repræſentat DEUM falſum, qui revera non eſt.

Dico primò: licitum eſt effigiare Imagines Sanctorum. Ita Catholici; contra Judæos Thalmudiſtas, & Iconoclaſtas, Bogomotos, Machometanos, Calviniſtas, &c.

Probat. *primò*: S. Litteræ atteſtantur, DEUM ipſum mandâſſe, ut effigientur SS. Angelorum Imagines: Ergo licita eſt earum effigiatio; Probat. Ant. Exod. 25. dixit Dominus ad Moyſen, *duos quoque Cherubin aureos, & productiles facies ex utraque parte Oraculi.* Et 3. Reg. 7. dicitur, quod *Salomon fecit in Oraculo duos Cherubin*: Ergo &c. *Secundò*: S. Angeli ſæpius in ſpecie virorum, vel juvenum leguntur apparuiſſe; ut Gen. 19. ubi dicitur, *venerunt duo Angeli Sodomam.* Et per totum cap. 32. Gen. ubi etiam dicitur, quòd *vir* (ſcilicet Angelus) *luctabatur cum Jacob.* Et Matth. 28. Et Marc. 16. Et Luc. 22. Et Joan. 20. narratur Angelus apparuiſſe ad Sepulchrum in die Dominicæ Reſurrectionis. Item Act. 10. Et Apoc. ſæpius: Ergo eoſdem S. Angelos licet in eadem figura effigiare.

Probat. *tertiò*: perpetua traditio, & uſus Eccleſiæ etiam primitivæ obtinuit, ut Imagines SS. effigiarentur; uti atteſtatur VII. Synodus generalis, ſeu Conc. Nicænum II. quod potenter promovit Imaginum cultum. Et SS. PP. mox citandi: atque ipſemet Salvator ſuam effigiem impreſſam reliquit in S Syndone, qua Corpus ejus poſt mortem fuit involutum, & hodie adhuc extat Taurini. Idem Salvator effigiem ſuam transmiſit Abagaro Edeſſæ Regi; uti ex traditione priſca Eccleſiæ refert Adrianus Papa *lib. de Imag. tom. 3. Conciliorum.* Et S. Damaſcenus *lib. 4. de fide Cat. cap. 17.* Similiter extant plures Imagines DEIparæ à S. Luca depictæ, teſte Nicephoro *lib. 2. hiſt. cap. 23.* Et S. Sylveſter Imagines SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Conſtantino Imperatori exhibuit, quales ipſe Imperator priùs in ſomno conſpexerat: Ergo &c.

Probat. *quartò*: SS. PP. priſci atteſtantur antiquum uſum Imaginum SS. effigiatarum; unde Dionyſius *lib. de cæl. hier.* apud Damaſcenum dicit, *nos autem Imaginibus ſenſum moventibus, ad Divinas contemplationes, quoad fieri poteſt, pervehimur.* Et S. Methodius ann. 260. *orat. de Reſurrect.* ſic ſcribit; *quæ quidem ex auro Imagines conſtamus Angelorum, ipſius principatus, & poteſtates referentes, eas ad honorem, & gloriam DEI conficimus.* De earundem Imaginum uſu antiquo licito pariter ſcribit Baſilius *orat. de S Barlaam.* Et Gregorius Nyſſ. *orat. de laud. S. Theodori.* Et Nazianzenus *orat. 5. in laudem defuncti patris.* Et Chryſoſtomus *in encom. S. Meletii.* Et Damaſcenus *orat. 1. de Imag.* Et Tertullianus *lib. 2. adverſus Marcion. cap. 22.* Et Auguſtinus *lib. 22. contra Fau-*

tra fauſtum cap. 72. Ergo &c. *Quintò* : Imagines effigiatæ conducunt ad renovandas memorias SS. & eorum debitam reverentiam conciliant : nec aliunde aliquod malum continent : Ergo licitè effigiantur.

Objiciunt Hæretici *primò* : Effigiatio Imaginum facile rudem populum inducit in errorem, & idololatriam : Ergo &c. *Secundò* : in Deut. dicitur, *non facies tibi Sculpile* &c. *Tertiò* : Concil. priſcum Nicænum II. (quô fortiter utuntur Romani Catholici) non fuit legitimatum; & propterea à Carolo Magno certis Libris, qui *Carolini* appellantur, refutatum; uti & à Concil. Francofurtienſi : Ergo &c. *Quartò* : datô etiam, quòd Concil. Nicænum II. fuerit legitimum; adhuc idem Concilium adverſatur effigiationi Imaginum SS. *nam PP. illius* (inquit Calvinus) *vocant Imagines Idola gentium, dicentes, ſicut Patriarchæ uſi ſunt gentium Sacrificiis, ita Chriſtianis habendas eſſe Imagines, pro Idolis gentium.* Quintò : aliqui SS. PP. abominantur uſum effigiandi Imagines; ut Epiphanius, qui dicit ibi, *vidi velum pendens in foribus ejuſdem Eccleſiæ tinctum, atque depictum, & habens Imaginem quaſi Chriſti, vel S. cujusdam* &c. *cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti, contra authoritatem Scripturarum hominis pendere Imaginem, ſcidi illud.* &c.

Reſpondeo *ad primum* ; etiam creatio Solis, & Lunæ ob ſuam elegantiam, & magnitudinem præbet occaſionem rudi populo ad idolatriam ; & propterea actu plures gentes ipſa coluerunt pro Diis : & tamen DEUS ea creavit ad bonum : unde quamvis etiam effigiatio Imaginum rudibus eſſet per accidens occaſio erroris ; non propterea ea illicita judicanda eſt ; cùm ob bonum finem, videlicet ad cultum SS. adhibeatur : & ad Paſtores, Curatos animarum pertinet, inſtruere populum rudem ſibi commiſſum, *quòd* (ut loquitur Trident. Concil. *ſeſſ. 25.*) *Imagines Chriſti, DEiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendæ, & retinendæ ſint, eiſq; debitus honor, & reverentia impertienda; non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab illis ſit aliquid petendum; vel quòd fiducia in Imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentilibus, qui in Idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræſentant, ita ut per Imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & ſanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur,* &c. *Ad Secundum* ille textus Deut. loquitur de effigiatione Idolorum, efformatorum ad exercendam idolatriam ; quod non contingit in effigiatione Imaginum SS. uti amplius dicetur infra. *Ad Tertium.* Neg. Ant. & ad primum dictum de *Libris Carolinis* dico, illos eſſe ſuppoſititios, mendaces, & immeritò S. Imperatori Carolo adſcribi ; *primò* ; quia continent plura contra Anathemata, & Decreta Concilii Nicæni II. quæ Carolus plurimùm æſtimavit. *Secundò* ; quia ipſe Carolus ejuſmodi Libros miſit ad Arianum Papam, ut confutarentur ; quos & confutatos Adrianus remiſit Carolo. *Tertiò* ; quia illorum librorum promotor in præfatione ficto nomine *Eliphili* ſe ſubſcribit ; quod non feciſſet, ſi Carolum Imperat. ſciviſſet eſſe verum authorem. *Quartò* ; Carolus fuit amiciſſimus Adriani, & Eccleſiæ eumque mirè æſtimavit ; unde præſumendum non eſt, ipſum contra Concilii Generalis decreta, authoritate illius Papæ facta aliquid ſcripſiſſe. Ad alterum dictum de Concil. Francofurtenſi dico ; illud circa effigiationem Imaginum nil concluſiſſe ; nec de eis egiſſe ; uti patet ex ejus actis primævis ; ſed ſolùm de damnatione Felicis, qui Chriſti filiationem adoptivam dogmatizabat, egiſſe. Nec præfatum Concil. illud aliud Nicænum tanquam illegitimum refutare potuit ; cùm tale ex 350. Patribus legitimè fuerit congregatum ex tota Eccleſia Latina, & Græca : item cum in eodem præſederint Legati Adriani Summi Pontificis : item cum ejuſdem actis Legati præfati primô locô ſubſcripſerint, & deinde univerſi alii Patres. *Ad Quartum*, Neg. Ant. nam in primævis actis hujus Concil. Nicæni II. nihil horum reperitur ; ſed benè contrarium, de retinendo ſcilicet uſu Imaginum SS. ut patet *in Act. 6.* ubi PP. oſtendunt maximam differentiam inter ſacrificia à Patriachis DEO oblata, & ea quæ cultui Dæmoniorum erant dicata à Gentilibus ; ac inter Imagines, quibus SS. memoria renovatur ; licet hæ in materia convenirent ; non tamen in uſu, & invocatione. *Ad Quintum*, Neg. Ant. & ad Epiphanii teſtimonium dico, illud eſſe omnino confictum ab Hæreticis ; uti conſtat ex S. Damaſceno *orat. 1. de Imag.* circa medium : Et ex libris genuinis priſcis S. Epiphan. Et ex Concilio Nicæno II. quod ab hujuſmodi impoſita falſitate purgat eundem S. Patrem Act. 6. Et ex S. Hieronymo *epiſt. ad Pamach.*

Dico ſecundò : licitum etiam eſt effigiare Imagines DEI, & Sanctiſſimæ Trinitatis, in quibus DEUS, & Sanctiſſima Trinitas metaphoricè repræſentatur ; circa hujuſmodi autem effigies populus debitè eſt inſtruendus, nec credat talibus effigiebus exprimi propri-

am DEI

am DEI naturam; vel aliquid divinitatis ipſis ineſſe. Ita Catholici; contra Calvinum, ac alios Hæreticos, ſupra relatos poſt *1. conc.*

Probat. *primò*: DEUS, & Perſonæ SS. Trinitatis ſæpiùs leguntur, in S. Scriptura apparuiſſe in humanis corporibus, & aliis ſpeciebus materialibus, metaphoricè ſe repræſentantibus, ut homines ſui recordarentur: Ergo licitum eſt eaſdem ſub ſimilibus effigiare, cum cautelis in concluſione poſitis: id enim quod DEUS facit, licitè quoque ab hominibus exerceri poteſt eô modô, & fine, quô ipſe fecit. Probat. Ant. nam 3. Reg. *cap. ult.* DEUS apparuit Michææ Prophetæ; unde dicitur ibidem, *vidi DEUM ſedentem ſuper ſolium ſuum* &c. Item Danieli Dan. 7. ibi, *aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda.* Et Matth. 3. Perſona tertia Trinitatis in ſpecie columbæ apparuit; *Ecce aperti ſunt cæli, & vidi Spiritum DEI deſcendentem ſicut Columbam.* Et Act. 2. in ſpecie linguarum apparuit eadem Spiritûs; ibi, *Spiritus S. in diſpertitis linguis quaſi ignis ſedit ſuper Apoſtolos.* Et Dan. 7. ſecunda Trinitatis perſona in ſpecie viri apparuit; ibi, *& ecce in nubibus Cœli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum venit*: Quem locum expendens D. Auguſtinus ait, Perſonam DEI Patris in forma hominis antiqui dierum apparuiſſe, qui Filio hominis Chriſto regnum dedit: Ergo &c. *Secundò*: id quod S. Scriptura DEO attribuit, homo quoque licitè poteſt de eodem concipere, & ad extra effigiare: ſed S. Scriptura præſertim DEO attribuit oculos, & faciem humanam, pedes quoque, ac alia membra humana: unde dicitur pſal. 10. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* Et pſal. 98. *adorate Scabellum pedum ejus*: Ergo licitè poteſt effigiari Imago DEI, cum ſimilibus; ſervatis cautelis in concluſione poſitis.

Objectiones Calvini aliud non evincunt, quàm quòd DEUS non poſſit effigiari in Iconibus, exprimentibus propriam eſſentiam, & naturam Divinitatis, quod verum eſt; cæterùm Catholici effigiant DEUM, & SS. Trinitatem ſub talibus ſpeciebus, quibus ipſa in S. Litteris legitur apparuiſſe, quæque metaphoricè tantùm eandem repræſentant, eo fine, ut fideles DEUM in memoriam ſibi revocent; ſicque quaſi per veſtigium arguitivè in DEI notitiam veniant, eumque colant, adorentque jugiter: Et populus rudis circa ejuſmodi effigies inſtruendus, & erudiendus eſt à Miniſtris Eccleſiæ, nè eas adoret tanquam aliquid divinitatis in ſe continentes; vel nè putent, *ideo divinitatem figurari, quaſi oculis corporeis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit*; uti loquitur Trident. *ſeſſ. 25.*

ARTICULUS II.

An Imagines Chriſti, & SS. in templis licitè collocari poſſint?

Dico primò: etiam in Eccleſiis licitè collocari poſſunt Imagines Chriſti, & SS. debitè effigiatæ. Ita Catholici; contra Judæos, Thalmudiſtas, Iconoclaſtas, Machometanos, Waldenſes, Carloſtadium, Wiclephiſtas, Calviniſtas, multoſque Lutheranos.

Probat. *primò*: S. Scriptura commemorat, in priſco illo tabernaculo Synagogæ licitè collocatas fuiſſe imagines SS. Angelorum Cherubin Exod. 25. Item in templo à Salomone conſtructo 3. Reg. 6. fuiſſe poſitas ſimiles effigies: Ergo &c. *Secundò*: primitiva Eccleſia ſtatim conſuevit juxta traditionem primævam in templis ſuis collocare Imagines Chriſti, DEIparæ, & SS. eaſque venerari; uti conſtat ex priſco Concilio generali Nicæno II. quod Act. 7. habet ſequentia; *his ſic ſe habentibus, regiam viam incedentes, & ſanctorum noſtrorum, & divinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua S. Spiritus inhabitat, traditionem obſervantes, definimus, cum omni diligentia, & cura venerandas, & ſanctas Imagines* &c. *in templis ſanctis DEI collocandas* &c. *maximè autem Imaginem Domini, & DEI Salvatoris noſtri JESU Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ DEIparæ; venerandorum Angelorum, & omnium deinde ſanctorum virorum,* &c. Idem definivit vetus Synodus VIII. Conſtantinopolitana; & aliæ: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: SS. quoque PP. priſci referunt, & approbant SS. Imaginum uſum in Eccleſiis, nam hujus jam meminit S. Dionyſius Areop. *in quæſt. ad Titum.* Et Gregorius Nazianz. *orat. 5.* ubi dicit, *hoc templum quod DEO, & nobis exſtruxit* &c. *opus ſanè mirabile, ac prædicandum* &c. *nam & æquè lateris &c. & laquearia in altum aſſurgunt; & quidem ejuſmodi picturis ornata, ut nec natura ipſi concedant* &c. Et Gregorius Nyſſ. *orat. de laud. S. Theod. oblectatur, dum ædem ut templum DEI* &c. *ſplendidè elaboratum intuetur, ubi & faber &c. induxit autem etiam &c. certaminum præſidis Chriſti humana forma effigiem* &c. Et Chryſoſtomus in Liturgia ait, *Sacerdos egreditur è parvo oſtio portans Evangelium &c. Converſus ad Chriſti Imaginem*

ginem inter duo oſtia inflexo capite. &c. Et Damaſus *in vita S. Sylveſtri*, ait, *hiſce temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicam Conſtantinianam, ubi poſuit dona iſta, faſtigium argenteum, habens in fronte Salvatorem ſedentem in ſella quinque pedum, penſantem libras 120. Et duodecim Apoſtolos, habentes ſinguli quinos pedes, penſantes libras 90. cum coronis ex auro puriſſimo* &c. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Deut. 5. prohibetur omne Symulachrum, vel maximè in Eccleſiis collocandum; unde dicitur, *non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum*, &c. hujuſmodi autem ſimilitudines, & ſymulachra ſunt Imagines SS. in templis: Ergo &c. *Secundò:* Joan. 4. dicitur, *veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate*: Ergo non eſt opus Imaginibus in templis; nam eas colendo non Spiritu; ſed corpore adoramus. *Tertiò:* arguit Calvinus *lib. 1. inſtit.* cap. 11. dicens; *principiò ſi quid nos movet veteris Eccleſiæ Authoritas, meminerimus quingentis annis, quibus magis adhuc florebat Religio, & ſincerior doctrina vigebat, Chriſtiana templa fuiſſe communiter ab Imaginibus vacua*, &c. *Quartò*: dicit idem Hæreticus, *loc. cit. quòd Imagines tunc tantùm in ornamentum templorum aſcita ſint, cum myſterii ſinceritas non nihil degeneráſſet*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad primum*; jam ſupra *art. 1. in reſp. ad 2. objeEl.* dictum eſt, DEUM illis verbis duntaxat prohibuiſſe ſymulachra, & ſimilitudines Idolaticas, atque ad Idolatriam provocantes, & ad hunc finem præcisè fabricatas: unde ſubditur ibidem, *non adorabis ea, neque coles*, ſcilicet Idola; quod non fit per collocationem Imaginum Chriſti, & SS. in templis. *Ad Secundum*, Neg. Conſeq. nam verum quidem eſt, veram & potentiſſimam adorationem eſſe in Spiritu; cùm videlicet fide, ſpe, & charitate (ut ait D. Auguſtinus) tendimus in DEUM: ſed quia intellectus noſter aliquando dormit, DEI oblitus; & affectus eſt tepidus in DEI amore; propterea oportet aliquibus rebus exterioribus eundem intellectum excitare, ut is per earum aſpectum, & conſiderationem ad DEI memoriam reducatur, & affectus inflametur; quod fit Imaginum Chriſti, & SS. expoſitione in templis. *Ad Tertium*; eſt merum mendacium, quod affert Calvinus *loc. cit.* uti patet ex SS. Patribus primitivis, & priſco Concil. Nicæno II. ſupra *pro concluſ. 2.* relatis. *Ad Quartum*, pariter figmentum eſt, quod aſſerit idem Calvinus; & ejus oppoſitum conſtat ex iiſdem PP. veteris Eccleſiæ. Et *cit.* Conc. Nicæno, & Conſtantinopolitano.

ARTICULUS III.

De cultu SS. Imaginum.

DIco primò: Imaginibus SS. licitè exhibetur cultus Duliæ ſecundùm quid, tam in, quàm extra templa. Ita Catholici; contra Judæos Thalmudiſtas, Machometanos, univerſos Iconomachos, Eunomianos, Vigilantianos, Waldenſes, Wiclephiſtas, Zwinglianos, Lutheranos, Calviniſtas, &c.

Probat. *primò*: S. Scripturâ, quæ teſtatur figuras illas, in quibus vel DEUS, vel Angeli Sancti Patriarchis, aliiſque viris apparuêre, aliquo cultu, utique Duliæ, veneratos fuiſſe ab iiſdem; ſic Abraham Gen. 22. Tres viros in Mambre apparentes adoravit, ſive SS. Trinitatem, ſive tres Angelos repræſentaverint. Et Loth Gen. 19. in ſpecie ſenſibili apparentes *duos Angelos pronus adoraverit.* Idem Joſue 5. fecit Joſue. Et Daniel cum magna reverentia alloquitur *Angelum veſtitum lineis, cujus corpus quaſi chryſolythus* Dan. 10. Et Moyſes Exod. 3. flammam Rubi, in qua Dominus apparebat, humiliter honoravit. Et Moyſes, Joſue, & Seniores expreſſuri cultum Duliæ, venerati ſunt Arcam fœderis; *Joſue pronus* (inquit textus Joſ. 7.) *cecidit in terram coram Arca Domini uſque ad veſperam, tam ipſe, quàm ſeniores Iſrael*: eandem Arcam in ſignum cultûs ſolenni pompâ circumferebant Iſraëlitæ: Ergo etiam cultus Sacrarum Imaginum eſt licitus. *Secundô*: idem conſtat Authoritate Conciliorum Concluſionem definientiũ contra Iconomachos: ſignanter Nicæni Concilii II. & Romani ſub Gregor. III. Et Synodi VII. Generalis. Et Florentini *ſeſſ. 5. Tertiò*: Idem pariter per Authoritatem SS. PP. conſtat cultum Sacrarum Imaginum per omne Sæculum approbantium; unde Athanaſius *lib. interrogat. & reſponſ. ad Antiochum Princ.* dicit, *Chriſtiani non alia ratione Imagines colunt, niſi quemadmodum etiam cùm filios noſtros, & Patres noſtros oſculamur animi noſtri deſiderium indicamus; ſicut & Judæus olim Legis tabulas, & duo Cherubim aurea, & ſculptilia quondam adorabat, non lapides, aurivè naturam colens, ſed Dominum, qui ea, ut fierent, præceperat.* Et D. Baſilius *lib. contra Julian. Imperat.* ſcribit, *unde & hiſtorias, & characteres Imaginum illorum*

Digitized by Google

(ſcilicet Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum) *honoro, & adoro; præcipuè cùm hoc ſit à SS Apoſtolis nobis traditum non eſt prohibendum; ſed in omnibus Eccleſiis noſtris eorum hiſtorias erigimus.* Lege etiam Damaſcenum *orat. pro Imag.* Et Theodoretum *hiſtor.* de Simone Stylita. Et Auguſtinum *epiſt. 203.* & alibi ſæpiſſimè. Et Gregorium, Theophilactum, Euthymium, Cyrillum, Nilum, &c. Ergo &c. *Quartò*: Idem liquet ex perpetuo uſu, & traditione Eccleſiæ utriuſque Græcæ, & Latinæ, cultum Sacrarum Imaginum practicantis; quæ conſtat tum ex Conciliis relatis: tum ex PP. allegatis. Idem ſtabilitur innumeris miraculis authenticis, pro cultu & honore SS. Imaginum approbando editis; de quibus conſule Euſebium Cæſarienſem *lib. 7. hiſtor. cap.* 14. Et S. Damaſcenum *orat. 3. de Imag.* Et Paulum Diaconum *lib. 21. rerum Roman.* Evagrinum, Athanaſium, & VII. Synodum Generalem, referentes plurima miracula, in confirmationem cultûs SS. Imaginum à Deo patrata: Ergo &c. *Quintò*: firmatur concluſio ratione Theologicâ *primò*: Imagines Regum, & Amicorum licitè honorantur cultu civili propter prototypa: Ergo ſimiliter Imagines DEI, Chriſti Regis, & Sanctorum, utpotè amicorum DEI, licitè coluntur cultu majori duliæ. *Secundò*: Idola, & ſtatuæ falſorum Deorum meritò abjiciuntur, & conteruntur, non propter materiam, ex quâ compactæ ſunt; ſed propter reſpectum, quem habent in repræſentando dæmones, vel falſos Deos: Ergo è contrario Imagines DEI veri, Chriſti, & Sanctorum licitè, ac meritò effigiantur, & coluntur propter reſpectum, quem habent ad ſua prototypa DEUM, Chriſtum, & Sanctos. *Tertiò*: Cultus impenſus ſanctis Imaginibus redundat in honorem prototyporum; ſicut deſpectus illatus ſtatuis Imperatorum, & Regiarum Perſonarum redundat in deſpectum eorundem; uti patet ex facto Theodoſii Imperatoris, qui ignominiam ſtatuæ ſuæ Auguſtæ illatam ab Antiochenis cæde tot millium vindicavit; uti refert S. Chryſoſtomus *orat. 2. & 3.* Et D. Ambroſius *orat. de morte Theodoſii*: Ergo talis cultus licitè impenditur ſanctis Imaginibus.

Objiciunt *primò* Hæretici: cultus Imaginum accedit ad cultum Idololaticum Gentilium: Ergo &c. *Secundò*: Cultus Imaginum derogat honori prototyporum. Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam, ut omnis cavillatio Hæreticorum præcludatur, obſervandum eſt; cultum, & adorationem Imaginum rectè apud Catholicos unô ex ſequentibus modis inſtitui: *primò*, ut actiones quædam honorificæ phyſicè, & ad extra quidem peragantur circa Imaginem Chriſti, vel alicujus Sancti; animus tamen internus revera intendat tantummodò honorare ipſum Chriſtum, vel Sanctum in entitate; ita ut materia Imaginis nullatenus honoretur animô; huc collimant illi Catholici verſus.

Effigiem Chriſti tranſis, reverenter adora;
Non tam Effigiem, ſed quem deſignat honora.

Secundò; ut cultus, & actus adorationis primariò quidem animô exerceatur circa prototypon; ſecundariò tamen etiam ipſam Imaginem tanquam quid conjunctum prototypo, quemadmodum in cultu Euchariſtiæ primariò adoratur Chriſtus, ejuſque Divinitas; ſecundariò autem etiam ſpecies Sacramentales tanquam ſigna Chriſtum continentia. *Tertiò*; ut Imago ſubſtituatur loco exemplaris ſeu prototypi, ſicut voces ſubſtituuntur pro rebus ſignificatis, ac de vocibus prædicatur id, quod ſolis rebus convenit: quô modô etſi actiones adorativæ phyſicè exercentur circa Imagines; moraliter tamen adoratur ipſum exemplar. *Ad Secundam* objectionem Neg. Ant. nam ut ait VII. Synodus Act. 5. *Imaginis honor in prototypum reſultat, & qui adorat Imaginem, de ea adorat quoque deſcriptum Argumentum.*

CA-

CAPUT II.

De cultu SS. Reliquiarum.

ARTICULUS I.

An SS. Reliquiæ ſint colendæ?

NOta primò: per *Reliquias* intelliguntur hìc corpora Sanctorum, eorumque portiones etiam minimæ, veſtes, ac alia, quibus ipſi uſi fuêre in hac vita ad ſuam neceſſitatem, miniſteriúmque pœnitentiæ, ac mortificationis; vel poſt mortem aliquam cum ipſis connexionem habuerunt.

Dico primò: licitè & meritoriè poſſunt coli, ac venerari plus, quàm cultu civili Reliquiæ veræ Sanctorum. Ita Catholici; contra Manichæos Marcioniſtas, Arianos, Eunomianos, Vigilantianos, Wiclephiſtas, Lutheranos, & Calviniſtas.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat; veris Reliquiis SS. licitè & meritoriè impendi poſſe, aliquem cultum plus, quàm civilem; nam Exod. 13. narratur, Moyſen ſecum cum veneratione aſportâſſe ex Ægypto oſſa, ſeu Reliquias S. Joſeph Patriarchæ. Et ipſemet DEUS confirmans cultum Reliquiarum Corporis S. Eliſæi Prophetæ, cadaver quoddam in ſepulchrum dicti Prophetæ injectum, contactu Corporis ejuſdem illico ſuſcitavit, nè videlicet cultus ſacri Corporis Eliſæi tolleretur, profanô cadavere aſſociatô. Et Iſaias vaticinatur de cultu futuro Reliquiarum Chriſti, ſcilicet ſepulchro dicens *cap. 11. ipſum Gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus Glorioſum*. Et ſanè ſi olim Sanctum Sanctorum venerari licuit; cur non & Sepulchrum Chriſti tanquam inſignem Reliquiam: unde S. Hieronymus *epiſt. ad Marcell. cap. 3.* meritò ait, *venerabantur quondam Judæi Sanctum Sanctorum &c. nonne tibi venerabilius videtur, Sepulchrum Chriſti, quod quotieſcunque ingredimur, toties jacere in Syndone cernimus Salvatorem*: Ergo &c. Præterea ex eadem S. Scriptura conſtant mirabiles SS. Reliquiarum effectus, ob quos meritò, & licitè colendæ ſunt; cultu plus, quàm civili; nam Matth. 9. fimbria Chriſti mulierem ægrotam miraculosè curavit. Item Sudaria, & Semicinctia Corporis D. Pauli languidos ſanârunt. Act. 19. *cap.* Et ſanè cùm Act. 5. ſola umbra D. Petri prætereuntis tangens ſanaverit; quantò magìs oſſa, cæteræque Reliquiæ ejus, ac aliorum SS. Et ſi Joann. 5. piſcina Bethzaida ad ſolum deſcenſum Angeli, & motum ab eo in aqua factum, qui in illam primus deſcenderat, ſanum efficiebat; quantò magìs attactus ad S. Reliquias SS. ut ipſæ proinde aliqua veneratione colendæ ſint meritò; Et demum ſi DEUS voluit, ut impendatur cultus certis quibuſdam Locis, ubi fiebant paritiones; ut proinde dixerit, Exod. 3. *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, Sanctus eſt*. Et Angelus Joſ. 5. *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, Sanctus eſt*: cur non etiam Reliquiis SS. quæ connexionem cum animabus eximia ſanctitate, gratia, & gloria jam ſublimatis habuerunt, aliquis cultus plus, quàm civilis licitè poſſet impendi?

Probat. *ſecundò*: SS. Concilia, etiam priſca, approbant cultum plus, quàm civilem SS. Reliquiarum; ut Nicænum II. quod SS. Reliquias Act. 3. vocat *fontes ſalutares*; Et Act. 7. excommunicat contemnentes SS. Martyrum Lypſana. Et Conc. Laternenſe ſub Innocentio III. *can. 6. tit. de Reliq. & venerat. SS.* Et Conc. Carthaginenſe V. Et Braccarenſe III. Et Gangrenſe ann. 336. celebratum, &c. Similiter Jus Canonicum in Clement. *de Reliq. & venerat. SS.* Ac etiam Jus Civile Reliquiarum venerationem commendat, *L. decernimus, C. de Epiſc. & Cleric.* Ergo &c.

Probat. *tertiò*: ſed & SS. PP. priſci utriuſque Eccleſiæ licitum, ac meritorium aſſerunt cultum Reliquiarum SS. ut videre eſt apud Pium I. viventem an. 142. *epiſt. ad Juſtin. Epiſc.* Et Cyrillum Hieroſol. *cat. 18.* Et Gregorium Nyſſenum *orat. in S. Theod.* Et Gregorium Nazianz. *orat. in Julian. Apoſt.* Et Ambroſium *lib. 10. epiſt. 85.* ubi ait, *condamus ergo Reliquias Sacroſanctas, & dignis ædibus inferamus, totumq; diem fida devotione celebremus* &c. Et Baſilium *hom. in pſal. 115.* ubi ſcribit, *pro Legis Judaicæ ritu, ſi qui moriebantur, horum morticinia, habebantur abominationi; è contra mors ſi cuipiam irrogatur pro Chriſti nomine, pretioſæ cenſentur Reliquiæ Sanctorum ejus.* Et Auguſtin. qui de Reliquiis SS. Protaſii & Gervaſii loquens, ait *lib. 9. Confeſſ. cùm enim propalata, & effoſſa cum honore transferrentur*

ad Ambroſianam Baſilicam, non ſolùm quos immundi vexabant Spiritus, confeſſis iisdem Dæmonibus, ſanabantur &c. Ergo &c.

Probat. *quartò*: ex perpetua quoque Eccleſiæ traditione conſtat, Reliquiarum licita veneratio; quam viguiſſe conſtat tum ex cit. SS. PP. tum ex S. Maximo *ſerm. de S. Octavio, & Adjutore.* Et Hieronymo *epiſt. 17. ad Marcellam.* Et Chryſoſtomo *hom. 66. ad popul. Antioch.* Tum ex ſolemnibus, & honorificis translationibus SS. Reliquiarum, ac earum involucris in thecis aureis, & argenteis, cultûs causâ de quibus videndus S. Auguſtinus *lib. 22. de Civit. DEI cap. 8.* Et *lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* Et Ambroſius *lib. 10. epiſt. 85.* Et Hieronymus *contra Vigilant. cap. 1. 2. & 4.* Et praxis Eccleſiæ Smyrnenſis, quæ circa annum 150. ſic ſcribit ad Ponti Eccleſias, *nos D. Policarpi oſſa potiora Lapillis pretioſis, auroq́; puriora ex cineribus ſublata eo loco repoſuimus, qui illis erat decorus, conſentaneuſq́;.* Tum ex conſtitutione antiquiſſimarum Ararum, & SS. Reliquiarum in eis repoſitione: Ergo &c.

Probat. *quintò*: Corpora SS. habent Speciales prærogativas, ob quas meritò ſunt colenda aliquô cultu; nam ipſa fuerunt organa animæ ad opera pietatis; organa quoque Spiritûs S. ad patranda miracula, ac conferenda complura beneficia; eruntque aliquando conſortia beatitudinis ſupernaturalis. Item eadem Corpora ſpecialibus favoribus à DEO dignificantur, dum ad eorum venerationem ſæpius confert fidelibus inſignes gratias, ut ſanitatis, & ſimilium; quales refert S. Auguſtinus *lib. 22. de Civitat.* Et *lib. 9. Confeſſ.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Chriſtus reprehendit venerationem Reliquiarum; maximè illam, quæ relucet in ædificatione ſepulchrorum eorundem; unde dicit Phariſæis Luc. *11. væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum*: Ergo &c. *Secundò*: DEUS abſcondit Corpus S. Moyſis, ut habetur Deut. *ult.* nè coleretur à Judæis: Ergo &c. *Tertiò*: Conc. Eliberit. adverſatur concluſioni; nam *can. 34.* ait, *cereos per diem placuit in cæmeterio non accendi; inquietandi enim Spiritus Sanctorum non ſunt.* Reſpondeo *ad Primum*; Neg. Ant. ad Scripturam Luc. 11. dico; per eam ſolùm reprehendi Judæos, quòd per hypocriſim, ut virtutem pietatis oſtentent, ædificarent monumenta Prophetarum; & ornarent ſepulchra eorum, atque ita occultarent animum malevolum erga Chriſtum Principem Prophetarum; cùm tamen eum occidere meditarentur, ſicut Patres eorum occiderunt alios Prophetas. *Ad Secundum* dico; ideo duntaxat Corpus Moyſis fuiſſe abſonditum à DEO, nè illud colerent tanquam Idolum; eò quòd populus Iſraëliticus eſſet tunc pronus ad Idololatriam, & aliunde recordaretur, factorum mirabilium Moyſis, Superioritatis, ac regiminis felicis ejuſdem. Cæterùm cùm in populo Chriſtiano ceſſet ejuſmodi periculũ idololatrandi, propter datas bonas inſtructiones de cultu Reliquiarum; idcirco Sanctorum Reliquiæ non ſunt altè in terram defodiendæ. ut vult Lutherus. *Ad Tertium*, Neg. Ant. ad alligatum Canonem dico, cereorum accenſionem in Cæmeterio ideò ſolùm prohibitam eſſe, nè Chriſtiani eos accendentes, & Gentilibus cohabitantes videantur imitari Ethnicorum fidem, ac ritus ſuperſtitioſos, quibus ſibi perſuadeant animas defunctorum adhuc degere in ſepulchris, eorumq́ue corpora adhuc habere aliquid ſenſûs, cibis, ac lucernis quandoque indigere.

ARTICULUS II.

Quo cultu Reliquiæ ſint, colendæ?

NOta primò: ut calumniis Hæreticorum obvietur; proferam verum Catholicorum ſenſum circa cultum Reliquiarum SS. & primò ſentimus ſecundùm Trident. quòd Reliquiis SS. nequeat impendi cultus aliquis Divinus Latriæ: hoc enim eſſet idololatriam exercere. Et ſicut ipſi Sancti nequeunt coli cultu Latriæ; ita nec eorum Reliquiæ Sanctæ.

Nota ſecundò: item ſentimus; fideles non debere credere, Reliquiis SS. ineſſe aliquam Divinam virtutem, vel vim ſupernaturalem, quæ per ſe faciat miracula, v. g. curando ægritudines; ſed tenendum eſſe, quòd DEUS hujuſmodi effectus prodigioſos producat, propter ipſos ſanctos intercedentes; vel ad eorum cultum magìs ſtabiliendum apud fideles; vel ut fideles excitentur ad eorum imitationem, &c. Et hoc modo intelligendi ſunt SS. PP. præſertim Auguſtinus *ſerm. 91. de Reliq. S. Stephani.* Et Chryſoſtomus *hom. 23.* Et Ambroſius *ſerm. 91. de invocatione Gervaſii*, &c. Dum dicunt, Sanctos facere miracula ad præſentiam ſuarum Reliquiarum.

Nota tertiò: iterum ſentimus; quòd Reliquiæ SS. non ſint invocandæ, ſicut ipſi Sancti; nec ad ipſas facienda petitio, ut intercedant; nam hujuſmodi Reliquiæ non ſunt creaturæ rationabiles, ad quas ſolas rectè dirigitur qualiſcunque invocatio. Ad ipſos itaque Sanctos directè fieri debet petitio, & invocatio, ut

tio, ut ſuis precibus impetrent, apud DEUM beneficium illud, quod petitur coram Reliquiis eorum.

Nota quartò: præterea ſentimus; Reliquias SS. eſſe colendas propter ipſorum SS. excellentiam, & dignitatem; ſicut Imagines coluntur propter prototypa, ſeu ipſos ſanctos, quos repræſentant. Unde honor qui ejuſmodi Sacris Reliquiis debetur, eſt plus quàm civilis (qui aliàs corporibus Regum v. g. exhibetur ob eorum præcellentiam ante alios) & propterea SS. PP. Reliquias appellant *Sacras, Sacro Sanctas, venerandas, venerabiles, devotiſſimè colendas* &c.

Nota quintò: tandem ſentimus; cultum SS. Reliquiis debitum poſſe dici cultum Duliæ ſecundùm quid; nam cultus ipſis Sanctis debitus vocatur rectè Duliæ ſimpliciter; quare is, qui exhibendus eſt eorum Reliquiis (cùm minor ſit) nominari debet cultus Duliæ ſecundùm quid: ſicut cultus Religioſus Imaginum SS: vocatur Duliæ ſecundùm quid.

CAPUT III.

De Cultu; & invocatione Sanctorum.

ARTICULUS I.

An Sancti licitè colantur?

DIco primò: Sancti cum Chriſto jam regnantes licitè coli poſſunt cultu Duliæ ſimpliciter. Ita Catholici; contra Gnoſticos, Manichæos, Eunomianos, Vigilantianos, Wiclephiſtas, Lutheranos, Calviniſtas, Zwinglianos, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, Sanctis cultum Duliæ fuiſſe exhibitum, qui tamen ab eadem Scriptura non reprobatur; ſic Gen. 18. Abraham adoravit, ſcilicet cultu Duliæ, duos Angelos ſibi apparentes. Similiter Loth Geneſ. 16. Et Joſue *cap.* 5. Ergo &c. Præterea Abdias adminiſtrator domûs Regiæ adoravit Eliam S. Prophetam, etſi necdum cum Chriſto regnantem 3. Reg. 28. Et filii Prophetarum S. Prophetam Elizæum 4. Reg. *cap.* 2. Et Nabuchodonoſor S. Danielem Prophetam; quorum omnium cultus Duliæ non reprehenditur in Scriptura: Ergo à fortiori tales jam in cœleſti gloria conſtitutos colere licet cultu, adoratione, & veneratione Duliæ. Rurſus Sancti continent aliquas excellentias ſupernaturales in ſe, ob quas digni ſunt cultu Duliæ; nam ſunt reſperſi ſpeciali gratiâ, & gloriâ; dicuntur amici, & Filii DEI Joan. 1. ibì *dedit eis poteſtatem filios DEI fieri*: ſunt ſimiles Angelis, ut dicit ipſemet Chriſtus: *ſedent in throno DEI*, juxta illud Apoc. 3. *qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo*: ſunt *coheredes Chriſti*, ad Roman. 8. Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: priſca Concilia concedunt SS. licitum cultum Duliæ: Ergo &c. Probat. Ant. nam ita patet ex Conc. Gangrenſi *can.* 20. Et Concil. Epheſino, quod fuit tertium Generale, ex quo conſtat, jam tunc in cultum, & venerationem DEIparæ Eccleſiam fuiſſe ædificatam. Et ex Conc. Chalcedonenſi Generali IV. ex quo conſtat ædificatio templi, in honorem & cultum S. Euphemiæ: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: perpetua Eccleſiæ praxis docet, Sanctis fuiſſe cultum Duliæ impenſum; utì conſtat ex SS. PP. etiam priſcis, videlicet Juſtino *in 2. Apol.* Et Irenæo *lib. 30. cap. 20.* Et Origene *hom. 3. in diverſos.* Et Gregorio Nyſſen. *orat. in Theodor.* Et Cyrillo Alex. qui *lib. 6. contra Julian.* ait, *SS. Martyres nec Deos eſſe dicimus, neque adorare conſuevimus*; (ſcilicet cultu latriæ) *laudamus autem eos potius ſummis honoribus* &c. Et Baſilio *orat. in 40. Mart.* ubi dicit, *honor quem bonis conſervis exhibemus, benevolentiæ in communem Dominum ſignificationem de ſe præbet.* Et Auguſtino qui *lib. 20. contra Fauſt. cap. 21.* ait, *populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat &c.* Et *epiſt. 44. oſtendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibì oſtendo memoriam Petri* &c. Ergo &c.

Probat. *quartò*: honor, & cultus Duliæ Sanctis impenſus principaliter tribuitur Chriſto DEO, qui author eſt Sanctitatis Sanctorum, juxta D. Ambroſium *ſerm. 6.* dicentem; *quiſquis honorat Martyres, honorat & Chriſtum.* ſicut è contrario, qui teſte eodem Patre *cit. ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum*: Ergò licitè coluntur Sancti: *Quintò*: Sancti præſtant varia beneficia ſuis clientibus, ſignanter agendo eorum Patronos ad Divinam Majeſtatem; utì patet ex Damaſceno *lib. 3. de fide cap. 13.* dicente, *an non honorandi ſancti, qui totius generis humani Patronos eſſe ſe profitentur?* Ergo

meritò in gratitudinis vicem iis aliquis cultus proportionatus eſt impendendus; non alius autem quàm Duliæ, qui reſpicit eximiam excellentiam Sanctitatis: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: S. Scriptura prohibet Cultum Sanctorum Angelorum; nam ad Coloſſ. 2 dicitur, *nemo vos ſeducat volens in humilitate, & Religione Angelorum* &c. *Secundò*: *1. ad Tim. 1.* demandatur *ſoli DEO honor, & gloria. Tertiò*, S. Petrus recuſavit cultum, ſibi à Cornelio exhibendum, Act. 10. Similiter Angelus adorationem ſui â S. Joanne Evangeliſta exhibendam prohibuit. *Quartò*: SS. PP. vetant coli Sanctos; ſignanter D. Athanaſius, qui *ſerm. 3. contra Arian.* vult nec Angelos, nec homines eſſe colendos. Et D. Auguſtinus *lib. de vera Relig. cap. 55.* ait, *non ſit vobis Religio cultus hominum mortuorum; quia ſi piè vixerunt, non tamen habentur, ut tales honores quærant, ſed illum à nobis coli volunt, quô illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes*: Ergo &c. *Quintò*, cultus Sanctorum derogat cultui DEI: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Scripturam, ad Coloſſ. 2. & dico, per eam ſolùm prohiberi ſuperſtitioſum cultum Angelorum, in quadam ficta humilitate, & Religione conſiſtentem, quem impendebant Angelis Semi Judæi, & Semi Platonici, fingentes Angelos eſſe quoſdam medios Deos, & Opifices, ac Gubernatores hujus univerſi, neceſſariò priùs tanquam Mediatores colendos, quàm Chriſtum, & DEUM Patrem. *Ad Secundum* dico; illum paſſum Scripturæ 1. ad Tim. 1. eſſe intelligendum de cultu Latriæ, qui ſoli DEO debetur; & nequaquam Sanctis. *Ad Tertium* dicit D. Hieronymus *lib. contra Vigilant.* D. Petrum ideo recusâſſe adorationem Cornelii, quia Cornelius voluit adorare Petrum ſicut DEUM ſaltem minorem, prout Act. 14. Lycaones referuntur voluiſſe Paulo, & Barnabæ ſacrificare, veluti Mercurio, & Jovi. Alii rectiùs dicunt, Petrum ex modeſtia, Civilitate, & humilitate tantùm recusâſſe honorem, & civicam venerationem Cornelii. *Ad Quartum* Gloſſo SS. PP. & dico, eos tantùm vetare cultum Latriæ Angelis impendendum; uti patet ex ipſomet Auguſtino *lib. 20. contra Fauſtum cap. 21.* ſe explicante in hunc modum, *at illo cultu, qui Græcè Latria dicitur, Latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum eſſe docemus, niſi unum DEUM. Ad Quintum* Neg. Ant. nam ſancti non coluntur ùt DEUS; unde Auguſtinus *epiſt. 44.* alloquens Ethnicos objicientes cultum Sanctorum ùt illicitum, ait; *utinam & vos illos colere velletis, facilè enim ab illis diſceretis, non illos colere, ad eſt, non colere ùt DEOS; ſed ùt Sanctos.*

ARTICULUS II.

An Sancti licitè, & utiliter invocari poſſint?

Dico primò: licita, & proficua eſt invocatio Sanctorum. Ita Catholici; contra Hæreticos *priori artic.* relatos.

Probat. *primò*: in S. Scriptura extant exempla Invocationis SS. non reprobata: ſic Gen. 48. Jacob invocat, & precatur Angelum, ut benedicat filiis Joſeph. Et Eliphaz ſupponit eſſe licitam, & practicabilem Invocationem Sanctorum Angelorum, dum ait Job. 5. *Voca ergo, ſi eſt, qui reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Idem colligitur ex illo Jeremiæ 15. *ſi ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Et Daniel *cap. 8. & 9.* ſupplicat illuminari ab Angelo, & impetrat. Et *in lib.* Tobiæ. Et Zachariæ 1. Et Apocal. *cap. 5. & 8.* Angeli intercedunt ad DEUM pro hominibus, offerunt DEO preces eorum, & varia conferunt beneficia eiſdem: Ergo invocatio Sanctorum fuit ſemper licita, & meritò practicata à populo fideli.

Probat. *ſecundò*: ex authoritate Conciliorum conſtat, Invocationem Sanctorum eſſe approbatam; unde VII. Synodus Act. 6. approbat epiſtolam Tharaſii *ad Joannem Presbyter. & Anachor.* in qua dicitur, *poſcimus intercesſionem intemeratæ Dominæ noſtræ DEIparæ, Sanctorum item Angelorum, omniumq; Divorum.* Eandem confirmat Concilium Chalcedonenſe Act. 11. in quo exclamant Patres invocantes D. Flavium, *Flavius poſt mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Et Trident. *ſeſſ. 25. in Decreto de Invocat. SS.* ait, *bonum, & utile eſt Sanctos invocare*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: idem conſtat ex authoritate SS. PP. orantium, & diſtinctis formulis invocantium Sanctos; unde interpellat S. Gregorius Nazianzenus *orat. funebr. in Baſilium*, eundem Sanctum ſequenti oratione *tu caput, è cœlo nos aſpice; & carnis ſtimulum à DEO nobis ad diſciplinam datum vel precibus tuis ſiſte, vel perſuade fortiter ferre.* Et Gregorius Nyſſen. *orat. in S. Theodorum* invocando orat ad memoratum Sanctum, *intercede pro nobis apud communem Regem - - - - tanquam miles pro nobis pugna; tanquam Martyr pro conſervis utere libertate.* Idem præſtat D. Baſilius *hom. 20. de 40. Martyr*: Ergo &c. Idem liquet ex authoritate D. Auguſtini invocationem Sanctorum

plurimis

pluribus teſtimoniis comprobantis, maximè *ſerm. 52. de diverſis cap. 6.* Et *ſerm. 94. 96. 99.* Et S. Hieronymi *epiſt. 1. 25. 27.* Et *in lib. contra Vigilant.* Et S. Chryſoſtomi *hom. panegyr. de Mart. Ægypt.* Et *in epiſt. 1. ad Corinth. t. 12.* Et *in hom. de SS. Berenice*, &c. Ergo &c.

Probat. *quartò*: ſed & traditione perpetua, & non interrupta Synagogæ ac Eccleſiæ, invocationem Sanctorum tolerantis, & approbantis hæc veritas Catholica roboratur. Item innumeris miraculis, ad invocationem Sanctorum editis; uti conſtat ex authenticis hiſtoriis. Et tandem ex communi conſenſu Chriſti fidelium: Ergo &c.

Probat. *quintò* ratione quoque idem ſuadetur: nam ex nullo capite videtur Sanctorum invocatio reprobanda: Ergo &c. Probat. Ant. non ex eo, *quòd ipſa deroget Chriſti honori*; quia invocare juſtos vivos & eorum orationibus ſe recommendare, non derogat honori Chriſti; cùm talem invocationem, & recommendationem practicaverit D. Paulus ad Theſſal. inquiens, *Fratres orate pro nobis*: Ergo neque invocare juſtos mortuos, ſeu Sanctos derogat honori Chriſti. Neque ex eo, *quòd nos invocantes audire, aut videre non poſſint*; ut ſomniat Calvinus *lib. 3. Inſtit. cap. 20.* dicens, *quis tam uſque longas aures illi revelavit, quæ ad aures noſtras porrigantur? oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſſitatibus noſtris advigilent?* quia etſi materiales aures tam longas non habeant, ut iis noſtras invocationes vocales percipiant: habent nihilominus aures, & oculos ſpirituales, quibus eas attingunt; quales habent Angeli, quibus Luc. 15. percipiunt converſionem peccatoris; & quales habuit Eliſæus, qui 4. Reg. 6. intima conſilia Regis Aſſiriorum penetravit: percipiunt ergo Sancti noſtras invocationes in Verbo Divino, dicente Gregorio Magno *lib. 4. Dialog. cap. 33. quid eſt, quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt?* Neque ex eo, *quòd nobis opitulari nequeant*: quia ut dicit S. Bernardus *ſerm. in Vigil. Sanct. nos tria in feſtivitatibus Sanctorum conſiderare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, confuſionem noſtram; auxilium ejus, quia potens in terra, potentior eſt in cœlis ante faciem Domini DEI ſui.* Neque tandem ex eo, *quòd Sancti invocati nolint patrocinari nobis*; quia ſi vivens Paulus ita accenſus erat charitate in ordine ad patrocinandum proximo, ut propterea dixerit, *cupiebam anathema eſſe à Chriſto pro Fratribus meis*; quantò magìs jam collocatus in Gloria; unde Bernardus, *ſi Sanctus, dum hic viveret, miſertus eſt peccatoribus, & oravit pro illis nunc tantò amplius, quantò veriùs agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem, qui beatâ illâ Patriâ charitatem ejus non immutavit, ſed augmentavit*: Ergo ex nullo capite videtur Sanctorum invocatio reprobanda.

Objiciunt Hæretici *primò*: ex Scriptura S conſtat, Sanctorum invocationem non eſſe tolerandam, nec utilem: Ergo &c. Probat. Ant. quoad primam partem, nam *1. ad Tim 2.* dicitur *eſſe unus DEUS, unus DEI; & hominum Mediator Chriſtus JESUS.* Similiter *1. Joan. 2.* habetur, *ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem JESUM Chriſtum*: Ergo non eſt toleranda invocatio aliorum Mediatorum, & Advocatorum. Probat. idem Ant. quoad ſecundam partem; *Eccleſ. 9* dicitur, *quòd mortui nihil noverunt ampliùs.* Et Iſai. *63. Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos*: Ergo inutilis eſt invocatio Sanctorum. Reſpondeo Neg. Ant. ad probationem primæ partis ejuſdem gloſſo *primum textum*, & dico, eum ſolùm procedere de mediatione redemptionis, acſi diceret unicus eſt Mediator, id eſt, Redemptor hominum; unde ſubdit ibidem, *qui dedit ſemetipſum Redemptionem pro nobis*: cum quo ſtat, quòd dentur alii plures Mediatores, id eſt, interpellatores pro hominibus ad DEUM. *Ad ſecundum textum*, dico, Chriſtum eſſe principalem Advocatum ad Patrem; Sanctos verò minùs principales, & ſubordinatos, qui advocationi Chriſti nequaquam præjudicant. Ad probationem ſecundæ partis Ant. principalis explico *primum paſſum* Eccleſ. 9. & dico, eum ab Eccleſiaſte eſſe prolatum in perſona impiorum; utì liquet ex contextu; & illo, quòd ſubditur, *nec habent ultra mercedem.* Ex dato, quòd loquatur ex propria ſententia; tunc gloſſo illum textum, & dico, mortuos nil noſcere ampliùs notitiâ naturali, & experimentali, à ſenſibus dependente; cum quo ſtat, quòd Orationes, & Invocationes noſtras noſcant ſcientiâ ſupernaturali beatificâ in Verbo. Explico etiam *ſecundum paſſum* Iſa. 63. cum D. Hieronymó, & dico, eum eſſe intelligendum in hoc ſenſu, quòd Abraham & Jacob non noſcant poſteros ſuos Hebræos ſcientiâ approbationis; id eſt, quòd non agnoſcant eos, pro filiis; eò quòd in varia vitia, maximè idololatriæ, & alia prolapſi, degeneres effecti fuerant, ut filii tantorum Patriarcharum nominarentur.

Objiciunt *ſecundò*, complures SS. PP. qui videntur ſentire, Sanctos nequaquam eſſe invocandos; ſignanter autem obtrudunt Clementem Alexand. *lib. ſtrom. cap. 8.* Origenem *lib. 8. contra Celſ.* Irenæum *lib. 2. cap. 57.* Ignatium *epiſt. ad Philad.* &c. Ergo &c. *Tertiò* Invocatio Sanctorum omnino præjudicat gloriæ DEI, qui eſt unicus Protector noſter: Ergo &c.

go &c. *Quartò* eadem derogat efficacitati Orationis Chriſti, quâ omnes gratias nobis promeruit: Ergo &c. Inſuper præjudicat ejus promptitudini, quâ paratus eſt ſemper interpellare ad DEUM pro nobis, ut idcirco opus non habeamus alio recurſu ad Sanctos: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*, gloſſando allegatos PP. & dico, eos ſolùm velle, quòd ſancti non ſint invocandi tanquam aliqui Dii, & quaſi ab eis præcisè, & non à DEO bonorum omnium largitore beneficia eſſent petenda: cum quo ſtat, quòd ipſi invocari poſſint tanquam ſuffragatores, & interpellatores ad DEUM, ut is principaliter petita beneficia conferat. Vel certè volunt, ut Sancti non invocentur cum prælatione, vel æquilitate ad Chriſtum; ſed bene tanquam ſubordinati ſollicitatores per Chriſtum ad DEUM. *Ad rationem primam in oppoſitum* Neg. Ant. nam ſancti non invocantur tanquam protectores ſupremi, qui ſua authoritate, & poteſtate homines protegerent; ſed tanquam Patroni, ut apud DEUM protectionem hominibus obtineant ſuis interpellationibus. *Ad alteram rationem* Neg. quoque Ant. nam ſicut non derogat efficacitati orationis Chriſti, quòd Sacramenta nobis applicemus, quibus obtinemus gratias Sacramentales; ita pariter nec derogat, ſi Sanctos invocemus; ut ipſi per Chriſtum nobis aliquas gratias impetrent. *Ad ultimam* Neg. ſimiliter Ant. & dico, tametſi Chriſtus ſit paratiſſimus ad interpellandum pro nobis; attamen, quia non ſemper cum debita diſpoſitione, modo, & ordine ad eum accedimus; idcirco rectè confugimus ad Sanctos ceu familiares Regis Cæleſtis, ut ipſi ſuppleant indiſpoſitionem noſtram, atque inefficaciam precum noſtrarum; utque ita beneficium poſtulatum obtineamus per merita & interpoſitionem Chriſti.

CAPUT IV.

De cultu Crucis originalis Chriſti; ac typicarum ejuſdem.

Dico primò: vera, & Originalis Crux, quæ fuit inſtrumentum Dominicæ Paſſionis, licitè colitur, ac adoratur. Ita Catholici; contra Claudium Turinenſem Epiſcopum, Petrobruſianos, Wiclephiſtas, Lutheranos, Calviniſtas, &c.

Probat. *primò*: de cultu & adoratione licita Sacratæ Crucis Chriſti jam olim vaticinatus eſt Regius Propheta, pſal. 98. dicens, *adorate Scabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*, id eſt S. Crucem Dominicam; nam ùt dicit S. Hieronymus exponens hunc locum, *ad Crucem Dominicam, & ad animam S. hæc referenda ſunt.* Idem docet Caſſiodorus ſcribens in eundem locum: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: afferendo varias rationes, titulos, & motiva in S. Scriptura, & SS. Patribus fundata, ob quæ meritò ſingulari veneratione adoranda, & colenda ſit Dominica Crux: nam *primò* adduci poteſt ratio, ac titulus *inſtrumenti*, ipſi conveniens, quô deletum eſt chyrographum Decreti contra humanum genus ſcripti. Et *currûs triumphalis*, ipſi competens, in quo de inimicis noſtris Chriſtus triumphavit ad Coloſſ. *2. delens quod adversùm nos erat chyrographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit, de medio, affigens illud Cruci, & expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans eos in ſemetipſo. Secundò, titulus Sacrarii*, ipſi attributus, in quo Chriſtus Patri reconciliavit genus humanum inimicum, ut habetur ad Coloſſ. 1. ibi *in quo placuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſanguinem Crucis ejus. Tertiò titulus Aræ*, ipſi quadrans, in qua Chriſtus conſummavit omnia Sacrificia veteris Legis, immolans ſemetipſum Sacrificium cruentum, de qua conſummatione & immolatione præclariſſimè diſcurrit Apoſtolus *toto cap. 8. ad Hebræos.* Et obſervat S. Leo *ſerm. 4. de paſſ. cap. 3.* dicens, *Crux ergo Chriſti Sacramentum veri, & prænuntiati Altaris habet, ubi per hoſtiam ſalutarem naturæ humanæ celebraretur oblatio.* Quartò: allegari poteſt privilegium *contactûs phyſici carnis, & Sanguinis Chriſti*; Cruci competens, quô mirè fuit ſacrata; unde Damaſcenus *lib. 4. cap. 12. hoc itaque ingentis ſanè pretii lignum, ac venerandum, in quo Chriſtus ſemetipſum Sacrificii cauſa pro nobis obtulit, ùt ex S. Corporis, & Sanguinis contactu ſanctificatum optimo jure adorari debet*: Ergo reverà Crux Dominica originalis eſt adoranda.

Probat. *tertiò*: concluſio authoritate traditionis

ditionis Eccleſiæ; quæ à primis ſtatim temporibus Chriſtianiſmi Sacrata Crucis cultum conſtituit, & practicavit; quemadmodum conſtat, tum ex tam diligenti ejus inveſtigatione, conquiſitione, & tandem iuventione Divini Numinis ductu, facta à S. Helena Conſtantini Imperatoris tempore; cujus hiſtoriam veridicè texit S. Ambroſius *orat. funeb. Theodoſii Imperatoris.* Et S. Paulinus *epiſt. 11. ad Sever. Sulp.* Et Ruffinus *lib. hiſtoriar. cap. 8.* Et Theodoretus *lib. 1. cap. 18.* Item ex vetuſtis SS. PP. cultum adorationis Crucis Dominicæ pro tota Eccleſia conſtitutum commemorantibus; uude Ruſticus Diaconus *in Dial. contra Acephal:* dicit, *clavos, quibus confixus eſt,* (ſcilicet Chriſtus) *& lignum venerabilis Crucis, omnis per totum mundum Eccleſia abſque ulla contradictione adorat:* Ergo vera originalis Crux, quæ fuit Inſtrumentum Dominicæ Paſſionis (idem dic de omnibus ejus portionibus, ob eaſdem rationes) eſt adoranda.

Probat. *quartò*, authoritate SS. PP. Adorationem Dominicæ Originali concedentium; ſignanter S. Paulini Epiſcopi Nolani *ep. 11. cit.* Et D. Damaſceni dicentis, *pretioſum reipsâ Crucis lignum eſt venerandum, in quo ſe ipſum in Sacrificium pro nobis obtulit Chriſtus tanquam ſancti Corporis, & Sanguinis tactu ſanctificatum, merito eſt adorandum.* Aliam quoque hujus Adorationis cauſam profert S. Leo *ſerm. 8. de Paſſ. cap. 7.* dum exclamant, *O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Paſſionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi.* Ut proinde non mirum, quòd ſcribit S. Chryſoſtomus *hom. 61. illud ipſum lignum, in quo S. Corpus eſt extenſum, & Crucifixum, quantò omnium ſtudiô expetitur? itaque multi exiguum ex eo fruſtum adepti, aurô includentes, viri pariter, ac fœmina de collo ſuo ſuſpendunt, idq; ornamenti locô habent:*

Objiciuut Hæretici *primò*: Si Crux Dominica originalis licitè poſſet coli, & adorari, maximè ob ejus contactum ad Corpus Chriſti; ſed propterea non rectè adoratur: Ergo &c. Probat. Min. nam alias etiam os Judæ, quod tetigit Corpus Chriſti, deberet adorari; item manus Malchæ colaphizantis; item manus Judeorum crucifixorum Chriſti; item aſina, ſuper quam ingreſſus eſt Hieroſolymas; item menſæ, & lecti, qui aliquando tetigerunt Chriſtum: Ergo &c. *Secundò*: non decet, ut filius reveneratur patibulum, in quo ſuſpenſus eſt Pater: Ergo nec decet Chriſtianos colere Crucem, in quam noſtræ ſalutis Parens Chriſtus fuit contumelioſè actus.

Reſpondeo *ad primum* Neg. Min. & ad exempla probationis ejus dico, *ad Primum, Secundum, & Tertium*, illa membra oris, & manuum non eſſe adoranda ob peculiarem aliam rationem; eò quòd ſcilicet fuerint membra ſceleratorum hominum, impiè contrectantium humanitatem Chriſti; unde ex contumelioſo contactu illius ſacratiſſimæ humanitatis potiùs contraxerunt Sacrilegium, quam rationem alicujus adorationis. *Ad Quartum* dico, illam numerô aquam Jordanis, quæ tetigit immediatè humanitatem Chriſti (non autem aliam contiguam) poſſe adorari, ob ejuſmodi attactum, ſi adhuc exiſteret. *Ad Quintum de aſina triumphali* dico; eam non eſſe adorandam; quia erat jumentum commune, & rurſus communibus uſibus poſt triumphum Chriſti profanatam; unde moralis ejus excellentia, quam à Chriſti contactu acceperat, & poterat eſſe ratio adorationis, illis uſibus communibus fuit penitùs abolita. *Ad alias* allatas inſtantias, de *menſa* & tectis eodem modo reſpondetur. *Ad ſecundam objectionem* Diſt. Ant. non decet filium venerari patibulum, in quo contumelioſè propter propria delicta, & ſine ulla utilitate, vel honore ipſiusmet Filii, & coactè fuit ſuſpenſus Pater, Conc. Ant. in quo propter aliena delicta, & cum inſigni utilitate, atque honore filii, inſuper voluntariè fuit Pater ſuſpenſus Neg. Ant. cum Conſeq. itaque Chriſtus ſuſpenſus eſt in Cruce Dominica originali (quæ olim habebat rationem patibuli) propter delicta aliena, puta, totius generis humani; & ex ejuſmodi ſuſpenſione ingens reſultavit utilitas, ac honor generi humano, ſcilicet reconciliatio ejuſdem cum æterno Patre; redemptionis item, & omnium gratiarum, atque bonorum, ſignanter, æternæ gloriæ, ac perpetui honoris conſecuti: unde Auguſtinus *ſerm. de laude Crucis*; ait, *O Crux, qua DEO hominem conjunxiſti, & à Domino Diaboli captivantis magnificè ſegregâſti! O Crux quæ humano generi Paſſionem Salvatoris mundi, & redemptionem Captivitatis humanæ verâ comitante fide ſemper repræſentas incolumem,* &c.

Dico ſecundò: Typicæ quoque Cruces, ſeu effigies Crucis Dominicæ originalis, ſive ſint picturâ, ſive metallô, ſive lignô, ſive quâvis aliâ materiâ expreſſæ, atque figuratæ, dignâ aliquâ veneratione, & adoratione ſunt venerandæ. Ita Catholici; contra Wiclephiſtas, Lutheranos, & Calviniſtas.

Probat. *primò*, ex determinatione SS. onciliorum; aliquam adorationem typicis Crucibus aſſignantium; ut videre eſt in VII. Synodo *Act. 7.* Et in Trullana Synodo *can. 3.* dicente, *unde & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei* (ſcilicet Cruci) *tribuentes* &c. *Secundò* ex SS. PP. venerationem eidem adſcribentium; unde D. Auguſtinus *ſerm. 2. in pſal. 36.* ait, *Crux jam de pœna generis humani ſublata eſt; cum enim ſub antiquis ſcelerati crucifigerentur; modò nullus crucifigitur: honorata eſt, & finita eſt pœna, manet in gloria: à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontem Imperatorum.* *Tertiò* ex perpetua traditione, & vetuſta praxi univerſalis Eccleſiæ, effigies Crucis Chriſti venerantis, de qua Conſule Tertullianum *in apolog. cap. 16.* Et alibi: Ergo &c.

Dico tertiò; tandem etiam ſignum Crucis, manibus ſolitum formari jam à primitiva Eccleſia in uſu, & veneratione fuit. Ita Catholici; contra præfatos Hæreticos.

Probatur *primò*: authoritate SS. PP. atteſtantium priſcum ſigni Crucis frequentationem, & venerationem; unde D. Auguſtinus *ſerm. 181. de temp.* ait; *hôc enim ſignô Crucis conſecratur Corpus Chriſti, ſanctificatur fons Baptiſmatis, initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus Eccleſiaſtici*, &c. Et D. Dionyſius Areopagita Primitivæ Eccleſiæ celebris Pater *lib. de Eccleſiaſt. hierarch.* pluries recenſet uſum S. Crucis in Baptiſmo, & conſecratione Chriſmatis. Idem teſtatur S. Ignatius; Et Martialis apud Euſebium *lib. 5. cap. 43.* Et tandem Tertullianus *lib. de coron. mil. cap. 3.* Ergo &c.

Probat. *ſecundò* ratione: ſignum Crucis manu formatum ſingularem habet virtutem, & efficaciam elidendi, ac exprimendi Dæmonum incurſus, & inſidias; uti conſtat ex SS. PP. ſignanter ex Cyrillo Alexand. *lib. 2. in Iſaiam* dicente: *hac enim re ſemper utimur; cùm omnem diabolicam vexationem abolemus, ac dæmonum impetus depellimus; mucro enim firmus, & impenetrabilis eſt.* Et ex Origene *hom. 6. in Exodum* ſcribente, *quid times dæmones? quid? tremunt ſinè dubio Crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt, in qua enecati ſunt principatus eorum*: Ergo credendum eſt, hoc ſignum Crucis manibus ſolitum formari jam à primitiva Eccleſia fuiſſe in uſu, & veneratione.

CAPUT V.

De Cononizatione Sanctorum.

NOta primò: *per Canonizationem SS.* ſecundùm Innocent. I. *cap. 1. de Reliq. & venerat. SS.* intelligi ritum, quo ſolemniter ſtatuitur, ut aliquis honoretur pro vero Sancto, ſeu in Sanctorum catalogo adſcriptus teneatur. Seu, ùt deſcribit Bellarm. *Canonizatio eſt publicum teſtimonium Eccleſiæ, de vera ſanctitate, & gloria hominis jam defuncti, ſimulq; judicium ac ſententia, quâ ei decernuntur honores illi, qui debentur iis, qui cum DEO feliciter regnant.*

Dico primò: Canonizatio ab Eccleſia; vel Summo Pontifice ritè peracta, eſt certa & infallibilis, ita ut Canonizatus ſit verus ſanctos. Ita Catholici; contra Wiclephiſtas, Lutheranos, Calviniſtas, &c.

Probat. *primò*: Canonizatio eſt judicium & ſententia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis, ex Cathedra de ſanctitate talis ſancti propoſitum: Ergo ei non poteſt ſubeſſe error, vel fallibilitas. Conſequentia tenet; nam Eccleſia univerſalis, vel Papa, ex Cathedra definiens nequit errare, uti tom. 1. *cap. 4.* Et *cap. 6. art. 5.* oſtenſum eſt. *Secundò*: ſi Canonizatio eſſet fallibilis, & in certa, poſſet quis dubitare de tali ſancto Canonizato, an eſſet Canonizatus; ſed hoc eſt falſum; quia Eccleſia eum pro vero ſancto colit: *eſt autem* (inquit S. Auguſtinus *epiſt. 218.*) *inſolentiſſima inſania diſputare, an ſit faciendum, quod tota facit Eccleſia.* Unde meritò S. Bernardus *epiſt. 174. ad Canonic. Lugd.* loquens de ſervandis feſtis in honorem SS. dicit, *ego quæ accepi ab Eccleſia, ſecurus teneo, & trado*: Ergo &c. *Tertiò*: ex continua experientia habetur, Eccleſiam, vel Papam nunquam erràſſe in Canonizatione alicujus ſancti; uti patebit mox ſolvendo objectiones Hæreticorum: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Canonizatio non habet ullum fundamentum in Scriptura: Ergo eſt ritus à Papis confictus, & fallibilis. *Secundò*, tota Canonizatio fundatur in notitiis humanis, quæ falli poſſunt, & fallere: Ergo &c. *Tertiò*: Auguſtinus dicit, *multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam *Eccleſ. 4.* ubi laudantur, & publicantur, ut ſancti Enoch,

ctis Enoch, Noë, Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, Aaron, &c. quæ laus, & publicatio eſt quædam ſpecies Canonizationis. Item Chriſtus ipſe in Evangel. dicens, *multi venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in Regno Cœlorum*, Canonizationem quandam præfatorum hominum fecit: uti & Paulus ibi, *quorum nomina ſcripta ſunt in Cœlis. Ad Secundum*; verum eſt, in Canonizatione præcedere informationes, & atteſtationes quaſdam formatas induſtriâ hominum; quia Eccleſia viſibilis eſt; ſed hæ ſunt tantùm diſpoſitiones ad judicium illud, quod eſt forma Canonizationis, ad quod deinde concurrit Spiritus S. & ideo falſum eſſe nequit, Deo ità providente, ut in atteſtationibus præfatis fallitas non ſit. *Ad Tertium* dico *primò*; quod illud dictum non reperiatur in Operibus genuinis D. Auguſtini, vel alterius Doctoris Sancti. *Secundò*, ſi concedatur etiam dictum præfati S. Doctoris; dico illud eſſe intelligendum de Ethnicis, qui ſuis ritibus venerabantur homines gentiles tanquam DEOS, quos vocabant *Indigetes*; cùm tamen eſſent in inferno. Vel etiam intelligi poteſt de illis Chriſtianis, qui venerantur corpora ſuorum Majorum Epitaphiis, Emblematibus, & ſtatuis. Aut demum de illis Reliquiis, & offibus, quæ interdum à malitioſis aliquibus hominibus ſubtruduntur ad cultum pro veris Reliquiis; quales tamen non ſunt; qui, & ſimiles caſus non officiunt infallibilitati Canonizationis; nam Papa non canonizat hæc numerò oſſa dicens, quòd ſint talis ſancti Reliquiæ, qui in eis colitur; ſed ſimpliciter oſſa illa; quæ revera ad illius corpus pertinent.

CAPUT VI.

De Beatitudine Sanctorum.

ARTICULUS I.

An ſit poſſibilis Beatitudo Sanctorum, in viſione ſupernaturali DEI conſiſtens?

Dico primò: poſſibilis eſt vera Beatitudo animarum juſtorum, ſicque Deus poteſt verè ſupernaturaliter videri intuitivè. Ita Catholici; contra Armenos, Abailardum, Almericum, Arnaldum, & Græcos complures, docentes, DEUM ſolùm in quadam theophania, id eſt fulgore ab eo profluente poſſe cerni.

Probat. *primò*: SS. Litteræ non tantùm poſſibilitatem veræ Beatitudinis, ſeu intuitivæ viſionis DEI in animabus juſtorum; ſed & futuritionem ejus aſſerunt; unde dicitur 1. ad Corinth. 13. *videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Et Iſa. 23. *regem in decore ſuo videbunt oculi ejus*; id eſt, (ut rectè exponit Gloſſa interlinearis) in ipſa Deitate. Et 1. Joan. 3. *cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: SS. PP. quoque eandem doctrinam afferunt: ſignanter D. Gregorius *18. moral. cap. 25.* Et S. Hilarius *in cap. 4. & 18. Matth.* Et Irenæus *lib. 18. cap. 38.* Et Beda in illud, *videbimus eum ſicuti eſt*. Et S. Auguſtinus *epiſt. 112.* ubi dicit, *ſi quæris, utrum poſſit DEUS videri? reſpondeo poteſt; ſi quæris; unde ſciam? reſpondeo, quia in veraciſſima Scriptura legitur; beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt*: Ergo &c. *Tertiò*; idem etiam ſemper docuit univerſa Eccleſia; ùt patet ex *cit.* & aliis Patribus, & Clementina, *ad noſtrum, de Hæreticis.* Et Concil. Florentinum *in Literis unionis.* Et Extrav. quadam Gregorii XI. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*, plures Scripturæ textus, & SS. PP. teſtimonia; quæ volunt intellectum creatum non poſſe elevari ad viſionem intuitivam DEI: ſignanter illum 1. ad Timot. *6. quòd DEUS lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*: ex PP. verò Chryſoſtomum *hom. 14. in Joan.* Ergo &c. Reſpondeo gloſſando allatos, & ſimiles textus Scripturæ, ac teſtimonia SS. PP. dicoque, ea ſolùm velle, quòd DEUS non ſit viſus, nec viſibilis oculis corporeis: quam interpretationem etiam adhibet D. Auguſtinus *epiſt. 111. & 112.* Vel volunt DEUM ſolis naturæ viribus non eſſe viſum unquam, vel viſibilem eſſe: uti allegatum textum 1. ad Timot. 6. exponit Gloſſa dicens, *inacceſſibilis eſt viribus noſtris; acceſſibilis muneribus ſuis.* Vel volunt, quòd in hoc ſtatu

viæ ſit inviſibilis; ùt interpretatur D. Greg. *lib. 18. moral. cap. 36.* & Gloſſa memorata. Vel tandem volunt, quòd ab intellectu creato DEUS non poſſit videri viſione comprehenſivâ perfectè; utì gloſſat. *cit.* Gregorius *cap. ult.* & Gloſſa communis.

Objiciunt *ſecundò* varias rationes: *primò*; DEUS eſt objectum infinitum: Ergo nequit intuitivè cognoſci niſi à cognitione infinita, ob proportionem neceſſariam inter objectum, & actum: cognitio autem infinita creaturæ repugnat: Ergo. *Secundò*: Objectum ſupernaturale quale eſt DEUS clarè viſus non eſt intra latitudinem objecti adæquati intellectûs creati: Ergo &c. *Tertiô*: plus diſtat DEUS ab intellectu creato, quàm Angelus à viſu corporeo: ſed oculus corporeus elevari nequit ad videndum Angelum: Ergo nec intellectus creatus ad videndum DEUM. *Quartò*: Intellectus creatus non poteſt elevari ad viſionem, & cognitionem omnium creaturarum poſſibilium: Ergo nec ad claram DEI viſionem intuitivam, quæ difficilior eſt, utpote tendens in ens undequaque infinitum. Reſpondeo *ad Primum* Nego Conſeq. nam inter objectum & actum non debet neceſſariò eſſe proportio in ratione entis, & perfectionis, ſeu eſſendi; quam Scotus *4. d. 49. q. un. n. 6.* Geometricam vocat; ſed ſufficit ut ſit in ratione objecti terminabilis, & habitudinis: itaque DEUS in ratione objecti cognoſcibilis dicit proportionem ad actum intellectûs creati, ſeu viſionis beatificæ, quatenus participat rationem communem objecti adæquati intellectûs creati, quod eſt ens cognoſcibile. *Ad Secundum* Diſt. Ant. ſi conſideretur intellectus creatus ſecundùm ſe Con. Ant. ſi conſideretur ùt ſubeſt potentiæ obedientiali, & ùt elevabilis ſecundùm virtutem inchoatam Nego Ant. Itaque DEUS clarè viſus eſt ſupernaturale ens, & continetur intra latitudinē objecti intellectûs creati; quatenus eſt in potentia obedientiali. *Ad Tertium* dico, ſimiliter DEUM plus diſtare ab intellectu creato, quàm Angelum à viſu corporeo quoad entitatem; non autem quoad proportionem habitudinis potentiæ ad objectum. *Ad Quartum* Neg. Conſeq. cum ſua ratione: diſparitas eſt; quia cognitio omnium creaturarum poſſibilium requirit infinitas ſpecies intentionales, quibus intellectus creatus utpote limitatus nec actuari, nec uti poteſt: ad viſionem autem intellectivam intuitivam DEI ſufficit, quòd DEUS etſi ex ſe infinitus undequaque communicetur intellectui creato per modum unius ſpeciei intelligibilis, modô finitô, & per lumen gloriæ attemperatô; quô pactô facilius intellectus creatus rendere poteſt in Deum, quàm in omnes creaturas poſſibiles.

ARTICULUS II.

An Sancti beatificentur, & videânt DEUM ſupernaturaliter intuitivè ante diem judicii?

DIco primò: Sanctorum animæ in novo Teſtamento ſtatim poſt mortem beatificantur, & vident ſupernaturaliter intuitivè DEUM; nec exſpectant generalem reſurrectionem. Ita Catholici; contra Vigilantium, Armenos, Græcos complures, Lutherum, *in prælect. in Gen.* Calvinum, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, Sanctorum animas DEUM intuitivè ſupernaliter ſtatim videre ante generalem reſurrectionem: unde dicitur Luc. 23. *hodie mecum eris in Paradiſo.* Et 2. ad Cor. 5. dicitur, *ſcimus quia in terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur ædificationem ex DEO habemus, domum non manu factam æternam in Cœlis.* Et ad Epheſ. 4. dicitur, *quod aſcendens Chriſtus in altum captivam duxit captivitatem*; id eſt multitudinem Patrum, qui erant captivi in ſinu Abrahæ, ſecum duxit in Cœlum; ubi eſt beatitudo ſupernaturalis, ac intuitiva DEI viſio. Et Apoc. 7. de Sanctis jam poſitis in beatitudine dicitur, *poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Et ad obtinendam illico beatitudinem dixit, ſuſpiravit Apoſtolus ad Philip. 7. *coarctor è duobus habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: Ergo &c. Et ſi Angeli Sancti defacto beatificantur intuitivâ DEI viſione, juxta illud Matth. 18. *Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei*: cur non etiam animæ Sanctæ Beatorum ſtatim poſt ſeparationem ſuam à corporibus, qui Angelis æquiparantur in hoc Luc. 20 *æquales enim Angelis ſunt, & Filii ſunt DEI?* Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: eſt perpetua, & antiquiſſima Eccleſiæ traditio, ac doctrina, animas juſtas poſt mortem ſtatim beari intuitivâ DEI viſione; nec eam ipſis differri uſque ad Generalem reſurrectionem; uti conſtat ex Innocentio III. *cap. Apoſtolicam.* Et Extravag. *de Presbytero non baptizato.* Et Extravag. Benedicti XII. *Benedictus DEUS.* &c. Et Florent. *ſeſſ. ult.* Et illa Oratione priſca in officio Divino de S. Gregorio Mag. *DEUS qui animæ*

famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti, &c. Ergo &c.

Probat. *tertiò*: ſimiliter SS. PP. priſci Græci, ac Latini eandem doctrinam aſſerunt: unde Bellarminus 18. Græcos Patres hujus ſententiæ profert, inter quos S. Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, &c. Similiter 18. Latinos inter quos quoque regiſtrat S. Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium: Ergo &c.

Probat. *quartò*: Juſtitiæ ratio poſtulat, & DEI bonitas ſuadet, ut SS. animæ ſtatim poſt mortem fruantur præmio, ſuorum laborum, & meritorum, ſcilicet beatitudine intuitivæ viſionis DEI, quæ meritis eorum jam poſitis correſpondet: nec eſt impedimentum ullum tale præmium retardans in novo Teſtamento; jam enim primogenitus & primitiæ beatorum prædeſtinatorum ad gloriam Chriſtus, intravit in gloriam, & beatur viſione DEI. Deinde decet, ut Chriſtus non ſit in Cœlo, & beatitudinis loco ſolitarius; ſed habeat conſortium SS. animarum. Inſuper incredibile videtur Matrem DEI, & SS. Apoſtolos non frui cum Chriſto viſione faciali DEI: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Matth. 20. narratur, quòd Paterfamilias denarium diurnum demum ad veſperam ſolverit mercenariis; quod ſignat, Patrem æternum in fine mundi primò prœmia beatitudinis Sanctis animabus collaturum. *Secundò*: 1. Joan. 3. dicitur, *ſcimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus*; ubi eſt notanda illa vox *cùm apparuerit*, quæ refertur ad Chriſtum in die judicii, ſeu tempore Generalis reſurrectionis apparentem: Ergo &c. *Tertiò*: Apoc. 6. dicitur, *vidi ſubtus Altare animas interfectorum propter verbum DEI*; Ergo ibi Martyrum animæ detinebantur, & non fruuntur viſione DEI. *Quartò*: multi Patres, ſignanter Tertullianus, Juſtinus, Irenæus, Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenicus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, &c. Senſerunt contrarium: Ergo &c. *Quintò*: Papa Joannes XXII. condidit decretum, & definivit, animas SS. non videre DEUM ante diem judicii univerſalis: Ergo &c.

Reſondeo *ad primum*: illam parabolam Matth. 20. eſſe in favorem ſententiæ Catholicæ; *per veſperam* enim intelligitur mors hominis, cui correſpondet dies ille vitæ currentis, in quo quiſque laborat, & meretur: agit enim illa parabola de merito perſonali ſingulorum, cui correſpondet prœmium poſt laborem, quod tradari non debet; nam dicitur Levit. 19. *non morabitur apud te opus mercenarii tui uſque mane*. *Ad Secundum* dico; Chriſtus etiam apparet in partiali judicio cujuſvis illico poſt mortem; unde ſi animæ noſtræ tunc juſtæ fuerint, ſtatim ſimiles ei erimus. Deinde illa authoritas 1. Joan. 3. procedit de apparitione Chriſti in forma ſenſibili in die ultimi judicii, quâ factâ etiam corpora noſtra aſſimilabuntur in beatitudine Corpori glorioſo Chriſti. Cum quo ſtat, quòd animæ noſtræ ſinè corporibus citiùs aſſimilentur gloriæ animæ Chriſti, videlicet ſtatim poſt mortem. *Ad Tertium* dico, illas animas Martyrum ſub altari poſitas jam eſſe in gloria; nam de ipſis alibi dicitur, quòd ſint *palmæ in manibus eorum*. Unde per ly *ſub altari* intelligitur Chriſtus, ſub quo illi Martyres erant tanquam inferiores in Gloria; & deſiderabant ibi habere corpora ſua, ut perfectè fruerentur gloriâ, & ad eoſdem conſolandos dicebatur eis, ut expectarent, donec veniret Reſurrectio univerſalis, quo tempore etiam Corpora SS. glorioſa efficientur. *Ad Quartum* dico: ex objectis Patribus ſolum Tertulianum in contraria ſententia fuiſſe; unde & in hoc ab Eccleſia rejectus fuit: cæteros verò Patres fuiſſe in Sententia Catholica patet ex variis eorum dictis; quos proinde vide reconciliatos apud Bellarminum *cap. 3. de Beatit.* *Ad Quintum* dico, Joannem XXII. nullum decretum definitivum de oppoſita ſententia, utpote Catholica, edidiſſe; ſed fuiſſe quidem in illa opinione, quòd juſti DEUM non videant ante diem Judicii; in quo ut Doctor privatus proceſſit, & errare potuit. Verùm ante mortem præfatam ſuam erroneam opinionem revocavit; ut teſtatur Joan: Villanus Hiſtoricus fide dignus *lib. 11. cap. 19.* hiſtoriæ Florentinorum; idque teſtatur ſe audiſſe à ſuo fratre, qui in aula ejuſdem Joannis Pontificis verſabatur: & hæc revocatio extat *in epiſt. quadam*, quæ ponitur poſt ejus vitam *in 3. Tom. Concilior. 2. part.*

CAPUT VII.

Variæ reſolutiones Catholicæ circa Sanctos.

Dico primò: Sancti viſione ſua beatifica attingunt Eſſentiam DEI, ut in ſe eſt. Ita Catholici; contra DEIſtas, Armenos, &c.

Probatur *primò*: S. Scriptura teſtatur, quòd DEUS Sanctis in Beatitudine appareat immediatè ſecundùm Eſſentiam ſuam, & ipſi eum ſic videant; unde dicitur 1. Joan. 3. *quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Ergo &c. Idem eadem Scriptura docet, quòd ſancti DEUM videbunt clariſſimè; nam 1. ad Cor. 13. dicitur, *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*: Ergo tunc videbunt DEUM ſecundùm Eſſentiam, uti eſt in ſe. *Secundo*: idem docent SS. PP. præſertim Evariſtus Priſcus Pontifex *epiſt. ad Epiſcop. Affric.* qui exponens cit. textum Pauli *videbimus eum ſicuti eſt*, dicit, *id eſt immediatè in ſe ipſo*, ſeu ſecundùm Eſſentiam. Et Benedictus XVI. in quadam Extravag. ubi ait, *Sancti poſt JESU Chriſti Paſſionem, & mortem viderunt, & vident, & videbunt Divinam Eſſentiam immediatè, ſe benè, clarè, & apertè illis oſtendentem*. Idem docent Irenæus *lib. 18. cap. 58.* Et Hilarius *in cap. 4. & 18. Matth.* Et alii PP. Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum ſolutæ ſunt *prior. cap. artic. 2.*

Dico ſecundò: Angeli & Sancti in Beatitudine jam conſtituti intelligunt Orationes, ac petitiones noſtras ad eoſdem factas; ac res noſtras ſublunares. Ita Catholici; contra Calvinum, Bezam, Witakerum, &c.

Probat. S. Scriptura indicat, Angelos bonos, & Sanctos in Cœlis intelligere noſtra ſublunaria; nam propterea D. Paulus ad Tim. 5. S. Angelos teſtes invocat, dicens, *teſtor coram DEO, & Chriſto JESU, & electis Angelis*. Et 1. ad Cor. 4. eoſdem Spectatores ſuarum actionum producit dicens, *ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus*. Et Pſalmiſta *pſal. 137.* ait, *in conſpectu Angelorum pſallam tibi DEUS meus*. Et Apoc. 11. & 19. *cap.* deſcribuntur Sancti in Cœlo poſiti videre ea, quæ fiunt in terra. Et Luc. 15. dicuntur Angeli gaudere de rebus quibuſdam noſtris occultis, & internis; ut de contritione, ad DEUM converſione, &c. ibi, *gaudium erit coram Angelis DEI ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. Et Gen. 48. jubentur filii Jacob invocare nomen ſuum; quod non fieret, ſi eos Jacob non intelligeret; *invocetur ſuper eos nomen meum*. Et Luc. 16. Abraham invocatus à divite Epulone, audivit eum, ac reſpondit. Et Apoc. 5. illi 24. Sancti, ſeu Seniores percipiunt Orationes hominum juſtorum in terra exiſtentium, & eas DEO offerunt: Ergo &c. Et ſanè ſi Samuel cognovit omnia, quæ erant in Corde Saul 1. Reg. 9. Et Elizæus facta famuli ſui abſentis 4. Reg. 5. Et Secreta Concilia Regis Syriæ 4. Reg. 6. Et Petrus fraudem Ananiæ ac Saphiræ Act. 5. cur Sanctis cognitio noſtrorum actorum denegari deberet. Huc faciunt etiam omnia argumenta, ſupra *cap. 3. art. 2.* producta pro invocatione SS. quæ ſupponit, eoſdem percipere petitiones noſtras ſublunares.

Objecta Hæreticorum ſoluta ſunt *cap. 3. art. 2.*

Dico tertiò: Sancti in Cœlis, exiſtentes utì & Angeli boni orant pro nobis. Ita Catholici; contra Zwinglianos, Lutheranos, Confeſſionem nuperam Gallicam, & Anglicam, &c.

Probat. *primò*: ex S. Litteris conſtat; Sanctos pro nobis orare; unde hoc ipſum ſuis fidelibus promiſit S. Petrus 2. Petr. 1. ibi, *dabo operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum.* &c. Videlicet commendatos in Orationibus meis. Et Apoc. 5. *viginti quatuor Seniores* (id eſt Sancti jam in Cœlis conſtituti) *ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli Citharas, & Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*, & eaſdem obtulerunt DEO, haud dubiè adjicientes ſuffragia pro iis, quibus præſunt; juxta id, quod ſequitur, *& regnabimus ſuper terram*. Præterea plura exempla commemorat S. Scriptura de orationibus jam defunctorum, factis pro conſervis ſuis; ac de Angelis pro nobis orantibus; unde 2. Mach *ult. cap.* Onias & Jeremias pridem defuncti dicuntur orare pro Judæis. Et Zach. 1. refertur oratio Angeli pro Judæis, ibi, *& reſpondit Angelus, & dixit Domine exercituum, uſque tu non miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda, quibus iratus es*. Et Tob. 12. dicit Angelus *obtuli orationem tuam Domino*, ſcilicet pro te pariter orando. Et propterea etiam dicitur, quòd Apocal. 8. *alius Angelus venit, & ſtetit* (*in Cœlo*) *ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt ei incenſa multa, ut daret de orationibus SS. Omnium ſuper altare*

aureum

Digitized by Google

aureenis, quod eſt ante thronum DEI, & aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram DEO: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: eandem doctrinam profitentur SS. PP. unde Hieronymus *epiſt. ad Paul. de obitu Blaſillæ*, ait, *Dominum rogat Frater* (ſcilicet Blaſilla) *mihiq; impetrat veniam peccatorum.* Stabilitur hæc eadem concluſio omnibus fundamentis, ſupra *cap. 3. art. 2.* relatis de SS. invocatione, qui propterea invocantur à Fidelibus, ut orent pro iiſdem ac ipſis patrocinentur ſuis ſuffragiis apud DEUM: Ergo &c.

Dico quartò: Fideles piè per merita SS. DEUM orant, & deprecantur. Ita Catholici; contra Calvinum Illyr. Confeſſionem Saxonicam, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, homines juſtos olim ſub hac ratione DEUM oráſſe, & deprecatos fuiſſe; nam ſic orat Moyſes Exod. 32. *recordare Abraham, Iſaac, & Iſraël ſervorum tuorum*: & orationes ejus exauditæ fuêre; unde ſequitur ibidem, *placatuſq; eſt Dominus, nè faceret malum, quod locutus fuerat adversùs populum ſuum.* Et 2. Paral. 6. Salomon orat ſic, *Domine DEUS, nè avertas faciem Chriſti tui, memento miſericordiarum David ſervi tui.* Et Azarias ſic Dan. 3. *neque auferas miſericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum, & Iſraël Sanctum tuum*: Ergo &c. Huc valet etiam quod dicit Chriſtus, *facite vobis amicos de mamona iniquitatis* (benefaciendo hic ſanctis, & eoſdem colendo) *ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; orando videlicet DEUM, & deprecando pro vobis, ut eò ingredi valeatis.

Probat. *ſecundò*: perpetua Eccleſiæ praxis fuit, orare DEUM per Sanctos; uti conſtat ex SS. PP. præſertim Theodr. qui *q. 67. in Exod.* dicit, Moyſen, cùm ſe non exiſtimaret ſufficientem ad placandum DEUM, adhibuit etiam Patrocinium Patriarcharum, ſcilicet Abraham, Iſaac, & Jacob, Exod. 32. Et D. Auguſt: *quæſt. 149. in Exod.* ait, *admonemur cùm merita noſtra nos gravant, nè diligamur à DEO, relevari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos DEUS diligit*: Ergo &c.

Dico quintò: Fideles piè imitantur exempla laudabilia Sanctorum. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, &c.

Probat. Scriptura monet nos, ut imitemur Sanctos in ſuos operibus bonis, & vita; unde D. Paulus ad Hebr. 6. ait, *cupimus ut non ſegnes efficiamini; verùm imitatores eorum, qui fide, & patientia hereditabunt promiſſiones.* Et 2. ad Theſſ. 3. ait idem Apoſtolus, *ipſi enim ſcitis, quemadmodum oporteat imitari nos.* Et 1. ad Cor. 4. *rogo ergo vos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Quod repetit *cap. 11.* Non continet ergo nænias (ut ait Lutherus *poſt: in feſt. S. Joan.*) imitare SS. exempla laudabilia. Eandem imitationem approbant, & ſuadent omnes SS. PP. & praxis perpetua Eccleſiæ, ab iiſdem SS. PP. tradita: Ergo &c.

Dico ſextò: Sancti non ſunt omnes æquales in gloria cœleſti. Ita Catholici; contra Jovinianum, Pet. Martyrem, Paræum, Perkynſum, &c.

Probat. primò: ex S. Litteris conſtat Sanctorum inæqualitas in gloria; unde dicitur Joan. 14. *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Et 1. ad Cor. 15. *alia claritas Solis, alia Lunæ, & alia claritas Stellarum; ſtella enim à ſtella differt claritate; ſic & reſurrectio mortuorum.* Et Luc. 7. *qui autem minor eſt in Regno Cælorum, major eſt illo*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: eadem SS. inæquilitas in gloria patet ex SS. PP. eam aſſerentibus, dum exponunt cit. textum D. Pauli 1. ad Cor. 5. ſignanter ex Auguſtino *lib. de Virg. cap. 26.* Et Hieronymo *lib. 2. contra Jovinian.* Et Baſilio, Hilario, Beda &c. *Tertiò*: eſt etiam ratio; quia merces debet proportionari gradui laboris, & meritorum; ſed gloria eſt merces laboris, & meritorum Sanctorum; adeoque debet proportionari labori, & meritis eorum; & conſequenter cùm labor, & merita SS. ſint inæqualia, proinde etiam gloria eorum erit inæqualis.

Objiciunt Hæretici: Matth: 20. dicitur Paterfamilias, Chriſtus ſcilicet, æqualem denarium diurnum dediſſe omnibus laboratoribus: ſed ille denarius eſt viſio beatifica: Ergo &c. Reſpondeo gloſſando Scripturam cum Scoto, & D. Thoma; & dico, per æqualem denarium intelligi idem præmium eſſentiale; id eſt eandem viſionem objectivè: puta ejuſdem DEI, quem omnes meritoriè laborantes videbunt: cum quo ſtat, viſionem unius poſſe eſſe illuſtriorem alterius viſione: Velut vult D. Auguſtinus *ſerm. 59. cap. 4. Denarius ille eſt vita æterna, & in vita æterna omnes æquales erunt, quamvis enim meritorum diverſitate fulgebunt, alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus.* Et conſonat S. Hieronym. *lib. 2. contra Jovinian. dicens; unus autem denarius non unum eſt præmium; ſed una vita, & una de gehenna liberatio.*

CA-

CAPUT VIII.

De Feſtis Domini Sabaoth, B.V. & Sanctorum colendis.

DIco primò : Dies Feſti in Cultum Domini Sabaoth, & honorem B. V. ac SS. ab Eccleſia conſtituti, licitè & piè celebrantur. Ita Catholici; contra Lutheranos, Calviniſtas, Anabaptiſtas, &c.

Probat. *primò* : ex S. Scriptura conſtat Feſtorum dierum memoratorum celebratio: unde de Dominica dicitur Apoc. 1. *fui in Spiritu in Dominica die*. Et de feſtis diebus Paſchatis, & Pentecoſtes habetur Act. 20. ubi S. Paulus narrat ſe Pentecoſten celebrâſſe. Et de Paſchate habetur Exod. 23. Et de Feſto Dedicationis templi habetur Joan. 10. ubi legitur Chriſtus interfuiſſe Hieroſolymis feſto Dedicationis templi Hieroſolymitani : Ergo &c.

Probat. *ſecundo* : perpetua quoque Eccleſiæ traditio, quæ ex SS. PP. conſtat, aliquos dies feſtos Domini Sabaoth, DEIparæ, & aliquorum Sanctorum ſolemnizavit : Ergo &c. Probat. Ant. nam Ambroſius *ſerm. 62.* dicit, *quòd Dominica nobis venerabilis eſt, atque ſolemnis*. Et Auguſtin. *præf. in Epiſt. ad Joan.* dicit, *interpoſita eſt ſolemnitas Sanctorum dierum*. Et *lib. 22. de Civitat. cap. 30.* ait, *Dies Dominicus Chriſti Reſurrectione ſacratus eſt*. Et idem S. Doctor *tract. 27. ſuper Joan.* narrat Hippone diem feſtum S. Laurentii fuiſſe celebratum. Et Hieronymus recenſet *lib. 1. epiſt 35* jam ante ſua tempora, diem feſtum S. Petri fuiſſe celebratum. Eandem doctrinam de feſtis diebus SS. licitè celebratis, etiam à primitiva Eccleſia, profert Clemens *in conſtit. Apoſt. lib. 8. cap. 33.* Et Origenes *lib. 3. in Job.* & Baſilius Magnus *in 40. Mart.* Et Gregorius Nazianz. *orat. 3.* Ergo &c.

Probat. *tertiò* : celebratio aliquorum feſtorum Domini Sabaoth; ùt Paſchatis, Pentecoſtes, &c. pertinet ad ejuſdem cultum, de quo exhibendo eſt præceptum non tantùm Divinum; ſed & naturale : Ergo talia celebrare quivis debet, & licitè poteſt. Sanctorum verò dies feſti inſtituti ſunt ob dignas eorum memorias, recolendas de meritis poſitis, & beneficiis variis Eccleſiæ exhibitis ab eis, v. g. à B. V. MARIA, à SS. Apoſtolis, eminentioribus Martyribus, ut Stephano, Laurentio &c. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò* : omnes dies ſunt æquales; nam ad Rom. 1. dicitur, *alius judicat inter diem*; *alius omnem diem* : Ergo &c. *Secundò* : in nova Lege quivis dies eſt aptus ad orandum, & colendum DEUM : Ergo unus alterô non eſt ſanctior, nec celebrior. *Tertiò* : recentiores Romanenſes conſtituerunt plura feſta, quorum uſus non fuit in Eccleſia : Ergo &c. *Quartò* : quidam dies feſti conſtituti ſunt à profanis perſonis, ut à Regibus; unde Mauritius Imperator inſtituit diem feſtum Aſſumptionis B. V. & Juſtinianus Purificationis : Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam ille textus ad Rom. 1. non eſt ad propoſitum; agit enim de jejuniis; ut ſenſus ſit, aliqui jejunant certis diebus, ut feria 4. 5. vel 6. alii alio die, & utrique rectè agunt; quod tamen non probat, omnes dies eſſe pares quoad feſtivitatem, ſeu ſanctitatem. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam uno die majus myſterium celebratur v. g. Paſchatis; quam alterô; adeoque una dies eſt ſanctior, & aptior ad prædicandum, & recolendum feſtivè ejuſmodi myſterium; ſicque expedit eſſe dies feſtos. *Ad Tertium* Conc. Ant. nec hoc ullum infert inconveniens; nam ex novis cauſis gravibus v. g. ob eminentem ſanctitatem, & miracula alicujus celebris novi Sancti, potuit Eccleſia Romana in ſucceſſivis ſæculis conſtituere nova Feſta; non minus, quàm in primis ſæculis. *Ad Quartum* Neg. Ant. & ad exempla allata dico, illos dies feſtos pluribus annis ante dictorum Imperatorum Imperium fuiſſe celebratos : unde ipſi ſolùm ad dicta feſta addidêre quidpiam, ad cultum civilem pertinens.

CA-

CAPUT IX.
De Templis.

DIco primò: pium, & Religioſum opus eſt, erigere loca Sacra, & Templa, Capellas, ac Oratoria conſtruere, pro fundendis ibidem precibus. Ita Catholici; contra Euſtachianos, Waldenſes, Pſeudo-Apoſtolos, Thaboritas, Calviniſtas, & plures Anabaptiſtas.

Probat. *primò*: factum Salomonis ædificantis ſumptuoſum Templum approbatur à DEO 2. Paral. 7. unde illud ſuâ gloriâ implevit, & tot privilegiis decoravit. Deinde ut Chriſtus oſtenderet, quanti Templorum ædes piè conſtructas æſtimet, ejecit ex Templo Hieroſolymitano ementes, & videntes, & æs nummulariorum in eodem evertit. Et DEUS ipſe mandat conſtrui ſibi domum, ſeu Templum Agg. *1. cap. ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.* Et SS. Apoſtoli Petrus & Joannes ut approbarent Templorum ædificationes in cultum DEI, & pro fundendis, precibus factas, *aſcendebant in Templum ad horam orationis novam*, Act. 3. Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: jam à primitiva Eccleſia ſemper fuerunt aliqua loco DEO dicata, & pro fundendis precibus conſtituta; uti conſtat ex Euſebio Cæſar. qui *lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 17.* narrat Philonis Judæi lucubrationem de moribus Chriſtianorum, referentis de iiſdem, quòd in ſingulis locis habeant domos conſecratas Orationi, in quibus honeſtæ & caſtæ vitæ myſteria celebrant. Et ex Concil: Priſco Gangrenſi *cap. 5.* & geſtis primorum Sanctorum Pontificum, qui nunc cryptas, nunc domos ſecretiores nobilium perſonarum conſecrabant in Templa, tempore perſecutionis. Et ex SS. PP. Priſcis, qui ſæpius Eccleſiarum, & Templorum memoriam faciunt; ut Auguſtino *ſerm. 252. & 252. de tempore.* Et Chryſoſtomo *hom. 33. in cap. 9. Matt.* Et S. Felice Papa IV. cujus teſtimonia referuntur *de conſecrat. diſt. 1. cap. 2.* Ergo &c.

Dico ſecundò: Templa inſtituta ſunt non ad profanos tractatus, & actiones mundanas; ſed Orationem in iis faciendam. Ita Catholici; contra Lutherum, Trindallum, Politicos, &c.

Probat. nam Matth. 21. dicitur *domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Et propterea Luc. *ult. erant Apoſtoli ſemper in Templo laudantes, & benedicentes DEUM.* Et Luc. 2. *Anna non diſcedebat de Templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte, & die.* Et ideo Salvator ejecit ex Templo omnes, tractatus negotiationum ſæcularium facientes Matt. 21. Et Paulus repræhendit commeſſationes, & potitationes à quibuſdam relaxatis ſolicitas fieri ſuo tempore in Templis, dicens: 1. ad Cor. 11. *convenientibus vobis in Eccleſiam* &c. *nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam DEI contemnitis?* &c.

Dico tertiò: Placet DEO, & licitus eſt ornatus Templorum. Ita Catholici; contra Calvinum, Tygurinos, Anabaptiſtas, Zwinglianos, &c.

Probat. in Scriptura S. leguntur facti varii ornatus Templi, & Sanctuarii, quæ non reprobantur à DEO; unde dicitur Exod. 35. *omne vas aureum in donaria Domini ſeparatum eſt.* Et ibidem, *Principes verò obtulerunt lapides Onychinos, & Gemmas.* Et Exod. 36. *quotidie mane vota populus offerebat.* Imò DEUS ipſe animavit Salomonem ad faciendum talem ornatum 3. Reg. *cap. 6.* unde & eundem perfecit opere mirifico, & pretioſo, dicente Scriptura ibidem, *nihil erat in Templo, quod non aurô tegeretur.* Et DEUS paritet Templorum cultum amat; nam *pſal. 23.* dicitur, *dilexi decorem domus tuæ*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: à temporibus Conſtantini Magni, & Sylveſtri Papæ Eccleſia conſuevit Templa, Eccleſias, & Oratoria conſtruere; ac exornare, & Conſtantinus ipſe Eccleſiam Lateranenſem pretioſis donariis, aureis, argenteis, & picturis honoravit, ac exornavit. Et ſi licuit olim Arcam Domini, & Sanctuarium teſte Scripturâ exornare; imò Domino jubente ejus ornatus confectus fuit: cur non & tabernacula SS. Sacramenti, ac Eccleſias cultu tantæ Majeſtati convenienti exornare liceret?

Dico quartò: Fideles meritò & conformiter ad S. Scripturam celebrant Templorum dedicationes. Ita Catholici; contra Calviniſtas, alioſque Hæreticos præfatos.

Probat. *primò*: in S. Scriptura referuntur factæ laudabiliter quædam dedicationes Templi; ſic dicitur 1. Eſd. *6. cap. fecerunt autem filii Iſraël Sacerdotes, & Levitæ &c. dedicationem Domûs DEI in gaudio.* Et 3. Reg. *8. cap.* habe-

tur, quòd *mactavit Salomon hoſtias pacificas, quas imolavit Domino, boum 22. millia, & ovium 120. millia, & dedicaverunt Templum Domini Rex, & Filii Iſraël*: Ergo &c. *Secundò*: priſca Concilia approbaverunt, & ordinaverunt dedicationes Templorum; ut videre eſt in Concil. IV. Carthaginenſi *can. 6.* ann. 390. Imò Salvator ipſe apud Joann. refertur interfuiſſe annuæ celebritati dedicationis templi Hieroſolymitani, ut eandem ſuâ præſentiâ authentizaret. Et SS. PP. paſſim commemorant dedicationes Templorum, eaſque feſtivas eſſe volunt; ut Clemens *in Conſtit. Apoſt. lib. 8. cap. 33.* Et Origenes, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianz. &c. Ergo &c.

CAPUT X.

De Jejuniis.

ARTICULUS I.

An ſit licitum, & meritorium jejunare?

Dico primò: licitum omnino, & meritorium opus eſt jejunare, & abſtinere à carnibus. Ita Catholici; contra Jovinian. Waldenſ. Lutherum, Calvinum, Bezam, &c.

Probat. *primò*: in S. Scriptura recenſentur varia exempla jejuniantium, quæ non reprobantur, imò laudantur tanquam licita, utilia & meritoria: unde 2. Paralip. 20. dicitur, *Joſaphat timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium univerſæ Judææ*; quô memoratus Rex obtinuit mirabilem victoriam *eod. cap.* recenſitam. Et Eſther *cap. 4. Eſther.* mandat, *vade, congrega omnes Judæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me, non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & cum ancillis meis ſimiliter jejunabo*, &c. Hôc jejuniô Eſther obtinuit liberationem omnium Judæorum exulum ab occiſione imminente. Et 1. Eſdræ cap. 8. ait Eſdras, *prædicavi ibi jejunium, ut affligeremur coram Domino DEO noſtro, peteremus ab eo viam rectam nobis, & Filiis noſtris, univerſæq; ſubſtantiæ noſtræ* &c. Et 1. Reg. 14. legitur jejunium indictum à Saule: & à Rege Ninivitarum Jonæ 3. Et Daniel. *cap. 10.* Daniel ait de ſuo jejunio, *in diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus. panem deſiderabilem non comedi, & panis, & vinum non introierunt in os meum*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: paſſim in Scriptura recommendatur nobis jejunium; unde dicitur Joël 3. *convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu.* Et Matth. 6. dicitur, *tu autem cùm jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, nè videaris ab hominibus jejunans; ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito reddet tibi*; ſcilicet mercedem. Et ibidem, *canite tuba in Sion, ſanctificate jejunium.* Eiuſdem jejunii effectus inſignes in eadem Scriptura recenſentur; uti patet ex illo Matt. 17. *hoc genus (dæmoniorũ) non ejicitur, niſi per orationem & jejunium.* Et ex cit. locis *prima probat.* Et Chriſtus ipſe practicavit jejunium 40. dierum, uti S. Evangelicus textus teſtatur. Item S. Joannes Baptiſta, qui abſtinentiæ cauſa *vinum & ſiceram non bibit* Luc. 1. Et Apoſtoli ſancierunt, ut jejunium Quadrageſimæ ſervaretur à Chriſti Fidelibus; unde Hieronymus *epiſt. ad Marcell.* ait, *unam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruô reſervamus.* Item SS. Antiſtites Act. 13. leguntur Paulum, & Barnabam ad prædicationem miſiſſe præviô jejuniô, *tunc jejunantes &c. dimiſerunt eos.* Et demum plura Concilia Oecumenica etiam priſca, & SS. PP. communiter, infra *art. 2.* citandi, jejunium approbant, ut licitum, utile, ac meritorium agnoſcunt: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: Jejunia recenſentur à S. Scriptura inter opera pœnitentialia, quibus DEUS offenſus placatur; uti conſtat ex *cit. cap. 10.* Dan. Et propterea dicitur 2. Eſd. 9. *in die 24. menſis hujus convenerunt Filii Iſraël in jejunio, & in ſaccis, & fumus ſuper eos.* Et Joel. 2. *convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Et 2. Mach. 13. *petentibus à Domino miſericordiam cùm fletu & in jejuniis* &c. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: jejunii exercitium eſt ſignum hypocriſis & infidelitatis: nam 1. ad Tim. 4. dicitur, *in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentes nubere, abſtinere à cibis* &c. Ergo &c. *Secundò*: DEUS jejunium vilipendit: nam Iſai. 58. dicitur, *nunquid tale eſt jejunium, quòd elegi, per diem affligere*

affligere hominem animam ſuam? (id eſt tota die à cibis abſtinere.) *nunquid contorquere ut circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere? nunquid iſtud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? nonnè hoc eſt magis jejunium, quod elegi? diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes;* acſi diceret DEUS, optimum eſt iejunium abſtinere à peccatis: Ergo &c. *Tertiò*: jejunia valetudinem lædunt, ſicque alto DEI Dominio in corpora humana præjudicant: Ergo &c. *Quartò*: Apoſtolus appellat ſervationes jejuniorum doctrinas hominum, & conſequenter tenet eas eſſe inutiles, & varias: nam dicit ad Coloſſ. 2. *Si ergò mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? nè tetigeritis, nè guſtaveritis* (nota, abſtinentiam, & jejunium) *neque contrectaveritis? quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu ſecundùm præcepta, & doctrinas hominum*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad textum, 1. ad Tim. 4. dico, illum non Catholicos jejunantes; ſed Hæreticos priſcos Marcioniſtas, & Manichæos ac ſimiles afficere, qui nuptiàs tanquam malas, & certos cibos tanquam immundos penitùs abhorrebant, pro omni tempore; eò quòd putarent eos ex natura eſſe malos, & abominandos, quod non faciunt Catholici; certis duntaxat temporibus, & ex virtute abſtinentes à carnibus. *Ad Secundum* Nego Ant. Et ad textum Iſa. 58. dico, DEUM ibi non vilipendere illa jejunia, quæ à ſe, & SS. Prophetis conſtituta fuêre; ſed tantùm vituperat modum jejunandi quorumdam Judæorum, qui arbitrabantur ſatis eſſe, ſi maceraretur corpus inediâ, quamvis aliàs idem difflueret ad omne genus peccati; unde vult DEUS, ejuſmodi jejunia ſibi non eſſe grata, quando à ſolis cibis fit abſtinentia, non verò etiam à vitiis; utrumque ergo deſiderat. *Ad Tertium* Neg. Ant. cum ſua probatione; nam Eccleſia præfigens jejunia, vult ea fieri cum moderamine, ſalva ſcilicet ſanitate individui. Et certè experientia conſtat, non jejunia, & abſtinentias; ſed ciborum redundantiam officere valetudini hominum; nam antiqui Anachoretæ Paulus, Antonius, Hilarion, Simeon, &c. ac plurimi Monachi, rigida etiam jejunia colentes, vitam provexêre in extremam ſenectutem; quod rarò contingit in iis, qui perpetuò in largis menſis paſcuntur. Et quantum proſit ſanitati jejunium interpoſitum eruditè allegat S. Leo *ſerm. 4. de Quadrageſ.* & alii SS. PP. *Ad Quartum* dico, Apoſtolum ad Coloſſ. 2. loqui de illis Chriſtianis, qui judaizabant, & ciborum quorundam tanquam immundorum uſum pro omni tempore putabant eſſe vetitum, aliaſque nonnullas cæremoniales leges judicabant eſſe obſervandas; uti conſtat ex S. Chryſoſtomo, & aliis Expoſitoribus Scripturæ docentibus apertè, illis verbis, *neque contrectaveritis, neque guſtaveritis* &c. prohiberi ſequentia, nec tetigeritis cadaver hominis defuncti; neque ſedem, aut lectum mulieris menſtruatæ; & nè guſtaveritis carnem Suillam, Leporinam, & alios cibos in Lege prohibitos.

ARTICULUS II.

An jejunia ab Eccleſia conſtituta ſint ſervanda ſub peccato?

Dico primò: Chriſti fideles ſani, & potentes jejunare obligantur ſub peccato ad jejunia Quadrageſimæ, Quatuor temporum, ac alia ab Eccleſia ritè conſtituta. Ita Catholici; contra Jovinianum, Waldenſes, Lutheranos, Calviniſtas, &c.

Probat. *primò*: Eccleſia habet jus indicendi, & conſtituendi Quadrageſimam, ac alia jejunia; non minùs, quàm olim Synagoga, & Prophetæ, qui ritè jejunia certa conſtituebant; nam propterea dicitur ad Epiſcopos, & Pontifices, qui principaliter formant Eccleſiam Act. 20. *quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam* &c. Et Act. 15. *viſum eſt Spiritui S. & nobis*; & Chriſti fideles eidem Eccleſiæ in hoc & in aliis obedire tenentur; aliàs, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, Matt. 18 Et quia Luc. 10. dicitur, *qui vos audit, me audit.* Et Deut. 17. habetur, *qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino DEO tuo, ex Decreto Judicis morietur homo ille*: Ergo cum Eccleſia indixerit, & ritè conſtituerit Quadrageſimam, ac alia certa jejunia, Chriſti fideles ſani, & potentes jejunare obligantur ad eorum obſervantiam ſub peccato.

Probat. *ſecundò*: jejunium Quadrageſimæ, ac alia quædam jam ab Apoſtolorum temporibus conſtituta ſunt in Eccleſia, ut obſerventur: Ergo ſub obligatione ſunt obſervanda. Prob. Ant. nam ita teſtantur SS. PP. Clemens Rom. *in conſtit. Apoſt. lib. 5. cap. 17.* Et Canones Apoſtolorum *can. 68.* Et S. Ignatius Mart. *epiſt. ad Philip.* Et Tertullianus *lib. de jejunio.*

jejunio. cap. 15. Et Origenes *hom. 10. in Levit.* Et Baſilius *hom. 2. de jejunio.* Et Ambroſius *ſerm. 23. & 26.* Et S. Leo *ſerm. 6. de Quadrag.* ubi ait, *id nunc ſolicitiùs, & devotiùs eſt exequendum, ut Apoſtolica traditio 40. dierum jejuniis expleatur.* Et Auguſtinus *ſerm. 62. de temp.* ait, *in Quadrageſima non jejunare peccatum eſt.* Et Hieronymus *epiſt. 14. ad Marcell.* ubi ait, *nos unam Quadrageſimam ex Apoſtolorum traditione jejunamus.* Idem docent Concilia priſca; ut Nicænum I. *can. 5.* Et Toletanum VIII. *cap. 8.* Et Laodicæum *can. 50.* & alia: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Matt. 15. dicitur, *non quod intrat in os, coinquinat hominem*: Ergo carnes diebus jejunii comeſtæ non coinquinant, nec peccatum inducunt. *Secundò*: Luc. 10. dicitur, *manducate, quæ apponuntur vobis*: quæ locutio eſt indefinita, extendens ſe ad omnes dies: Ergo &c. *Tertiò*: 1. ad Cor. 10. *omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* *Quartò*: ad Galat. 4. Paulus repræhendit Galatas, quòd *dies obſervarent, & menſes, & tempora; & annos*: quod faciunt Catholici in ſuis jejuniis: Ergo &c. *Quintò* ad Coloſſ. 2. monet Apoſtolus, *nè judicentur in cibo, & potu*; id eſt, nè à DEO condemnentur propter abſtinentiam à cibo, & potu. *Sextò*: Papa Telesphorus inſtituit Quadrageſimam: Ergo non eſt Apoſtolica traditio.

Reſpondeo *ad Primum*: Nego Conſeq. nam Salvator noſter *cit. cap. 15.* Matt. loquitur de cibis ſecundùm ſuam entitatem phyſicam, ſeu naturam ſuam conſideratis, quæ utique quà tales non coinquinant animam, cùm hæc ſpiritualis ſit: quatenus tamen cibi aliqui ut carnes, prohibitæ ſunt per Legem, eorum ſumptio per os coinquinare poteſt animam peccatô: quia tali ſumptione contingit transgreſſio, contemptus, & inobedientia Legis. *Ad Secundum* dico; Chriſtum illis verbis Luc. 10. tantùm voluiſſe adhortari ſuos diſcipulos ad fragilitatem, ut ad quoſcunque divertiſſent, non lautitias ciborum quærerent; ſed appoſitis cibis, licet vilioribus, contenti veſcerentur. *Ad Tertium* dico; Apoſt. *loc. cit.* 1. ad Cor. 10. ſolùm voluiſſe quoſdam ſcrupuloſos fideles liberare à ſollicitudine nimia, quâ ſuſpicabantur carnes in macellis ſolitas vendi, fuiſſe forſitan Idolis priùs expoſitas: voluit ergo dicere, quòd carnes in macellis propoſitas ad venditionem ſecurè emere, & manducare poſſint; nec teneantur in conſcientia interrogare, an tales Idolaticæ fuerunt; ,vel non. *Ad Quartum* dico; Chriſtum hoc loco ad Galat. 4. redarguere duntaxat quamdam ſuperſtitionem Judæorum quorundam converſorum, adhuc Judaizantium, qui cum Chriſti legem amplexi eſſent, adhuc tamen erant æmulatores Legis veteris, & volebant, ut Gentes converſæ ſimul cum Evangelio Legem Moſaycàm colerent, Judaico ritu dies obſervarent, & annos; id eſt feſta, & ſolennitates umbratiles Judæorum; ſicque obſervarent jejunia Legalia, & abſtinentiam à porcinis carnibus, &c. *Ad Quintum* dico; quòd Scriptura *loc. cit.* ad Coloſſ. 2. agat de abſtinentia à cibo vetito v. g. carne porcina, quatenus illa præcepta erant ex Lege veteri; non verò de abſtinentia à carnibus, in Lege nova non prohibita. *Ad Sextum* Neg. Ant. nam contrarium patuit ſupra *ex probat.* 2. Telesphorus itaque tantùm ordinavit, ut jejunium Clericorum eſſet productius, ſcilicet ſeptem ſeptimanis, ut ita ij, qui ſtatûs dignitate cæteris præferuntur, etiam obſervantiâ Quadrageſimæ alios antecellerent.

CAPUT XI.

De Peregrinationibus, & publicis Orationibus.

Dico primò: Peregrinationes, quæ devotionis causâ inſtituuntur ad Eccleſias, & Imagines Thaumaturgas, ac alia loca ſacra, ſunt laudabiles, & piæ. Ita Catholici; contra Lutheranos, Calviniſtas, Zwinglianos, Anabaptiſtas &c.

Probat. *primò*: ejuſmodi Peregrinationes habent fundamentum in S. Litteris; puta in Deut. 16. ubi dicitur, *tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini DEI tui in loco, quem elegerit.* Item in 2. Reg. *cap. 15. vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* Item in Actor 8. *cap.* ubi habetur, *& ecce vir Æthiops, eunuchus, potens candacis Reginæ Æthiopum &c. venerat adorare in Jeruſalem*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: Salvator noſter ipſemet cum S. Matre ſua ex Nazareth peregrinando aſcendit in Jeroſolymitanum templum: Idem fecerunt S. Apoſtoli Paulus, Petrus & Joannes,

nes, uti conſtat *ex Act. Apoſtol.* Eandem etiam laudabilem conſuetudinem ad pia loca peregrinandi devotionis causâ coluerunt SS. PP. qui redditâ pace Eccleſias Sacra Limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctuaria Palæſtinæ, & alia peregrinantes inviſerunt; ſignanter D. Auguſtinus, D. Hieronymus, Ambroſius &c. Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum conſiſtunt in meris calumniis, & injuriis, quibus inſectantur Catholicorum pias Peregrinationes; unde non merentur relationem, nec refutationem.

Dico ſecundò: non eſt vetitum Chriſtianis orare publicè in peregrina lingua reſpectu talis Patriæ, v.g. Latina. Ita Catholici; contra Confeſſionem Anglicanam, Lutheranos, Calviniſtas, &c.

Probat. *primò*: S. Scriptura non reprobat modum fundendi preces in lingua peregrina, modò ſint aliqui, qui eam intelligant, & interpretentur, uti ſunt apud Catholicos Concionatores, & alii, ac libri interpretantes linguam Latinam; nam 1. ad Cor. 14. dicitur, *omnia ad ædificationem fiant, ſive linguâ quis loquitur, ſecundùm duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur.* *Secundò*: perpetua Eccleſiæ etiam primitivæ praxis obtinuit, ut preces in Miſſa, & Liturgiis, imò tota Miſſa diceretur in Lingua Latina, vel Græca; quæ tamen non ab omnibus auditoribus v.g. Germanis, Polonis, &c. intelligitur: Ergo &c. Similiter SS. PP. complures ſuas preces conſcripſerunt in lingua Latina, vel Græca, & qui hiſce publicè uſi fuerunt, citra omnem repræhenſionem: Ergo &c. *Tertiò*: Nec ex S. Scriptura; nec ex Patre conſtat, eſſe prohibitum publicè orare in lingua peregrina reſpectu patriæ talis; cùm omni labio poſſit DEUS glorificari, & honorari, ipſeque omnes linguarum differentias, & dialectus cognoſcat, & precantem in quavis lingua exaudit; modò proferat preces ab Eccleſia examinatas, approbatas, & Catholicas:

Objectiones Hæreticorum tanquam prorſus infundatas non refero; cùm in ſolo ſentimine erroneo eorum conſiſtant.

CAPUT XII.

De bonis Operibus.

ARTICULUS I.

An opera juſtorum omnia ſint vitioſa;

Dico primò: aliqua opera juſtorum non ſunt ullo modo vitioſa aut peccaminoſa; ſed aliqua revera ſunt bona & integrè juſta. Ita Catholici; contra Calvinum, Confeſſionem Anglicanam, Helveticam, Wittenbergenſem, Belſgicam, &c.

Probat. *primò*: ex S. Litteris conſtat, quædam opera bona, integrè juſta, ac abſque omni vitio, & peccato; unde de Job dicitur, *Job. 1. cap. in omnibus his non peccavit Job labiis ſuis, neque ſtultum quid contra DEUM locutus eſt.* Et David interpellans DEUM de juſtitia ſuorum operum ait Pſal. 7. *judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.* Et pſal. 16. dicit, *igne me examinâſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Et 3. Reg. 15. dicitur de eodem David, *eò quod feciſſet David rectum in oculis Domini.* Et Iſai. 38. ita orat Ezechias, *memento quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: rurſus ex S. Scriptura conſtat, dari in juſtis aliquos actus morales, qui non ſunt ex ſe peccata; nam 2. Petri 5. dicitur, *hæc facientes non peccabitis aliquando.* Et 1. ad Cor. 7. *& ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Et pſal. 4. *iraſcimini, & nolite peccare.* Et pſal. 17. *cuſtodivi vias Domini, nec impiè geſſi à DEO meo.* Et 1. Pet. 2. *offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles DEO per JESUM Chriſtum.* Et 1. Joan. 4. *Et qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo*, quibus verbis datur intelligi, juſtos quâ tales non peccare: Ergo aliqua opera juſtorum non ſunt vitioſa, aut peccaminoſa.

Probat. *tertiò*: SS. PP. paſſim agnoſcunt in juſtis reperiri poſſe opera, quæ nullô modô ſunt peccaminoſa; ut videre eſt apud Baſilium *in proœmio de judicio.* Et apud Cyrillum Hieroſolym. *cat. 15.* Et Chryſoſtomum *ſerm. in Beatos Job, & Abraham.* Et Ambroſium *lib. de apol. David.* Et Cyprianum *de unit. Eccleſ.* Et alios infra *art. 2. & 3.* citandos, ubi ex iiſdem operum bonorum, ſeu meritorum neceſſitas, atque efficacia oſtendetur.

Probat. *Quartò*: DEUS aliquibus operibus

bus bonis juſtorum promittit vitam æternam reddendam : Ergo talia non ſunt vitioſa & peccaminoſa ; pro ſimilibus non datur vita æterna. Prob. Ant. nam Jacobi, 1. *cap.* dicitur, *beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit DEUS diligentibus ſe.* Et ad Tim. 4. *bonum certamen certavi &c. in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex,* &c. Ergo &c.

Probat. *quintò* : ab homine immundo, & peccatore procedunt opera immunda, & peccata : Ergo ſimiliter ab homine mundo, & juſto procedunt opera juſta, & bona, quæ non ſunt peccata ; unde huc facit dictum Salvatoris Matth. 7. *non poteſt arbor bona malos fructus facere ; neque arbor mala bonos fructus facere.* Deinde in juſtis adſunt omnia principia bonæ, & rectæ operationis ; videlicet intellectus, voluntas, potentia exterior executiva operis exterioris boni ; gratia quoque DEI juſtificans, & actualis : Ergo &c. Tandem S. Scriptura nos adhortatur ad poſitionem bonorũ operum ſatisfactoriorum pro peccatis ; adeoque cenſet in nobis talia opera eſſe bona, & non vitioſa. Probat. Ant. nam Dan. 4. *peccata tua Eleemoſynis redime.* Item ad obſervantiam Legis Matth. 19. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* : Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò* : Iſa. 64. dicitur, *facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Ergo omnia opera omnium hominum etiam juſtorum ſunt immunda ; & conſequenter vitioſa. *Secundò* : Eccleſ. 7. dicitur, *non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum ; & non peccet* : Ergo in omni opere noſtro peccamus. *Tertiò* : pſal. 142. dicitur, *non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens* : Ergo omnia opera quorumcunque ſunt coram DEO peccata.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam ille textus Jſa. 64. loquitur tantùm de omnibus hominibus ſceleratis illius temporis, quales tempore Iſaiæ erant plerique Judæi ; qui propterea etiam tranſlati fuêre captivi in Babylonem, ut exponunt nonnulli DD. Vel de omnibus illis peccaminoſis Judæis, juvenibus tempore Romanorum, & caſtigatis à Tito ac Veſpaſiano Romanis ducibus ; uti exponit D. Hieronymus. *Ad Secundum* Neg. pariter Conſeq. quæ tam generaliter ex præfato textu non ſequitur ; poteſt enim homo juſtus exercere aliqua bona opera ; & tamen etiam ſubinde peccare ; uti patet ex illo Prov. 24. *Septies enim cadet juſtus,* ſcilicet in peccata aliqua venialia ; uti exponunt SS. PP. præſertim S. Hieronymus ; à quibus tamen etiam rurſus *reſurgit* ; ut dicitur ibidem, ſicque rurſus opus bonum facit ipſo actu reſurgendi. *Ad Tertium* Nego ſimiliter Conſeq. nam ex illo textu pſal. 142. aliud non habetur, niſi quòd homo juſtus habeat aliqua peccata, ob quæ non poſſit abſolutè à DEI judicio eſſe immunis ; quod verum eſt de venialibus, in quæ juxta citatum textum Prov. 24. ſæpius labitur ; præter quæ tamen etiam facit aliqua opera bona, uti conſtat ex pſal. 1. ibi, *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit ; ſed in Lege Domini voluntas ejus.* Et pſ. 100. *perambulabam in innocentia cordis mei, non proponebam ante oculos meos rem injuſtam, non adhæſit mihi cor pravum,* &c.

ARTICULUS II.

An aliqua opera bona ſint juſtis ad ſalutem neceſſaria?

Dico primò : homines juſti adulti, & diu viventes aliqua opera bona neceſſariò elicere debent, ut ſalutem conſequantur. Ita Catholici ; contra Valentinianos, Simoniacos, Pſeudo-Apoſtolos, Eunomianos, Lutherum, Calvinum, &c.

Probatur *primò* : imprimis obſervantia præceptorum moralium Decalogi (quæ opus bonum eſt) eſt neceſſaria omni juſto adulto, & diu viventi ; ita ut ſinè eorum obſervatione ſalvari non poſſit ; uti conſtat ex illo dicto Chriſti, Matth. 5. *niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quàm Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in Regnum Cælorum* ; & ut oſtendat, in quo debeat abundare iſta juſtitia ; ſeu fieri obſervantia addit ſpecificando Decalogi præceptum, *dictum eſt antiquis, non occides ; ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Et ibidem, *nolite putare, quoniam veni ſolvere legem ; non veni ſolvere ; ſed adimplere,* videlicet : quò ad moralia Decalogi : *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum.* Et ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* : Ergo &c. Præterea ſuſceptio Baptiſmi quoque cuilibet adulto, etiam jam per Baptiſma flaminis juſtificato, eſt ad ſalutem neceſſaria (quæ pariter opus bonum eſt) ſi illud ſuſcipere poſſit ; nam Joann. 3. dicitur indefinitè, *niſi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in Regnum DEI* &c. Item dilectio proximi ab omni Chriſtiano eſt practicanda, tanquam opus bonum ad ſalutem neceſſariam

Joan.

Joan. 15. *hoc eſt Præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Item patientia, juxta illud ad Hebr. 10. *patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem DEI facientes reportetis repromiſſiones.* Idem dicendum de operibus Fidei Spei, timore DEI, juſtitiæ, & ſimilium, quæ in occaſione facienda ſunt ab adultis: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: SS. PP. paſſim docent, aliqua opera bona eſſe adultis juſtis neceſſaria ad ſalutem; unde Clemens Rom. *lib. 3. conſtit. cap. 12.* ait, *nomen viduitatis non introducet eas in Regnum* (Cœlorum) *ſed potius vera fides, & opera ſancta.* Et Clemens Alex. *lib. 3. ſtromat.* ubi ait, *non ſola enim juſtificat caſtitas: ſed nec Sabathum Eunuchis, niſi fecerit mandata* &c. ſcilicet Decalogi, & alia Chriſtianos obligantia. Et Cyrillus Hieroſolym. catc. 15. dicit, *non in hoc ſolo confidas, quod credis; ſed fidem ardenter conſerva, ut luceat lux tua coram hominibus per bona opera* &c. Et eandem doctrinam habet clariſſimè D. Chryſoſtomus *hom. 30. in Joan.* Et *orat. 7. in epiſt. ad Hebr.* Et S. Baſilius *in proœm. de jud. DEI.* Et Origenes *hom. in Ezech.* Et Irenæus *lib. 1. cap. 1.* Et Juſtinus Mart. *Orat. ad Antonin.* Et Cyprianus *epiſt. 14.* Et Hieronymus *in com. ad cap. 26. Iſa.* ubi ait, *non enim ſufficit habere fidem niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur.* Et Auguſtinus *tract. 2. in Joan.* ubi dicit, *nam illa omnia præcepta* (ſcilicet Decalogi, de quibus ibi diſſerit) *nobis magis præcipiuntur, & obſervanda ſunt, non occides, non mœchaberis &c.* & infra, *ea ibi jubentur in Decalogo Legis, quæ & nobis; ſed non ea promittuntur, quæ nobis; nobis quid promittitur? vita æterna &c.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: ſola fides ſufficit ad ſalutem, uti variæ Scripturæ atteſtantur: Ergo alia opera bona non ſunt neceſſaria. *Secundò*: ex Scriptura S. conſtat, Chriſtianos non eſſe ſub Lege; & conſequenter non teneri ad ulla opera bona legis elicienda, præter fidem: nam ad Rom. 6. dicitur, *non enim ſub lege eſtis; ſed ſub gratia.* Et ad Gal. 5. *quòd in Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege*: Et Luc. 16. *Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem, ex eo Regnum DEI evangelizatur*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. quod falſum patet ex paſſibus S. Scripturæ *probat. 1.* & ex authoritatibus SS. PP. *probat. 2.* adductis. Requiritur ergo ad ſalutem tum fides, tum alia opera bona; unde Auguſtinus *lib. de fid. & oper. cap. 13.* ait, *ut etiam hoc modo intelligitur alterum ſinè altero eſſe non poſſe; quia & qui credit DEO, debet facere, quod præcepit DEUS, neceſſe eſt, ut credat DEO.* *Ad Secundum* Nego Ant. ad textum primum ad Rom. 6. in oppoſitum adductum dico; Apoſtolum tantùm velle, quod Chriſtiani non ſint ampliùs obligati ad cæremonialia Legis veteris; cum quo ſtat, quòd ſint obligati ad moralia Decalogi, utpote quorum obſervantia in Lege nova à Chriſto eſt confirmata, & de novo præcepta Marc. 10. & Luc. 18. Deinde, ut obſervat Auguſtinus *in enar. ad pſal. 1.* quamvis Chriſtiani non ſint ſub Lege modô præfatô; ſunt tamen in Lege; unde ſecundùm Legem agere debent, ex ponere opera bona præcepta Decalogi. Ad ſecundum textum ad Galat. 5. uti & ad tertium Luc. 16. eſt eadem reſponſio; quòd ſcilicet ibi ſermo ſit de Lege veteri quoad cæremonialia, quæ erant figuræ eorum, quæ in Regno & Evangelio Chriſti contigerunt; non verò quoad moralia.

ARTICULUS III.

An opera bona ſint meritoria vitæ æternæ?

Dico primò: juſti per bona opera ex gratia facta promerentur vitam æternam. Ita Catholici; contra Pelagianos, Lutheranos, Calviniſtas, Zwinglianos, Buccerum, Bugaurium, Spaugebergum, Brentium, Oecolampadium, &c.

Probat. *primò*: S. Scriptura aſſerit pro bonis operibus juſtorum ex gratia factis dandam vitam æternam: Ergo juſti per ea promerentur vitam æternam. Conſequentia tenet; qui meritum, & merces ſunt correlativa; juxta illud ad Roman. 4. *ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam; ſed ſecundùm debitum.* Probat. ergo Ant. nam Matt. 25. dicitur, *venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* &c. Et ad Rom. 2. *DEUS reddet unicuiq; ſecundùm opera ejus; iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*: &c. Et 2. ad Cor. 4. *quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur.* Et 2. ad Tim. 4. *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Et Matt. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: rurſus aliæ Scripturæ vitam æternam appellant *mercedem* ſeu præmium bonorum oporum, à juſtis in gratia elicitorum: Ergo cenſent juſtos eandem vitam per ſua opera promereri: Probat. Ant. nam Matt.

Digitized by Google

Matt. 5. dicitur, *gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Et Matt. 20. *voca operarios, & redde illis mercedem.* Et 1. ad Cor. 3. *unuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem.* Et Gen. 15. *noli timore Abraham, ego protector tuus ſum, & merces magna nimis.* Et 2. Paralip. 15. *vos ergo confortamini, & non diſſolvantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro.* Et Matt. 26. *filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ſua.* Et Apoc. *ult. ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua:* Ergo &c.

Probat. *tertiò*: SS. PP. etiam primitivi paſſim dogmatizant, juſtos per bona opera in gratia exercita promereri vitam æternam; ſignanter Clemens Rom. *epiſt.* 4. Et S. Ignatius *epiſt. ad Mar Caſſabolitem* ubi ait, *hortor ut labori huic tuo incrementa adjicias; præſens namque labor modicus multa autem, quæ hinc exſpectatur, merces.* Et Dionyſius *lib. Eccleſ. hierarch. cap.* 7. Et Juſtinus Mart. *in apol.* 2. *ad Antonin.* ubi ait, *nos immortales duntaxat nos fieri ſcimus, qui ſanctè per virtutem ad imitationem DEI vixerunt.* Et Auguſtinus, qui plurimis in locis contra Pelagianos diſceptans, concluſionem adſtruit; ut *lib. 3. contra 2. epiſt. Pelagian.* Et *lib. de grat. & liber. arbit.* Et *ſerm. 17. de verb. Dom.* ubi ait, *hunc diem, vel hos dies, & hanc vitam, & veram vitam in promiſſis habemus: alicujus ergo operis merces eſt: ſi non mercedem amamus, in opere non deficiamus, & in æternum cum Chriſto regnabimus.* Et Tertullianus *lib. 2. contra Marcion. cap.* 6. Et Hilarius *in Matt. cap.* 5. Et Baſilius Mag. *hom. 12. in princip. proverb.* Et Gregorius Niſſen. *orat. de pauper. amand.* ubi ait, *pro ſuis quemque meritis ornatum cerno; illis qui boni benigniq; fuerint, ſumma & perpetua quies tribuitur in Regno cæleſti, &c.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: S. Litteræ paſſim vitam æternam appellant hæreditatem; ſed hæreditas debetur, & obvenit filiis, abſque ullis meritis, operibus, & laboribus; ſcilicet ex ſolo jure filiationis, & adoptionis: Ergo & hæreditas cæleſtis ſic debetur juſtis. *Secundò*: rurſus eædem S. Litteræ atteſtantur; vitam æternam conferri juſtis per miſericordiam DEI: Ergo non ex juſtitia, ut merces, ſeu ob ulla merita veſtra. Probat. Ant. nam pſal. 102. dicitur, *qui coronat te in miſericordia, & in miſerationibus*: Ergo &c. *Tertiò*: Similiter Scriptura dicit, offerri juſtis adultis vitam æternam abſque ullis meritis; nam Iſa. 55. dicitur, *venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac*: Ergo &c. *Quartò*: pariter in Scriptura habetur, noſtra opera non eſſe proportionata ad promerendam Gloriam; nam ad Rom. 18. dicitur, *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*: Ergo &c. *Quintò*: Chriſtus promeruit nobis ſufficienter vitam æternam: Ergo eandem noſtris bonis operibus promereri non valemus; aliàs ipſi fieret injuria, & ſubtraheretur aliquid ejus meritis.

Reſpondeo *ad primum*: primò: Calvinum hoc argumento nullatenus infringere concluſionem; nam in S. Litteris vita æterna appellatur merces, uti patet ex textibus citatis *probat.* 2. ac proinde datur intuitu meritorum, bonorum operum, & laborum. Reſpondeo *ſecundò*: in forma Neg. Conſeq. loquendo de juſtis adultis: his enim gloriæ majoris gradus, ſeu beatæ vitæ augmentum non debetur ſolo jure filiationis; ſed ob merita exemplo ipſiusmet Chriſti, qui quamvis eſſet Filius DEI, ſicque ei deberetur jure filiationis hæreditas illa gloriæ Corporis, & exaltationis Nominis; nihilominus eam ſuis meritis obtinuit; dicente Apoſtolo ad Philip. 2. *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem mortem autem Crucis; propter quod & DEUS exaltavit illum,* &c. *Ad Secundum*: S. Litteræ etiam atteſtantur vitam æternam conferri per juſtitiam; unde vocatur *corona juſtitiæ* 2. ad Tim. 4. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi DEUS in illa die juſtus Judex.* Itaque ideò dicitur vita æterna juſtis conferri per miſericordiam DEI, quia merita quibus adulti eam promerentur, fundantur in DEI gratia, & miſericorditer, ab eo collata juſtis, & neceſſaria ad omne opus bonum, ſeu meritum vitæ æternæ; uti docet Auguſtinus *lib. de cor. & grat. cap.* 13. *Ad Tertium* Nego Ant. & gloſſo textum Iſa. 55. dicoque per *lac*, & *vinum* ibi non intelligi vitam æternam; ſed gratiam præſentis vitæ; uti interpretatur hunc paſſum S. Hieronymus; & patet ex ipſo contextu, qui ſic ſonat, *omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite; venite emite abſque argento,* &c. Prima itaque gratia gratìs datur juſtis, quamvis non ſinè opere, & noſtro labore; nam ſicut illæ voces, *abſque argento, & ulla commutatione*, excludunt merita juſtorum; ita iſta *venite*, & *emite* requirunt eorum laborem. *Ad Quartum* Neg. Ant. ad ejus Probat. ex illo Rom. 8. dico; quod Scriptura S. dicat in meritis juſtorum adeſſe aliquam dignitatem, ad vitam æternam promerendam; nam 2. ad Theſſ. 1. dicitur, *ut digni habeamini regnô DEI, pro quo & patimini*: uti paſſionibus juſtorum adſcribitur

ſcribitur dignitas regni cæleſtis, ſeu vitæ æternæ. Itaque Apoſtolus illo textu *non ſunt condignæ paſſiones* ſolum vult, non adeſſe proportionem inter eas, & futuram gloriam, ſi attendatur duratio ipſarum paſſionum, & gloriæ: cæterùm ſi attendatur gratia DEI, acceptatio & promiſſio DEI, ex quibus fiunt opera bona, ſeu paſſiones, tunc habent proportionem ad gloriam, eamque promerentur; uti idem Apoſtolus atteſtatur 2. ad Cor. 4. *id quòd in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ad Quintum* Neg. Conſeq. cum ſua ratione; nam omnia opera noſtra bona, & merita naſcuntur ex meritis Chriſti, omnemque efficaciam, ac virtutem inde accipiunt; unde quidquid laudis, dignitatis, & effectus habent, totum redundat in laudem & dignitatem meritorum Chriſti; quod optimè declarat illa ſimilitudo Chriſti Joann. 15. *Ego ſum vitis, vos palmites; ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis:* unde ſicut non fit injuria viti, neque ei aliquod ſubtrahitur, quando palmites ipſius multum fructum afferunt; ita pariter nulla fit injuria meritis Chriſti, neque aliquid ſubtrahitur eiſdem, quando juſti ſuis meritis promerentur gloriam; cùm ejuſmodi merita ſuccum, & humorem omnem gratiæ Divinæ à Chriſto participent.

ARTICULUS IV.

Variæ reſolutiones Catholicæ circa bona opera.

DIco primò: licitum eſt, elicere aliqua opera bona obligationis, & ſupererogationis directè intuitu mercedis æternæ conſequendæ. Ita Catholici; contra Bugaurium, Lutherum, Calvinum, Melancthonum, Buccerum, &c.

Probat *primò: ex prior. artic.* habetur, juſtos ſuis operibus bonis promereri vitam æternam, quæ eſt merces eorundem operum: Ergo licitum eſt ad ejuſmodi mercedem conſequendam directè dirigere, & exercete aliqua opera bona obligationis; ejuſmodi eſt obſervantia Legis obligatoriæ; & ſupererogationis, qualia ſunt eleemoſynam dare; vota caſtitatis perpetuò colendæ emittere; profiteri Religionem aliquam approbatam; jejunare certis diebus etiam ab Eccleſia non præceptis; & ſimilia conſilia, quæ non ſunt à DEO præcepta; ſed ſolummodo ſuadentur. *Secundò*: ex S. Scriptura ulterius conſtat, licitum eſſe dirigere bona opera utriuſque ſortis ad obtinendam æternam mercedem; nam propterea dixit Pſalmiſta pſal. 118. *inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.* Et Moyſes ad Hebr. 11. *cap. aſpiciebat in remunerationem.* Et Salvator Luc. 16. monebat, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et Apoſtolus ad Philip. 3. dicit, *ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis DEI in Chriſto JESU*: Ergo &c. *Tertiò*: eandem doctrinam habent SS. PP. ſignanter Auguſtinus, qui in pſal. 120. ſcribens ait, *quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac.* Et Cyprianus *de habitu virg.* Et Origenes *ad cap. 11. ad Rom.* Et Hieronymus *lib. 1. contra Jovin. cap. 7.* Et Chryſoſtomus *hom. 8. de pænit.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: bene operantes directè intuitu vitæ æternæ, computantur inter mercenarios tantùm; & non inter filios: Ergo &c. *Secundò*, hæc doctrina facit homines juſtos confidere in ſuis operibus: contra D. Paulum 2. ad Cor. 10. qui vult nos *in ſolo DEO gloriari*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam is propriè dicitur mercenarius tantùm, ad quem non devolvitur hæreditas; ſed aliunde merces rependitur; filius verò & mercenarius ſimul vocatur is, cui datur in mercedem hæreditas; & tales ſunt fideles juſti benè operantes propter vitam æternam, & hæreditatem, ac mercedem ſimul. *Ad Secundum* Reſpondeo *primò*: Neg. Ant. nam homines juſti ignorant ſuorum operum meritum, & virtutem; cùm multis circumſtantiis opus ſit ad eorum perfectam poſitionem, & homines juſti ignorent, an eas omnes rectè adhibuerint; quare tales ſemper cum timore operantur, & non confidentes in perfectione ſuorum operum. *Secundò* reſpondeo, & dico, hominem poſſe licitè in ſuis bonis operibus, DEO gratis (modò ea conſtent eſſe talia) fiduciam aliquam ponere; ſic enim fecit Apoſtolus 2. ad Tim. 4. dicens, *bonum certamen certavi* &c. *& repoſita eſt mihi corona juſtitiæ* &c. Sic ſimiliter Ezechias Iſa. 38. *memento, quomodo ambulaverim coram te in veritate.*

Dico ſecundò: bona opera ſunt ſatisfa-

ctoria quoad remiſſionem pœnæ temporalis, remanentis poſt peccati dimiſſionem. Ita Catholici; contra Calvinum, Confeſſionem Anglicanam, &c.

Probat. *primò*: nam ita conſtat ex S. Scriptura, Proverb. 16. ubi dicitur, *miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Et Dan. 4. *peccata tua Eleemoſynis redime.* Et Luc. 11. *date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et Luc. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ*: Ergo &c. *Secundò*: eandem doctrinam continent paſſim SS. PP. ut Hieronymus *ſerm. de B. V.* ubi ait, *inſtans oratio impetrat veniam de peccatis.* Et Auguſtinus *tract. 44. in Joan.*

Dico tertiò: bona opera ſunt etiam impetratoria apud DEUM. Ita Catholici; contra Calvinum, Lutherum, &c.

Probat. Concluſio iſta conſtat ex S. Litteris; nam Jac. 5. dicitur, *multum valet deprecatio juſti aſſidua.* Et 1. Pet. 3. *oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* Et 1. Joan. 3. *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.*

Dico quartò: bona opera non ſunt omnia apud DEUM paria, & æqualia. Ita Catholici; contra Confeſſionem Helveticam, Auguſtanam, &c.

Probat. ex S. Scriptura habetur, inter bona opera juſtorum eſſe diſparitatem quandam; nam 1. ad Cor. 13. dicitur, *Fides, Spes, Charitas tria hæc; major autem horum eſt charitas.* Et 1. ad Cor. 7. *qui matrimonio jungit virginem ſuam bene facit; & qui non jungit, melius facit.* Et Luc. 10. *Maria optimam partem elegit.* Idem docent SS. PP. ſignanter Auguſtinus *tract. 74. in Joan.* Et eſt ratio; quia unus juſtus plus diligit DEUM, quàm alter; & unus plus laborat in vinea Domini, quàm alter; unus plus orat, & jejunat, quàm altèr: Ergo horum merita, & bona opera ſunt imparia coram DEO.

LIBER

Digitized by Google

LIBER VI.

Continens Controverſias de Indulgentiis; Suffragiis; Fato; Antichriſto; Prædeſtinatione; Libero arbitrio; poſſibilitate obſervationis mandatorum DEI; Peccato; Bello; Simonia; Uſura; Fornicatione; Tyrannis; Malefactoribus; Poteſtate politica; Martyrio; & Excommunicatione.

CAPUT I.
DE INDULGENTIIS.

NOta primò: Indulgentia à Catholicis bene deſcribitur, quod *ſit pœna temporalis, quæ dimiſſâ culpâ remanet, remiſſio ſeu condonatio extra Sacramentum, facta per applicationem principaliter ſatisfactionis Chriſti; deinde etiam meritorum Sanctorum, tanquam theſauri immenſi Eccleſiæ.* Ita conſtat ex Extravag. *unigenitus, de pœnitent. & remiſſ.* hujuſmodi condonatio dicta eſt *Indulgentia* à Catholicis, ad modum, quô D. Auguſtinus *in Enchr. ad Laurent. cap. 64.* de plena condonatione omnis culpæ in Baptiſmo dicit: *hac ergo exceptâ magnâ Indulgentiâ, in qua ſolvitur omnis reatus.* &c. Et de condonatione pœnæ tantùm *lib. 9. Confeſſ. cap. 14.* ubi orans pro ſua Matre defuncta ait, *ut apud DEUM inveniat locum Indulgentiæ,*

Dico primò: in Eccleſia adeſt poteſtas verè concedendi Indulgentias; adeoque uſus Indulgentiarum eſt licitus, & utilis fidelibus. Ita Catholici; contra Waldenſes, Wiclephiſtas, Huſſitas, Lutheranos, & Calviniſtas.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, Eccleſiam habere ejuſmodi poteſtatem; unde S. Petro Apoſtolo futuro poſt mortem Chriſti Capiti Eccleſiæ, ac ſucceſſoribus ejus dixit Salvator, Matt. 16. *tibi dabo claves Regni Cœlorum; quæcunque ſolveris in terra, erunt ſoluta & in Cœlis*, quibus verbis generalibus ei data eſt poteſtas non tantùm ad peccatorum culpas; ſed & pœnas ſolvendas; quod etiam fit per conceſſionem Indulgentiarum: Ergo &c. *Secundò*: in Eccleſia adeſt theſaurus ingens meritorum Chriſti; juxta illud 1. Joan. 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm; ſed pro totius mundi*: Similiter theſaurus meritorum, & paſſionum Sanctorum, pro Eccleſia exantlatarum; juxta illud ad Coloſſ. 1. *nunc enim gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*: ſed hujus theſauri diſpenſatores ſunt Prælati Eccleſiæ ſignanter Sum. Pontifex; uti conſtat in illo 1. ad Cor. 4. *ſic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum DEI*: Ergo hi habent poteſtatem diſpenſandi hunc theuſaurum; ac conſequenter concedendi ex eo Indulgentias.

Probat. *tertiò*: ſtatim à primitiva Eccleſia, & Apoſtolorum temporibus viguit uſus aliquas Indulgentias concedendi, quibus temporibus tamen hoc nomen non ita fuit in uſu; unde D. Paulus conceſſit Indulgentias illi inceſtuoſo pœnitenti 2. ad Cor. 2. *cui autem aliquid donaſtis, & ego; nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in Perſona Chriſti, ut non circumveniamur à Sathana*; juxta expoſitionem Theodoreti, Oecumenii, Theophylacti, Ambroſii, Chryſo-

ſtomi, & aliorum PP. Et Concil. Nicænum I. ſtatuit *can.* 1. ut ij, qui ſeriò pœnitentiam agunt, poſſint Indulgentiam ab Epiſcopo obtinere. Item Concil. vetus Ancyranum *can.* 4. Indulgentiarum meminit. Item Concil. Laodicæum *can.* 2. Et Lateranenſe ſub Innocent. III. *cap.* 62. Item Lugdunenſe, Viennenſe &c. Ergo &c.

Probat. *quartò*: Summi Pontifices antiqui jam dudum etiam extra Conciliorum celebrationem conceſſerunt Indulgentias; ut Gregorius Mag. teſte Altiſiodorenſi, Innocentius III. Eugenius III. Urbanus II. &c. Idem conſtat ex antiquiſſimis ſtationibus Romanis, quibus à Pontificibus Indulgentiæ certæ ſemper aſſignatæ fuêre: Ergo &c. *quintò*: SS. PP. primitivi teſtantur, Martyres olim Indulgentias de ſuis paſſionibus conceſſiſſe aliis peccatoribus, ſeſe ipſis recommendantibus, & libellos ab iiſdem petentibus, ut ipſorum meritorum participes effecti pœnitentia abbreviaretur; uti patet ex S. Cypriano *lib. de lapſis.* Et *lib. 3. epiſt. 15.* Et ex Tertulliano *lib. ad Martyr.*

Probat. *ſextò*: in primitiva Eccleſia viguit uſus, pro certis gravibus delictis, graves taxandi, & imponendi pœnitenrias; uti conſtat ex Concil. Nicæno I. *can. 11. & 12.* Et S. Baſilio *epiſt. ad Amphil.* Et Gregorio Nyſſ. *epiſt. ad Latoi.* Sed tales pœnitentiæ poterant tolli, & tollebantur per Indulgentiaa conceſſas ab Epiſcopis; uti conſtat ex Concil. priſco Ancyrano, quod *can.* 22. dicit, *modus pœnitentiæ in Epiſcoporum ſit arbitrio, ut ſecundùm converſationem pœnitentiam poſſit minuere.* Ergo In Eccleſia & poteſtas concedendi, Indulgentias; ac conſequenter uſus Indulgentiarum eſt licitus, utiliſque fidelibus.

Objiciunt Hæretici *primò*: in nullo Scripturæ S. paſſu reperitur hæc vox *Indulgentia*; Ergo apparet eſſe figmentum Catholicorum Sacerdotum. *Secundò*: ſed neque SS. PP. priſci meminerunt Indulgentiarum Catholicarum: Ergo &c. *Tertiò*: neque earum uſum primi Chriſti fideles habuerunt: Ergo &c. *Quartò*: ex Indulgentiarum uſu ſequeretur, ſanctos eſſe noſtros Redemptores; cùm ex theſauro meritorum eorundem dicantur remitti, & expiari noſtras pœnas temporales; ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. *Quintò*: non datur purgatorium: Ergo neque Indulgentiis ullis opus eſt, quibus fideles expient ſuas pœnas purgatoriales. *Sextò*: Gregorius primus omnium invenit ſtationes Romanas Indulgentiarum: Ergo hæ ſunt figmentum hominum.

Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Conſeq. nam quamvis hæc *vox Indulgentia* in Scriptura S. non reperiatur; reperitur tamen alia æquipollens; ut 2. ad Cor. 2. vocabulum hoc *donatio*; & nomen *ſolutio* Matt. 16. *ver.* 19. Et Matt. 18. *ver.* 18. Deinde multa vocabula ab Eccleſia poſterioribus temporibus fuerunt inſtituta, occaſione variarum quæſtionum ortarum, quæ in Scriptura S. non habentur, bene tamen æquipollentia; ut hæc vox *tranſubſtantiatio*, pro myſterio Euchariſtiæ explicando; & hæc *conſubſtantialitas* pro myſterio Divinitatis Chriſti elucidando: quæ tamen non ſunt figmenta Catholicorum. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam Cyprianus, & Tertullianus *cit.* ſupra *probat.* 5. Item Theophylactus, Theodoretus, Chryſoſtomus, Ambroſius, & alii PP. Indulgentiarum meminerunt, ſub terminis tamen aliis, videlicet *remiſſionis*, &c. Et Gregorium Mag. circa annum Domini 609. Indulgentias conceſſiſſe, teſtantur Jacobus Cardinalis, ſub eodem Pontifice vivens, &c. *Ad Tertium* Neg. pariter Ant. & contrarium patet in illo inceſtuoſo 2. ad Cor. 2. qui Indulgentias à D. Paulo Apoſtolo obtinuit, juxta SS. PP. mox *citatos*, ſcribentes *in idem cap.* Et in iis, qui ex ordinatione Concilii priſci Ancyrani *can.* 22. & aliorum, ab ab Epiſcopis remiſſiones pœnitentiarum acceperunt. *Ad Quartum* Neg. ſequelam Maj. ſicut enim nos non dicimur Redemptores noſtri, quando per proprias ſatisfactiones fundatas in meritis Chriſti, redimimua pœnas temporales; ita nec Sancti dicendi ſunt Redemptores ſimpliciter, quamvis ex eorum meritis conſequamur Indulgentias. *Ad Quintum* Neg. Ant. deinde etſi nullum eſſet Purgatorium (quod tamen omnino dari infra probabo) adhuc Indulgentiis opus haberent Fideles vivi; videlicet ad expiandas ſuas pœnas temporales; nam Indulgentiæ applicantur, & proſunt vivis per modum abſolutionis; defunctis verò in Purgatorio exiſtentibus per modum ſuffragii. *Ad Sextum* Neg. Ant. ſed hic Pontifex tantùm ſtationes Romanas Indulgentiarum aliqualiter collapſas reſtauravit, & renovavit, addendo novas Indulgentias.

CAPUT II.

De Suffragiis pro defunctis.

NOta *primò*: nomine *Suffragii* hic venit omne opus bonum, exercitum à fidelibus in refrigerium animarum decedentium in gratia, & in purgatorio exiſtentium pro expiandis peccatis venialibus, vel pœnis temporalibus.

Dico primò: licitum eſt facere ſuffragia pro animabus fidelium defunctorum; ut Sacrificia Miſſæ, Eleemoſynas, Orationes, &c. Et hæc ipſis proſunt, ut à purgatorii pœnis temporalibus ſolvantur. Ita Catholici; contra Arianos, Waldenſes, Albigenſes, Græcos Schiſmaticos, Armenos, Lutheranos, Calviniſtas, &c.

Probat. *primò*: ex S. Litteris habetur, licita & utilia eſſe ſuffragia pro animabus, quæ deceſſerunt obnoxiæ pœnis temporalibus, aut cum peccatis venialibus: nam 2. Machab. 12. non repræhenditur, ſed laudatur factum Judæ, ejuſmodi ſuffragia peragentis, dum dicitur, *fortiſſimus Judas factâ collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccato Sacrificium; bene & Religiosè de reſurrectione cogitans* &c. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Nec valet hic effugium hæreticorum opponentium, Libros Machabæorum non eſſe Canonicos, ac conſequenter allegatum textum nihil probare ad propoſitum. Contra enim eſt, quòd plura Concil. Oecumenica, & SS. PP. hos libros pro Canonicis receperint; unde D. Auguſtinus *lib. 18. Civit. DEI cap. 36.* de S. Scripturæ libris quibuſdam ait, *in quibus ſunt & Machabæorum libri, quos non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.* Similiter Tob. 4. recenſetur monitum ſalutare Tobiæ ſenioris ad juniorem, *panem tuum, & vinum ſuper ſepulchrum juſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*; in quem locum ſcribentes SS. PP. ajunt, quòd poſt mortem juſti hominis, ſeu in gratia defuncti tempore Tobiæ, laudabilis erat conſuetudo, ut fierent convivia ab amicis, & panis ac vinum mitteretur pauperibus tanquam Eleemoſyna in refrigerium defuncti, quod erat ſuffragium quoddam: Ergo &c. Item 1. ad Cor. 15. dicitur, *quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omninò mortui non reſurgunt, ut quid baptizantur pro ipſis?* in quem locum ſcribentes SS. PP. dicunt, quòd fideles tunc baptizentur pro mortuis, quando pro eorum animabus ſuffragia faciunt, baptizando ſe baptiſmô pœnitentiæ, & lachrymarum; unde S. Cyprianus, & S. Gregorius Nazian. pœnitentiam vocant *Baptiſmum lachrymarum, & dolorum*, juxta illud Chriſti Luc. 12. *Baptiſmô habeo baptizari*: &c. Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: SS. Concil. etiam priſca, aſſerunt ſuffragia mortuorum eſſe licita, ac utilia; imò ordinant, ut ejuſmodi ſuffragia perſolvantur; unde Concil. Nicænum I. *can. 65. arabico* ait, *nuntietur de morte Epiſcopi omnibus Eccleſiis, & Monaſteriis illius Diœceſis, ut fiat oratio pro eo.* Et Concil. III. Carthaginenſe *cap. 29.* Et Carthaginenſe IV. *cap. 29.* ait circa annum 398. *pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel mari mortui fuerint; ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.* Idem habet Concil. Valenſe *cap. 4. decret.* Et Agathenſe *cap. 4.* Et Toletanum III. ac Florentinum: Ergo &c.

Probat. *Tertiò*: ſimiliter SS. PP. Græci, & Latini, etiam veteres & primitivi, dogmatizant, licitum ac utile eſſe, celebrare Miſſas; dare Eleemoſymas; fundere orationes; ac alia ſuffragia peragere pro animabus fidelium defunctorum; & hunc fuiſſe uſum, ac praxim atteſtantur; ſic facit Dionyſius *lib. Eccleſ. hierarch. cap. 7.* ubi loquens de Epiſcopo defuncto tumulando ait, *precibus quidem à Divina benignitate contendit, ut & omnia peccata, quæ humana fragilitate, imbecillitateq; commiſſa ſunt, & qui exceſſit è vita, remittat, & eum in lucem ac regionem vivorum in ſinus Abrahæ, Iſaac, & Jacob deducat.* Idem facit Clemens Rom. *in epiſt. 1.* ubi de S. Petro loquitur ſic, *quotidiana ejus prædicatio inter cætera Divina mandata, hæc erat &c. quantum unuſquiſque ſapit, & poteſt totius intimis cordis viſceribus DEUM diligere* &c. *pauperes recreare, nudos veſtire, infirmos viſitare, ſitientes potare, mortuos ſepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro iis orare, & Eleemoſynam dare.* Et Athanaſius *lib. quæſt. ad Antioch. quæſt. 34.* Et Chryſoſtomus *hom. 32. in Matt.* Et Tertullianus *de coron. milit. cap. 3.* Et Cyprianus *lib. 1. epiſt. 9.* Et Auguſtinus pluribi, ſignanter *ſerm. 32. de verb. Apoſt.* ubi ait, *orationibus S. Eccleſiæ & Sacrificiô ſalutare, & eleemoſynâ, quæ pro eorum* (ſcilicet defunctorum) *ſpiritibus erogantur.*

non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut eis miſericordiùs agatur, &c. *quàm eorum peccata meruerunt* &c. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Auguſtinus primus excogitavit Orationes, & memorias defunctorum in myſterio Altaris; & hoc ut affectuoſus filius egit non ad normam Scripturæ (inquit Calvinus *lib. 3. cap. 5.*) ſed pro naturæ affectu, & ad petitionem præcedentem ſuæ Matris Monicæ; Ergo &c. *Secundò*: S. Hieronymus adverſatur Concluſioni; nam in *cap. 2.* ad Gal. ſcribit ſic, *in præſenti ſæculo ſcimus, ſive orationibus, ſive conſiliis poſſe nos adjuvari: cùm autem ante tribunal Chriſti venerimus, nec Job, nec Daniel, nec Noë rogare poſſe pro quoquam; ſed unumquemq́ portare onus ſuum.* *Tertiò*: ex Scriptura conſtat, animas defunctorum juſtorum ſtatim transferri ad Cœlum; unde dicitur, Luc. 23. de juſto Latrone, *hodie mecum eris in Paradiſo*: Ergo iis non proſunt ulla ſuffragia.

Reſpondeo *ad Primum* Nego Ant. quod meram calumniam contra S. Doctorem Eccleſiæ continet; & contrarium conſtat apertè *ex probat 3. hujus artic.* *Ad Secundum* Neg. Ant. Et ad Teſtimonium D. Hieronymi (quod non *cap. 2.* ſed 6. ad Gal. habetur) procedere de illis, qui moriuntur cum peccato mortali; quibus haud dubiè nulla proſunt ſuffragia, & orationes: vel de hominibus tempore judicii univerſalis comparituris ante tribunal Chriſti; ubi finis erit omnium ſuffragiorum; ſed nuda ſententia judicis proferetur. Et unum ex his duobus ſenſibus intendiſſe S. Hieronymum, patet ex aliis ejus teſtimoniis, quibus docet *lib. contra Vigilantium heret.* orationes pro defunctis eſſe fundendas. Et *epiſt. ad Pammach.* laudat Pammachium, quòd Eleemoſynas faciat pro Paulina ſua uxore defuncta, *ſciens ſcriptum, ſicut aqua extinguit ignem, ita Eleemoſyna peccatum.* *Ad Tertium* Neg. Ant. nam hoc exemplum boni latronis non trahitur in communem legem omnium aliorum latronum contritorum; uti nec cæterorum hominum, decedentium cum reatu ad pœnas temporales, vel cum reatu culpæ venialis: hoc enim fuit Privilegium ſingulare conceſſum huic Latroni, utpotè cui Chriſtus concrucifixus liberaliſſimè condonavit omnem culpam, & pœnam temporalem; eò quòd firmiſſima fide in Chriſtum credidiſſet, & enixè ipſum rogâſſet, *Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.*

CAPUT III.

De Fato.

Nota primò: Hæreticos per *Fatum* intelligere, invariabile prorſus aliquod principium, cui corpora noſtra, & omnes actiones humanæ, etiam libera ita alligatæ ſunt, ut nullatenus aliter evenire nequeant, quàm eveniunt: ſive hoc principium ſint certæ ſtellæ fatales, in hominem influentes; ut docuit Priſcillianus, & tenent Pagani; ſive aliud.

Dico primò: Corpora, & actiones noſtræ, maximè liberæ, non dependent ab ullo Fato. Ita Catholici; contra Priſcillianiſtas, Bardeſan: Paganos, Petrum Abailardum, Wiclephum, & Calviniſtas quoſdam &c.

Probat. *primò*: hujuſmodi Fatum tollit libertatem, à DEO noſtræ voluntati inditam, & quâ homo liberè ponere, vel non ponere poteſt actiones ſuas liberas; juxta illud Scripturæ Gen. 4. *ſub te erit apetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et illud *Joſ. ult. optio vobis datur; eligite hodie, quod placet* &c. Ergo à tali Fato non dependent actiones noſtræ liberæ. *Secundò*: ſi Corpora, & omnes noſtræ actiones ſint alligatæ alicui Fato neceſſitanti non erit in nobis, quod laudetur, vel vituperetur: in his enim quæ nobis, à natura inſunt, nec laudamur, nec vituperamur, dicit Ethicus: item ſi operantibus noſtris liberis ducamur Fato tali neceſſitante, nulla conſultatione erit opus; nam in illis, quæ aliter evenire nequeunt, ſuperflua eſt omnis conſultatio: item non erit opus pugnare adverſus vitia; imò inanis erit talis pugna; ſed exſpectandum, quò à Fato ducamur: ac proinde fruſtra ſuadebitur amor, & proſecutio boni; fruſtra quoque fuga mali: ſicq́ue fruſtra dixit Propheta Regius pſal. 33. *declina à malo, & fac bonum*: fruſtra ſimiliter D. Paulus 1. ad Cor. 6. *fugite fornicationem*: & fruſtra DEUS conſtituit Decalogum, pro evitandis cæteris peccatis: quæ omnia ſunt impia: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: SS. Concilia, & SS. PP. Fatum præfatum condemnant; ut videre eſt in Concil. Braccarenſi I. *cap. 9.* ubi dicitur, *ſi quis animas, & corpora humana fatali ſigno credit adſtringi*;

adſtringi; *ſicut Pagani*, *& Priſcillianus dixerunt*, *anathema ſit*. Et apud S. Leonem *in epiſt. ad Aſtoric. Epiſcop.* ubi dicit, *undecima ipſorum blaſphemia eſt*, *quâ fatalibus ſtellis*, *& animas hominum*, *& corpora opinantur aaſtringi*, *per quam amentiam neceſſe eſt*, *ut omnibus Paganorum erroribus implicati*, *& faventia ſibi*, *ut putant*, *ſidera*, *colere*; *& adverſaria ſtudeant mitigare. Verùm iſta ſectantibus nullus in Eccleſia Catholica locus eſt*; *quoniam qui ſe talibus perſuaſionibus dedit à Chriſti Corpore totus abſceſſit.* Eundem errorem impugnat S. Gregorius Nyſſen. *in lib. de Fato.* Et Auguſtinus *lib 5. de Civit. DEI*, *1. cap. & ſequent. complur.* Ergo &c. Plura de hoc infra *lib. 6. cap. 6. de libero arbit.*

Objiciunt Hæretici *primò*: ad Rom. 7. dicitur, *non enim quod volo bonum*, *hoc ago*; *ſed quod odi malum*, *illud facio*: quæ verba Fati cujuſdam impulſum in nobis indicant: Ergo &c. *Secundò* DEUS Fatali modo mover humanas voluntates ad ſic operandum; juxta illud Proverb. *21. cor Regis in manu Domini eſt*, *& quò voluerit*, *vertet illud*: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum*; Scripturam illam ad Rom. 7. tantùm velle, quòd in homine lapſo ſit magna difficultas ſuperandi impetum appetitûs ſenſitivi, contra dictamen rectæ rationis incitantis; quô ſit, ut voluntas ſæpè immoderatè condelectetur objecto delectabili illius appetitûs, atque ita agat malum, quod aliàs ſecundùm rectam rationem non vult. *Ad Secundum* Neg. Ant. nam quamvis DEUS poſſit cor Regis vertere, quò voluerit; hujuſmodi tamen verſio ſit Rege liberè conſentiente, & ſe ad converſionem talem condeterminante.

CAPUT IV.

De Antichriſto.

ARTICULUS I.

Antichriſtus necdum venit.

NOta primò: per *Antichriſtum* intelligitur ſecundùm Apoſtolum quidam *homo peccati*, *& Filius perditionis*, *qui in omnibus ſeſe opponet Chriſto*; ut notat S. Damaſcenus *lib. 4. de fide cap. 27.* Hieronymus, Auguſtinus, & alii SS. PP. Et erit ſecundùm Ambroſium, Irenæum, Anſelmum, & alios PP. propagatus ex parentibus Judæis, fornicariô concubitu commixtis, de tribu Dan deſcendentibus.

Dico primò: verus Antichriſtus necdum venit in hunc mundum. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, Illyricum, Madeburgum, Chytræum &c.

Probat. *primò*: ſigna principalia præcedentia adventum Antichriſti necdum ſunt facta, & viſa; quorum primum eſt, quod Romanum Imperium priùs ſit evertendum: ſed hoc necdum contigit: Ergo Antichriſtus verus necdum venit. Probat. Maj. nam everſionem Imperii Romani debere præcedere adventum Antichriſti docent SS. PP. Græci, & Latini; ſignanter Cyrillus Hieroſolym. *cat. 15.* Et Chryſoſtomus in 2. ad Theſſ. 2. Et Theophylactus, Oecumenius, Ambroſius, Lactantius &c. Et conſtat ex 2. *cap.* Danielis. Et Apocalypſis 17. *cap.* ac ex antiquiſſima traditione Eccleſiæ, de qua S. Hieronymus *in cap. 7.* Dan. ait, *ergo dicamus*, *quòd omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt*, *in conſummatione mundi*, *quando Regnum deſtruendum eſt Romanorum*, &c. Probat. etiam Min. quia quamvis Romanum Imperium ſæpiùs fuerit inclinatum; ut quando Roma capta fuit à Gothis; item quando Imperium defecit in Occidente; item quando reſtauratô eodem Imperiô per Carolum Mag. in Occidente, deſtructum fuit in Oriente: attamen penitùs everſum non fuit. Deinde iſta totalis deſtructio continget tunc, quando decem Reges illud divident, juxta Prophetiam Danielis Dan. 7. ubi Imperium Romanum figuratur per beſtiam innominatam, & per decem cornua, ſignantur decem Reges, qui illud diviſuri ſunt: item juxta Prophetiam Joan. Apocal. 17. ubi rurſus per decem cornua ſignantur decem Reges, qui mulierem magnam ſedentem ſuper urbem ſepticollem, deſolatam facient: item juxta gloſſam Hieronymi *in cap. 7.* Dan. ubi ait, *futuros decem Reges*, *qui orbem Romanum inter ſe divident*: quæ diviſio necdum contigit: adeoque primum ſignum de everſione Imperii Romani necdum contigit.

Secundum ſignum principale adventum Antichriſti indicans, eſt prophetia, & prædicatio duorum teſtium; & hi teſtes juxta communem SS. PP. expoſitionem ſunt Henoch, & Elias, de quibus dicitur Malach. 4.

ecce

ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini Magnus & horribilis, & convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum: Et Eccleſ. 44. *Henoch placuit DEO, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*: ſed hi necdum comparuerunt; nam nullus Sanctorum prædicatorum adhuc viſus eſt, qui habuiſſet omnes illas qualitates, quas memorati duo teſtes habituri ſunt, & Apocal. 11. recenſentur, quòd videlicet erunt amicti Saccô, ſeu Ciliciô; quòd prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta; quòd habebunt poteſtatem claudendi cœlum, nè pluat diebus Prophetiæ eorum; quòd ſimiliter habebunt poteſtatem convertendi aquas in ſanguinem, & pecutiendi terram omni plagâ: ſimiliter ad nullius Sancti Prædicatoris vocem contigerunt ea omnia ſigna, quæ *eodem cap.* Apoc. futura prædicuntur ad prædicationem illorum duorum teſtium, puta quod abſolutô teſtimoniô ſuô (nempe poſt dies 1260.) Antichriſtus contra ipſos ſit moturus bellum, eoſque victurus, & occiſurus: item quòd eorum corpora jacebunt Hieroſolymis inſepulta per tres dies, & dimidium; item quòd poſt illos dies reviviſcent, & ſpectante ac tremente populo aſcendent in cœlum: item quòd tunc fiet terræmotus magnus, quô decima pars civitatis corruet, & ſeptem millia hominum occidentur: Ergo ſecundùm ſignum principale indicans adventum veri Antichriſti necdum contigit; ac conſequenter verus Antichriſtus necdum venit in hunc mundum.

Objiciunt Hæretici: ex Scriptura S. conſtat, Antichriſtum jam eſſe in mundo; *nam myſterium jam operatur iniquitatis* 2. ad Theſſ. 2. Deinde Joan. 2. dicitur, *filioli noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Tandem 1. Joan. 4. dicitur, *hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt*: Ergo &c.

Reſpondeo Neg. Ant. & ad primum textum 2. ad Theſſ. 2. dico, S. Apoſtolum ibi non loqui de ipſa vera perſona Antichriſti, ſed de ejus typo, ſeu figura; puta de Nerone iniquiſſimo homine; vel de alio Tyranno; uti conſtat ex ipſo contextu, nam cum dixiſſet *myſterium jam operatur iniquitatis*; mox ſubdit, *tantùm ut qui tenet tunc, teneat, donec de medio fiat; & nunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet Spiritu oris ſui.* Quibus verbis indicat Apoſtolus, eo tempore, quo myſterium iniquitatis operabatur, nondum fuiſſe revelatum Antichriſtum, id eſt nondum veniſſe; unde non ipſum, ſed Neronem, qui typus erat illius, fuiſſe tunc operatum. Ad ſecundum, & tertium textum Joan. dico, illos pariter non loqui de perſona Antichriſti; ſed de Hæreticis illius temporis, qui etiant præcurſores Antichriſti; quod conſtat ex illis verbis, *& nunc Antichriſti multi ſunt*, & illis aliis, quæ in contextu ſequuntur, *ex nobis prodierunt; ſed non erant ex nobis.*

ARTICULUS II.

Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus.

Dico primò: peſſima calumnia Hæreticorum eſt, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum. Ita Catholici; contra Wiclephum, Lutherum, Calvinum, Chytræum, Povellum, Balduinum, Irenium, Bibliandrum, &c.

Probat. *primò*: *ex priori artic.* conſtat, Antichriſtum necdum veniſſe in mundum: & tamen plurimi Romani Pontifices jam à S. Petro Apoſtolo fuerunt in mundo: Ergo nullus eorum eſt Antichriſtus. *Secundò*, ea quæ in S. Litteris de Antichriſto referuntur, & prædicuntur à SS. PP. non verificantur de ullo Romano Pontifice: Ergo &c. Probat. Ant. de Antichriſto dicitur Dan. 7. & 12. Et Apocal. 14. quod tribos annis, & dimidio ſit regnaturus: Pontifices autem Romani multi plutibus annis regnârunt, & modernus Innocentius XI. jam ultra undecim annos gubernat Eccleſiam. Item Antichriſtus recipietur à Judæis pro Meſſia, uti habet Irenæus, Cyrillus, Hieronymus, Ambroſius, Hilarius, &c. Quod eliciunt ex illo Joan. 5. *ego veni in nomine meo, & non recipitis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis.* Romanus verò Pontifex à Judæis non recipitur pro eorum Meſſia. Item Antichriſtus faciet in conſpectu hominum de cœlo ignem deſcendere, Apoc. 13. quod non facit Romanus Pontifex. Item Antichriſtus faciet occidere duos Prophetas teſte Apoc. 11. *cap.* quod non facit ullus Romanus Pontifex: Ergo ea, quæ in S. Scriptura, & à PP. referuntur, ac prædicuntur, non verificantur de ullo Romano Pontifice. *Tertiò*: SS. PP. etiam primitivi; ac Generalia priſca Concilia plurimùm venerantur Romanos Pontifices, Canonicè electos, eoſque honoratiſſimis prædicatis celebrant, quæ retuli *tom. 1. lib. 2. cap. 6. art. 4.* Ergo calumnia eſt, aliquem eorum fuiſſe Antichriſtum.

Probat. *quartò*: Antichriſto plurimique characteres, & notæ convenient, quæ nec Gregorio Mag. (quem impiè quidam Hæretici

tici aſſerunt fuiſſe primum Antichriſtum) nec ulli alteri Romano Pontifici conveniunt: Ergo &c. Probat. Ant. Antichriſtus naſcetur ex gente Judæa de tribu Dan, in Babylone; ac ex fornicaria muliere; uti docent SS. PP. Damaſcenus, Irenæus, Theodoretus &c. Idém Antichriſtus eſt præditus moribus corruptiſſimis, & libidinoſiſſimis, ut dicitur Dan. 11. Erit doloſiſſimus, & propterea comparatur Ceráſtij Gen. 49. Erit Magus ſupremus, & habens ſecum ſocietatem Magorum, maleficorum, & incantatotum, ut habet Auguſtinus *tract. de Antichriſto.* Erit ſuperbiſſimus ſuper Nabuchodonoſor, & Luciferum, uti conſtat ex 2. ad Theſſ. 2. Erit exteriùs inſignis hypocrita; interius tamen atheus, idololatra, & Diaboli cultor, inductor ad peſſimas doctrinas, Blaſphemus in DEUM, & Sanctos; ut habet S. Damaſcenus *lib. 4. fidei* 27. ubi etiam dicit idem Doctor, *quòd omnem Sathanæ afflatum ſuſcipiet.* Sedem Regalem figet in Jeruſalem, ut habet S. Bonaventura *lib. 7. comp. cap 7.* Et conſtat ex Martyrio Enoch, & Eliæ ibidem peragendo Apoc. *11. cap.* Idem fraude obtinebit Regnum Babylonis; uti colligitur ex *cap.* 5. Zachariæ. Debellatis decem Regibus eriget ſibi novam Monarchiam ſuper rotum mundum; uti colligitur ex *cap. 7. & 11.* Dan. ac SS. PP. in illa loca ſcribentibus: Quæ omnia nullarenus verificantur de ullo Romano Pontifice: Ergo nullus eorum eſt Antichriſtus.

Objiciunt Hæretici *primò*: Romano Pontifici conveniunt omnes notæ veri Antichriſti: Ergo &c. Probant. Ant. prima nota veri Antichriſti eſt, *deficere à fide*, 2. ad Theſſ. 2. Sed hæc convenit Romano Pontifici, is enim propugnat purgatorium, invocationem SS. Sacrificium Miſſæ, & alia, quibus deficit à vera fide priſca: Ergo &c. *Secundò*: ſecunda nota Antichriſti eſt, *ſedere in templo DEI* 2. ad Theſſ. 2. ſed Romanus Pontifex ſedet in templo primario DEI Romæ: Ergo &c. *Tertiò*: Tertia nota Antichriſti eſt, *oſtendere ſe tanquam DEUM.* 2. ad Theſſ. 2. ſed hoc facit Pontifex Romauus, nominando ſe Caput viſibile Eccleſiæ: Ergo &c. *Quartò*: quarta nota Antichriſti eſt, *extollere ſe ſupra omnem DEUM*, 2. ad Theſſ. 2. ſed hoc facit Pontifex Romanus, extollendo ſe ſuper omnem Eccleſiaſticum, & Politicum ordinem: Ergo &c. *Quintò*: quinta nota Antichriſti eſt, *negare Chriſtum* 1. Joan. 2. Sed Romanus Pontifex negat Chriſtum, corrumpendo ſcilicet doctrinam de Chriſto Mediatore; & concedendo ſanctis mediationem: Ergo &c. *Sextò*: ſexta nota Antichriſti eſt, *facere falſa miracula* 2. ad Theſſ. 2. Sed Romanus Pontifex facit falſa miracula Laureti apud ſtatuam B. V. & alibi: Ergo &c. *Septimò*: ſeptima nota Antichriſti eſt, imprimere ſubditis characterem Apoc. 13. ſed hoc facit Romanus Pontifex, homines chriſmando in confirmatione: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad probat. ejus Neg. Min. nam propugnando, & aſſerendo purgatorium, invocationem SS. Sacrificium Miſſæ, & reliquos fidei Catholicæ articulos, nec Romanus Pontifex; nec ullus alius deficit à fide; ſed eam potiùs adſtruit, ex Scriptura, Conciliis, & SS. PP. priſcis; uti ſuis locis in examine ſingulorum articulorum oſtenditur. *Ad Secundum* dico, ly *ſedere in templo DEI* debere ſecundùm SS. PP. intelligi de Templo Hieroſolymitano, non Romano; nam cùm Antichriſtus Hieroſolymis ſit interfecturus duos Prophetas teſtes (ut dicitur Apocal. 11.) ideo etiam in templo Hieroſolymitano eſt ſeſſurus, & recepturus ibidem à Judæis adorationem; quod Romano Pontifici non convenit. Et quamvis hodie templum Hieroſolymitanum ſit devaſtatum; ſuo tempore tamen illud reſtaurabitur; non quidem ad veri DEI cultum; ſed ad abominationem, uti colligunt SS. PP. ex illo Dan. *9. erit in templo abominatio deſolationis uſque ad conſummationem, & finem* &c. *Ad Tertium*: Neg. Min. nam S. Petrus oſtendit ſe viſibile Caput Eccleſiæ; & tamen propterea non habuit notam Antichriſti, quæ in oſtenſione ſui tanquam DEI conſiſtit. Agnoſcit ergo Papa ſe hominem mortalem; ſed tamen pro tempore ſupremum Eccleſiæ Caput; quale Eccleſia viſibile requirit; de quo vide alibi dicta. *Ad Quartum* Neg. Min. ſicut enim Moyſes non dicitur ſe ſe extollere ſuper omnem DEUM, quando ipſe facit ſuperiorem Ordini Eccleſiaſtico, & politico, conſecrando Aaronem; ita nec Romanus Pontifex rectè dicitur ſeſe extollere ſuper omnem DEUM, quamvis ſuperiorem ſe conſtituat omni Ordini Eccleſiaſtico, & Politico; manet enim adhuc in linea creaturæ, à DEO dependentis omnimodè. *Ad Quintum* Neg. quoque Min. nam quamvis Romanus Pontifex cum Catholica ſententia doceat, ſanctos eſſe invocandos; per hoc tamen non intendit Chriſto minuere titulum Mediatoris Principalis, & Primarii, ſeu Redemptoris totius generis humani; cùm ſanctis concedatur ſola mediatio minùs prin-

cipalis, ſeu interpellatio pro nobis apud DEUM; quod non eſt corrumpere Scripturam S. *Ad Sextum* Neg. Min. nam Romanus Pontifex non facit Laureti ad ſtatuam B. V. miracula; ſed DEUS ad preces ſupplicantium, & invocantium B. V. Mariam in illa S. Ade. Unde ut hæretici ex hac nota evincerent aliquid contra Romanum Pontificem, deberent oſtendere, ipſum facere ea miracula, quæ S. Scriptura dicit facturum Antichriſtum; videlicet facere ignem de Cœlo deſcendere; & efficere, ut imago beſtiæ loquatur, Apoc. 13. quorum neutrum uſque modo nullus Pontificum Romanorum fecit. *Ad Septimum* Neg. ſimiliter Min. nam Antichriſti character imprimendus, erit qualificatus tribus conditionibus; erit enim communis omnibus hominibus; erit indifferens, ut poſſit manui, vel fronti imprimi; tandem eô ſignati ſoli poterunt emere, vel vendere Apoc. 13. & 14. quæ conditiones non conveniunt chryſmationi in confirmationi; hæc namque ſæpè non datur omnibus; nec indifferenter in manu, vel fronte fieri poteſt; neceſſaria eſt, ut quis emere, vel vendere poſſit; unde Romæ etiam Judæi licitè emunt, & vendunt; etſi non ſint chryſmati.

CAPUT V.

De Prædeſtinatione; & Reprobatione.

ARTICULUS I.

An ſit in DEO Prædeſtinatio hominum ad gloriam; & quidem infallibilis?

NOta primò: *ly Prædeſtinatio* eſt vox compoſita ex ly *præ*, & *deſtino*; quod eſt *ſtatuo*, vel *decreto*; juxta illud 2. ad Cor. 9. *unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo*. In propoſito bene deſcribitur Prædeſtinatio, quod *ſit, electio, & præordinatio æterna aliquorum hominum ad gloriam æternam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam*; ubi habet Scotus *1. diſt. 40.*

Dico primò: in DEO reperitur Prædeſtinatio vera aliquorum hominum ad gloriam æternam. Ita Catholici; contra Maſſilienſes, Atheos, & Politicos, &c.

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ Prædeſtinationem in DEO aſſerentis; unde dicitur ad Epheſ. *1. prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum DEI.* Et Act. 13. habetur, *crediderunt, quotquot erant præordinati* (id eſt prædeſtinati) *ad vitam æternam.* Et Matt. *25. venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum* (id eſt prædeſtinatum) *vobis Regnum.* Et alibi ſæpè fit mentio de Prædeſtinatione Divina, etſi ſub aliis nominibus; ut ad Rom. 8. ubi vocatur, *Electio*; & 2. ad Tim. 2. ubi *Cognitio*, & ad Roman. 11. ubi *præſcientia*, ſcilicet approbationis nominatur: Ergo exiſtit in DEO Prædeſtinatio quarundam creaturarum rationalium ad beatitudinem ſupernaturalem. *Secundò*: authoritate Conciliorum: idem dogma ſtatuentium; ſignanter Conc. Valentini dicentis *cap. 3. fidenter fatemur Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam.* *Tertiò*: authoritate SS. PP. qui celeberrima paſſim in ſuis Monumentis litterariis reliquerunt teſtimonia Prædeſtinationis Divinæ: ut Auguſtinus, qui *lib. de Prædeſt. cap. 20.* ait, *ſicut prædicanda eſt pietas, ut ab eo, qui habet aures audiendi, DEUS rectè colatur; ita prædicanda eſt Prædeſtinatio beneficiorum DEI, ut qui habet aures audiendi, non in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur.* Et D. Gregorius, qui *lib. 3. Dialog. cap. 13.* ait, *ipſa quoque præmii Prædeſtinatio ita eſt ab omnipotente diſpoſita, ut ad hoc electi ex labore perveniant*: Ergo &c.

Probat. *quartò*; ratione; ſpectat ad prudentem Univerſi Proviſorem (qualis eſt DEUS Benedictus, juxta illud Sap. 4. *tu autem Pater providentiâ omnia gubernas*) elargiri aliquibus membris Univerſi media, quibus attingant finem perfectiſſimum, & optimum, contentum intra iſtam ſeriem Univerſi; alioquin ejuſmodi finis fruſtra, & impoſſibilis eſſet creaturis: ſed perfectiſſimus, & optimus finis eſt Beatitudo æterna ſupernaturalis: Ergo ſpectat ad DEUM elargiri aliquibus membris Univerſi media ad eam attingendam, & conſequendam; ſed hoc fit Prædeſtinatione SS. Ergo in DEO eſt Prædeſtinatio SS. Deinde DEUS in tempore confert quibuſdam hominibus Beatitudinem ſupernaturalem æternam; uti patet ex bono Latrone, cui dictum eſt, *hodie mecum eris in Paradiſo*: Ergo ab æterno eandem ipſis dare decrevit: nihil enim in tempore operatur, quod ab æterno ordinavit operandum: hoc autem fit Decretô Prædeſtinationis Divinæ: Ergo &c. Tandem Beatitudo æterna, & ſupernaturalis nequit

naturæ

Digitized by Google

naturæ viribus attingi: Ergo pro ea attingenda opus eſt auxiliis Divinis; & pro his Prædeſtinatione eorundem: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: DEUS ſecundùm Scripturam dicit Job. 22. *DEUS noſter non conſiderat, circa cardines cœli perambulat*: Ergo nulla in eo Prædeſtinatio hominum. *Secundò*: non videtur eſſe rationabile, nec juſtitiæ DEI conforme, quòd aliquos homines prædeſtinavit ad Gloriam; & non omnes: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*; illud dictum non eſſe ſententiam ipſius Job; nec Spiritûs S. ſed dicterium impiorũ, in libro Job relatũ; quod idcirco ibidem etiam à Job condemnatur; unde non officit Prædeſtinationi, in DEO repertæ. *Ad Secundum* dico; DEUM pro ratione prædeſtinandi hos, & non alios homines, habere liberum ſuum arbitrium, & miſericordiam, quâ aliquos voluit eligere ad æternam gloriam; juxta illud ad Tit. 3. *non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos; ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Nec in hoc agit contra juſtitiam ſuam; cùm DEUS nulli creaturæ ſit obligatus ad faciendam Prædeſtinationem ejus ad gloriam æternam; ſed ſicut figulus liberè poteſt formare unum vas in honorem, alterum in contumeliam.

Dico ſecundò: Prædeſtinatus ad æternam gloriam non excidet, nec ab eadem excidere poteſt; ac proinde Prædeſtinatio eſt infallibilis. Ita Catholici; contra Maſſilienſes Presbyteros Hæreticos.

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ; nam de Prædeſtinatis Joan. 6. dicitur, *omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* & iterum *eod. cap. hæc eſt voluntas Patris, ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.* & *cap. 10. oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* & ad Roman: *8. quos prædeſtinavit, hos & glorificavit.* *Secundò* authoritate SS. PP. ſignanter D Fulgentii *lib. de fide ad Petrum cap. 35.* dicentis, *firmiter crede, & nullatenus dubites, omnes, quos vaſa miſericordiæ DEUS fecit gratuita bonitate ante mundi conſtitutionem in adoptionem filiorum DEI prædeſtinatos eſſe à DEO, neque perire poſſe aliquem eorum, quos DEUS prædeſtinavit ad Regnum.* & D. Auguſtini *lib. de corrept. & gratia cap. 7. nemo perit*) ſcilicet Electorum) *quia non fallitur DEUS.* *Tertiò* ratione; quia Decretum, DEI prædeſtinans eſt efficax, & conſequenter infallibiliter ſortietur ſuum effectum circa omnes prædeſtinatos: unde appellatur à S. Auguſtino *lib. de bono Perſev. cap. 14. Præparatio beneficiorum DEI, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Præterea idem Decretum eſt invariabile, & immutabile: & tandem ſcientia DEI eſt infallibilis circa Prædeſtinationem, finalem perſeverentiam in gratia, & circa gloriam: Ergo Prædeſtinatio SS. in ejuſmodi Decreto conſiſtens eſt adeò infallibili certitudine prædita, ut nullus Prædeſtinatorum poſſit excidere à gloriâ.

Objiciunt Adverſarii *primò*: eſt poſſibilis caſus, quòd Petrus Prædeſtinatus incidat in peccatum aliquod mortale, & eô patratô ſubito fiat amens; aut moriatur: Ergo aliquis Prædeſtinatus poteſt excidere à gloria prædeſtinata. *Secundò*: Scotus *in 1. diſt. 40. q. uni.* ſuſtinet, prædeſtinatum poſſe damnari. *Tertiò*: D. Auguſt. *tract. 26. in Joan.* dicit, *nondum traheris, ora ut traharis*: unde ortum illud effatum commune, *ſi non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris*: Ergo non eſt ita infallibiliter, & certè jam decretata Prædeſtinatio SS. adeoque poteſt aliquis eorum excidere à gloria; & de novo prædeſtinari ad eam.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. quia, ùt docet D. Auguſt. *lib. 5. contra Julian. cap. 3.* prædeſtinatus quilibet in finali diſcedet pœnitentia, ita diſponente Divinâ benignitate, & omnipotentiâ; *ex iſto numero* (inquit cit. Pater) *electorum, & prædeſtinatorum, etiam qui peſſimam duxerunt vitam, per DEI benignitatem adducuntur ad pœnitentiam,* & paucis interjectis, *ex his nemo perit, quacumque ætate moriatur; abſit enim, ut prædeſtinatus ad vitam ſinè Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam.* *Ad Secundum* diſtinguit ipſe Scotus ſuam Doctrinam inquiens; prædeſtinatus poteſt damnari in ſenſu diviſo (hoc eſt dicere, qui eſt à DEO prædeſtinatus potuit non prædeſtinari & conſequenter damnari) concedit, in ſenſu compoſito (hoc eſt dicere, qui prædeſtinatus eſt de facto, quâ prædeſtinatus poteſt damnari) Negat. *Ad Tertium*; gloſſo authoritatem S. Auguſtini & dico, illum non loqui de tractione, quæ fit per prædeſtinationem ad gloriam; ſed de tractione gratiæ, quâ peccator inveteratus trahitur ad pœnitentiam; pro qua proinde obtinenda à DEO adhortatur eum ad orandum, ut trahatur. Ad illud effatum commune, *ſi non es prædeſtinatus* &c. Dico, ex eo non haberi, quòd quis poſſit de novo eſſe cauſa ſuæ electionis ad gloriam; quia nemo ſe ipsò poteſt ſibi media ad gloriam aſſequendam conducentia præparare: ſed tantùm datur per hoc axioma intelligi, quòd quis poſ-

ſit eſſe cauſa cooperationis, & usûs mediorum, ſinè qua cooperatione Prædeſtinario Electi non foret completa; hæc autem cooperatio, cùm ſit in poteſtate noſtra, efficere quiſque poteſt, ut ſua Prædeſtinatio cenſeatur eſſe completa.

ARTICULUS II.

An detur aliqua cauſa meritoria Prædeſtinationis ex parte prædeſtinatorum.

Dico primò: Prædeſtinario non eſt à DEO facta propter aliqua merita præcedentia ordinis ſupernaturalis, ab animabus ſeparatis Prædeſtinatorum elicita. Ita Catholici; contra Origenem.

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ; quæ refert Prædeſtinationem non in opera aliqua perſonalia, ſed in propoſitam gratiam, miſericordiam, & dilectionem DEI: ita dicitur 2. ad Tim. 1. *vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra; ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam.* Et ad Tit. 3. *non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundùm ſuam miſericordiam, ſalvos nos fecit.* Et ad Rom. 9. *cùm enim nondum nati fuiſſent* (ſcilicet Eſau, & Jacob) *aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum DEI maneret) non ex operibus; ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori; ſicut ſcriptum eſt; Jacob dilexi, Eſau autem odiò habui*: quod exponunt SS. PP. de dilectione prædeſtinativa, & odio reprobativo: Ergo nulla opera meritoria, ab animabus ſeparatis elicita, ſunt cauſa Prædeſtinationis Electorum.

Probat. *ſecundò*: authoritate Eccleſiæ univerſalis, condemnantis hunc Origenis errorem, & figmentum de exiſtentia animarum, ante unionem ad corpora humana; uti patet in Synodo V. quæ *collat. 8. can. 11.* memorato dogmati falſo, uti & articulis Arrij, & aliorum Hæreticorum, dicit anathema. Idem facit Synodus V. *Act. 11. & 13. in Epiſtola Sophronii.* Et S. Leo Papa, *epiſt. decretali. 93. cap. 10.* dicit, *Catholica fides conſtanter prædicat, atque veraciter credit, quòd animæ hominum, priùs quàm ſuis inſpirentur corporibus, non fuêre; nec ab alio incorporentur, niſi ab opifice DEO. Tertiò*; accedunt omnes SS. PP. uno ore Origeniſticam doctrinam deteſtantes. *Quartò*; ratio idem docet; quia ſententia iſta de præexiſtentia animarum ante eorum inſpirationem in corpora, omni prorſus caret fundamento tum Scripturæ, tum rationis; ut proinde ſit mirum, quomodo in virum tam eruditum ceciderit: Ergo &c. Illa Origenis doctrina contraria nullum habet fundamentum in S. Scriptura; ſed eſt merum figmentum, animas rationales longe ante extitiſſe, antequam aſſociarentur corporibus humanis; & quaſdam earum poſuiſſe opera meritoria, propter quæ DEUS eas prædeſtinâſſet, & aſſociâſſet Corporibus Electorum; quod totum Eccleſia damnat; & averſantur SS. PP. Auguſtinus, Epiphanius, Hieronymus, &c. Et infra *lib. 7. cap. 9. art. 4.* refutabitur ex Profeſſo.

Dico ſecundò: ſed neque Prædeſtinatio à DEO facta eſt propter aliqua opera meritoria Ordinis generalis, videlicet bonum uſum liberi arbitrii, aut alia à prædeſtinatis naturaliter elicita. Ita Catholici; contra Pelagianos, & Semipelagianos.

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ, docentis neminem naturaliter poſſe bonum uſum arbitrii exercere meritoriè: ac opus meritorium gloriæ prædeſtinatæ, vel gratiæ ad gloriam neceſſariæ, eſſe à DEO ut primo authore; homineſque eſſe ex natura inſufficientes ad illud eliciendum; ſic dicitur ad Roman. 11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: quæ verba expendens D. Auguſtin. *lib. de prædeſt. SS. cap 2.* ait, *& ipſum igitur initium fidei noſtræ, ex quo, niſi ex ipſo eſt?* Et 2. ad Cor. 3. *non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.* Quæ verba urget S. Auguſt. *citatus* contra Semipelag. inquiens: *attendant hic, & verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe fidei captum, & ex DEO eſſe fidei ſupplementum: quis enim non videat, priùs eſſe cogitare, quàm credere*, &c. *quod ergo pertinet ad Religionem, de qua loquebatur Apoſtolus, ſi non ſimus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmet ipſis; ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt; profectò non ſumus idonei credere aliquid, quaſi ex nobiſmet ipſis, quod ſinè cogitatione non poſſumus; ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipimus, ex DEO eſt.* Et tandem ad Philip. 1. dicitur, *vobis datum eſt pro Chriſto non ſolùm, ut in eum credatis: verùm etiam, ut pro eo patiamini*; quem paſſum ponderans cit. S. Pater, dicit, *utrumque oſtendit DEI donum; quia utrumque dixit eſſe donatum*: Ergo nulla opera meritoria gloriæ nec fides, aut fidei initium, ſolis naturæ viribus, beneficiò ſcilicet boni uſus arbitrii haberi poſſunt, ſinè DEI auxilio ſpeciali: & conſequenter nulla opera naturalia poſſunt eſſe cauſa meritoria Prædeſtinationis.

Probat. *ſecundò* authoritate Eccleſiæ; damantis in variis Conciliis, & Epiſtolis erro-

res

res omnes Pelagii, & Semipelag. & conſequenter iſtum de cauſa ſalutis, & Prædeſtinationis SS. Ita egerunt cum Pelagio quatuor Concilia Carthaginenſia, ex profeſſo ad ejus errores anathematizandos congregata anno 412. & anno 416. & anno 418. huic ex univerſis Affricæ Epiſcopis numero 214. congregato interfuit S. Auguſt. Et tandem tempore Bonifacii Papæ. Similiter Synodus Palæſtina Dioſpoli congregata, & Synodus Milevitana II. anno 416. coacta condemnavit eundem Hæreſiarcham. Contra verò Semipelagianos damnationem dedit Concilium Arauſicanum II. *can. 3. 4. 5. & 6.* ſeu potiùs Leo I. Papa tempore illius Concilii vivens. Et Cæleſtinus Papa *in Epiſt. ad Epiſcopos Galliar. cap. 3.* Et Innocentius Primus Papa *Epiſt. 91. 93. 96. & 97.* quæ habentur inter Epiſtolas D. Auguſtini. Et tandem Pelagianiſmum, & Semipelagianiſmum, eorumque reſtauratores novatores poſthumos ſolemnibus Canonibus anathematizárunt duo Concilia Generalia, Epheſinum ſcilicet anno Domini 430. Congregatum; & Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.* Et *can. 1. 2. & 3.* Ergo &c.

Probat. *tertiò* authoritate SS. PP. concluſionem aſſerentium; ſignanter S. Fulgentii *lib. 1. ad Monim. cap. 21.* dicentis; *ſi in his cauſa Prædeſtinationis quæritur, non uſque alia; ſed ſola miſericordia DEI reperitur.* Et S. Auguſtini *lib. de Præd. SS. cap. 20. quod eſt, orantes ſimul & pro nobis, ut DEUS aperiat nobis oſtium verbi; niſi apertiſſima demonſtratio, etiam ipſum initium fidei eſſe donum DEI.* Et *Epiſt. 115. Reſtat igitur, ut ipſam fidem, unde omnis juſtificatio ſumit initium, non humano, quo illi extolluntur, tribuamus arbitrio; nec ullis præcedentibus meritis.* Et S. Cypriani *lib. 3. ad Quirin. cap. 4. ideoque in nullo gloriandum, quod noſtrum nihil ſit; ſed qui gloriatur in Domino glorietur.* Idem denique docent Proſper, & Hilarius in variis Epiſtolis: Ergo nec fides, nec ejus initium naturæ viribus haberi poteſt; & conſequenter nec fides, nec fidei initium, nec ullum opus naturale (quia non eſt potior ratio de his, ac quibuſvis aliis operibus naturæ viribus elicitis) poteſt ſtatui pro cauſa Prædeſtinationis.

Probat. *quartò* ratione: Multi parvuli ſunt prædeſtinati ad Gloriam, in quibus nulla fuerunt merita perſonalia naturalia; nec fides, aut initium fidei actualis poterant eſſe cauſa Prædeſtinationis; eò quod paulò poſt baptiſma extinguerentur: Ergo opera naturalia, aut fides, vel ejus initium non rectè ſtatuuntur pro cauſa morali meritoria Prædeſtinationis.

Nec valet cum Pelagii reliquiis dicere; tales ſalvari, & alios perire ideo, quia DEUS prævidit hos benè, illos verò malè operaturos, ſi ſupervenirent uſque ad annos diſcretionis. Contra enim eſt *primò*: quòd *refert unuſquiſque propria Corporis prout geſſit*, 2. ad Cor. 5. ubi notat benè S. Auguſt. *de Præd. SS. cap. 12.* quod dicatur *geſſit*, non quæ *geſſurus eſſet.* Contra *ſecundò*; quia eſt contra DEI ordinatam juſtitiam, quòd aliquem parvulum puniat actu propter delicta, quæ nunquam commiſit. Contra *tertiò*: quia ex hac doctrina Semipelag. ſequeretur, Tyrios, & Sidonios præmiandos ob pœnitentiam, quam egiſſent, ſi Chriſti miracula vidiſſent, & ejus prædicatiouem audiiſſent; ſed ſequela eſt falſa: Ergo & illud, ex quo ſequitur, ſcilicet parvulos aliquos ſalvari ob præviſa merita, quæ nunquam ſunt habituri; habuiſſent tamen ſi ſupervixiſſent.

Objectiones Pelagianorum vide ſolutas ſupra *tom. 1. lib. 3. cap. 5. art. 1.* ubi oſtendi, ad beatitudinem non ſufficere aliqua opera purè naturalia, & ſinè gratia actuali DEI elicita; ejuſmodi ſunt uſus bonus liberi arbitrii, &c. ac conſeqnenter, DEUM ob ſimilia opera non moveri ad faciendam Prædeſtinationem.

ARTICULUS III.

De Reprobatione.

NOta *primò*: duplex poteſt eſſe Reprobatio; poſitiva, & negativa. *Reprobatio poſitiva* eſſet, ſi DEUS poneret decretum efficax abſolutum ſuæ Divinæ voluntatis, quô repudiaret aliquos homines à gloria æterna, ac condemnaret ad pœnas æternas propter peccata finalia eorum præviſa, vel ante præviſionem ullorum peccatorum finalium. *Negativa* eſſet, ſi DEUS aliquos homines per Prædeſtinationem non aſſumeret ad gloriam æternam; ſed eos relinqueret in maſſa perditionis; ſicque merè negativè ſe haberet circa illos.

Dico primò: In DEO datur Reprobatio poſitiva, ſubſequens præviſionem peccatorum finalium gravium. Ita Catholici; contra plures recentiores Hæreticos; & Politicos.

Probat. *primò*: authoritatibus illis S. Scripturæ; quibus damnati ob peccata finalia dicuntur à DEO *mitti in ignem æternum; projici à facie Domini; rejici; expelli; deſpici; oblivioni tradi; effici vaſa iræ; vaſa furoris; vaſa in contumeliam* &c. Ad quæ utique DEI Decretum repudians, ſeu reprobatio requiritur.

 Item

Item illis parabolis, quibus iidem damnati aſſimilantur hædis, conſtituendis vigore decreti reprobativi à ſiniſtris; zizaniis creſcentibus uſque ad meſſem, ſed poſtmodum colligendis in faſciculos ad comburendum, ſic poſtulante DEI reprobatione; ac tandem malis piſcibus, forâs mittendis à Judice reprobante, Matth. 13. quam parabolam attendens Chryſologus *ſerm. 47.* dicit, *ſimilitudo hæc prodit, cur in Apoſtolatum piſcatores elegerit Chriſtus, & Captores piſcium fecerit hominum piſcatores, ut Divini judicii typus arte piſcatoria monſtraretur; piſces congregat capturâ confuſos; ſed in vaſa diſcretio dat electio; ſic vocatio Chriſtiana juſtos, & injuſtos, malos bonoſq; congregat; ſed bonos maloſq; Electio Divina diſcernit*: Ergo revera in DEO reperitur vera reprobatio poſitiva.

Probat. *ſecundò*: authoritate Concilii Valentini; quod eandem veritatem adſtruit *can. 3.* dicens; *fidenter fatemur Prædeſtinationem Electorum ad vitam, & Prædeſtinationem* (id eſt reprobationem) *impiorum ad mortem. Tertiò* ratione poſitiva reprobatio innixa demeritis damnandorum; manifeſtat quædam inſignia DEI prædicata; puta juſtitiam punientem, potentiam, bonitatem, & patientiam in diſſimulando delicta; unde Apoſtolus ad Rom. 9. *DEUS volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum*: Ergo poſitiva reprobatio eſt concedenda DEO. Deinde DEUS in tempore quoſdam homines condemnat ad pœnas, & arcet à gloria; utì patet de gentilibus, epulone &c. Ergo ab æterno habuit circa ipſos decretum, repudians eos à gloria, & condemnans ad pœnas æternas ob finalia demerita. Conſequentia patet; quia quidquid DEUS in tempore exequitur; id in æternitate jam decretaverat.

Objiciunt Politici: hujuſmodi Reprobatio præjudicat DEI miſericordiæ: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. nam perditio eorum, qui hac repabatione repudiantur à gloria æterna, adſcribenda eſt finali malitiæ eorum, juxta illud Oſeæ 13. perditio tua ex te Iſraël; & DEUS quantum in ſe eſt, *vult omnes homines ſalvos fieri.* 1. ad Tim. 2.

Dico ſecundò: non datur tamen in DEO Reprobatio poſitiva, antecedens præviſionem finalium peccatorum gravium. Ita Catholici: contra Calvinum, Bezam, Zwinglianos, &c.

Probat. *primò*: illis authoritatibus S. Scripturæ, quibus ſignificatur, DEUM habere ſinceram voluntatem, omnes homines ſalvandi; ùt 1. ad Tim. 2. *vult omnes homines ſalvos fieri.* Et 2. Pet. 3. *nolens aliquem perire.* Et Ezech. 18. *nunquid voluntatis meæ eſt mors impii.* Item illis paſſibus Scripturæ, qui ipſiſmet peccatoribus improperant cauſam mortis, & perditionis; & eandem à DEO removent; ùt Oſee 3. *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Et Tobiæ 3. *Non delectaris in perditionibus noſtris.* Et 2. Reg. 3. *Neque vult DEUS perire animam,* &c. Ergo &c. *Secundò*: authoritate Conciliorum, ſignanter Arauſicani II. dogmatizantis, *aliquos Divinâ poteſtate prædeſtinatos non ſolùm non credimus; ſed etiamſi ſint, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione anathema illis dicimus.* Et Tridentini *ſeſſ. 6. can. 17.* definientis, *ſi quis juſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem; ſed gratiam non accipere, utpote Divinâ poteſtate prædeſtinatos ad malum anathema ſit.* Et Valentini *cap 3.* docentis, *in damnatione perituorum meritum malum precedere juſtum judicium DEI*: Ergo &c.

Probat. etiam authoritate SS. PP. maximè S. Auguſtin. (quem Calvinus impudenter aſſerit favere ſuo errori) dicentis *Epiſt. 106. piè namque, & veraciter creditur, DEUS nocentes, & impios juſtificando in pœnis debitis liberare; quemquam verò immeritum, & nullo obnoxium peccato, ſi DEUS damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et *lib. contra Julian. cap. 18.* ait, idem S. Doctor, *non poteſt quemquam ſinè demeritis damnare; quia juſtus eſt DEUS.* Eandem ſententiam habet *lib. 4. contra eundem cap. 8.* Et *lib. de Unitate Trinitat. contra Manich. cap. 7.* Ergo non datur in DEO Reprobatio poſitiva, antecedens præviſionem demeritorum. *Quartò* probatur ratione Scoti *citati* quam in terminis ſic format: *Damnatio non videtur bona, niſi quia juſta; nam* ſecundùm Auguſtinum *lib. 11. ſuper Gen. cap. 24. non prius DEUS ultor eſt, quam aliquis ſit peccator; videtur enim eſſe crudelitatis, punire aliquem non præexiſtente in eo culpâ: igitur à ſimili non vult DEUS priùs aliquem punire, quàm videat aliquem eſſe peccaturum: non igitur primus actus voluntatis Divinæ circa Judam eſt, velle damnare Judam, prout Judas offertur in puris naturalibus; quia hunc videretur velle damnare ſinè culpâ, ſed videtur, quòd oportet Judam offerri voluntati Divinæ ſub ratione peccatoris, antequam velit ipſum damnari: Ergo cum reprobare ſit velle damnare, Reprobatio habebit ex parte objecti rationem aliquam, ſcilicet peccatum finale præviſum*: Et conſequentem

non

non datur in DEO reprobatio antecedens, & præſcindens à præviſione peccati finalis mortalis.

Objiciunt Hæretici contra hanc concluſionem; *primò*, illum Scripturæ paſſum ad Rom. 9. (quem mirum in modum urget Calvinus *lib. 3. inſtit. cap. 22. ſect. 4.*) *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei; quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*; ubi per *odium* vult Calvinus intelligi poſitivam deteſtationem DEI, & damnationem Eſau; & in ejus perſona omnium reproborum: Ergo &c. *Secundo* illud Sap. 12. *cùm ſis juſtus, juſtè omnia diſponis; eum quoque qui non debet puniri, condemnas, & externum æſtimas in tua virtute*: Ergo &c. *Tertiò*, DEUS reprobat aliquos poſitivè, ut in eis oſtendat ſuam juſtitiam punitivam; unde dicitur Proverb. 36. *Univerſa propter ſe ipſum operatus eſt Dominus; impium quoque ad diem malum*: & idem ſentit D. Auguſt. *lib. 1 de ſimplic. q. 2.* Et *lib. 11. de Gen. ad lit.* Et alibi ſæpè: Ergo in DEO eſt Reprobatio poſitiva, antevertens demerita. Reſpondeo *ad Primum*; gloſſandò allatam Scripturam D. Pauli; & dico, illum loqui de deteſtatione, & reprobatione ſolùm negativa; hoc eſt, de non delectione ad gloriam; uti explicat S. Auguſt. qui ſenſus ſumitur ex Luc. 14. Et Matt. *6. cap.* de qua paulò poſt; non verò de aliqua poſitiva. *Ad Secundum*; expono illum paſſum Sapientiæ 2. cum nôſtro P. Lyrano; & dico, illum loqui de punitione temporali duntaxat, quatenus DEUS homini juſto quandoque immittit quaſdam afflictiones, in exercitium patientiæ, & humilitatis; quemadmodum immiſit Job, viro probo varias calamitates; & Tobiæ juſto cæcitatem. *Ad Tertium*, & *Quartum* reſpondi fusè ſupra *quæſt. 3. in reſolutione 1. object.* unde breviter hic Neg. Ant. quod ex illis authoritatibus non colligitur; ſed ſolùm, quòd propter ſe DEUS condiderit omnes homines, etiam impios; non quidem ut impii eſſent, & damnarentur; quia *vult omnes ſalvos fieri*, ex alio Scripturæ textu; ſed ut pii eſſent, & ſalvarentur; quia verò motu proprio finaliter receſſerunt à pietate; in eis meritò, etſi præter primam ſuam intentionem juſtitiam ſuam exercet nullâ præcedente poſitivâ reprobatione, à demeritis præſcindente.

CAPUT VI.

De Libero arbitrio.

NOta primò: Liberum arbitrium hominis ſic bene deſcribitur, quòd *ſit facultas activa animæ rationalis cum indifferentia contradictionis, vel contrarietatis ad operandum, ita ut poſitis omnibus prærequiſitis poſſit agere, vel non agere; & agere hoc bonum v. g. vel hoc ejus oppoſitum; puta malum.*

Dico primò: datur in homine lapſo liberum arbitrium, etiam ad actiones morales ſalutares; unde poteſt vitare peccata, & facere bene pro libitu. Ita Catholici; contra Manichæos, Bardeſanem, Abailardum, Wicleph., Albanenſes, Lutherum, Oecolampadium, Melancthonem, Buccerum, Calvinum &c.

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ, verum liberum arbitrium cum ſua indifferentia ad utrumlibet moralium homini adſcribentis; ſic dicitur Num. 30. *in arbitrio viri erit, ſive faciat, ſive non faciat.* Et Joſ. 24. *optio vobis datur, eligere quod placet, cui ſervire potiſſimùm debeatis, utrùm Diis, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia; an Diis Amorrhæorum*: Et Eccleſ. 15. *DEUS ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui; adjecit mandata, & præcepta; ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te; appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, quod placuerit ei, dabitur illi*: Ergo datur in homine etiam lapſo liberum arbitrium nomine *opinionis*, *electionis*, & *conſilii* expreſſum, tam in ordine ad actiones Civiles; quàm morales, authoritates enim iſtæ generaliter, & indefinitè loquuntur.

Probat. *ſecundò*: authoritate Eccleſiæ concluſionem definientis; unde Clemens Papa *lib. 3. recognit.* damnavit Simonem Magum, negantem liberum arbitrium. Eundem errorem anathematizavit Concil. Bracarenſe I. *can. 10.* Et Concil. Conſtantienſe *ſeſſ. 8.* Et Arauſicanum *can. 25.* Et demum Trident. *ſeſſ. 6. can. 4.* definit, *liberum arbitrium ita cooperari aſſentiendo DEO excitanti, ut poſſit diſſentire, ſi velit*: *ſeſſ. 6. can. 5.* contra Lutherum dogmatizat. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, &c. anathema ſit.*

Huc

Huc etiam faciunt Bullæ Pij V. Gregorii XV. Urbani VIII. & Innocentii X. editæ contra quaſdam propoſitiones Michaëlis Baij; & Janſenii: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: authoritate SS. PP. liberũm arbitrium cum ſua omnimoda indifferentia, etiam in homine Lapſo adſtruentium: ut videre eſt apud D. Hieronymum *epiſt: ad Damaſ. de Filio prodigo*. Et S. Ambroſium *lib. 2. de fide ad Grat. cap. 3.* Et Damaſcen. *lib. 2. de fide, cap. 16.* Et Nyſſen. *lib. 7. ſuæ Philoſoph.* Et Leonem *epiſt. 91. ad Turib.* Et Dionyſium *de Eccleſ. hierarch. cap. 2. p. 3.* Et S. Auguſtin. pluries, ſignanter *in tribus libris de libero arbitrio*: Et *epiſt. 46.* ubi ait, *ſi non eſt DEI Gratia, quomodo DEUS ſalvat mundum? & ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* & ibidem dicit, *eo ipſo, quò præceptum eſt, obedientiam noſtram requirit, quæ nulla eſſe poteſt ſinè libero arbitrio.* Et *lib. de Gratia Chriſti cap. 47.* ait, *revelavit DEUS per Scripturas ſuas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium*: Ergo datur liberum arbitrium verum in homine, etiam lapſo, tam quoad actiones externas, & civiles; quàm morales, & ſalutares: cum Patres de ſalutaribus potiſſimè loquantur.

Probat. *quartò*, ratione; tum quia homo quandoque peccat: ſed ad peccatum requiritur libertas, ſeu liberum arbitrium; nam quod ex neceſſitate fit, peccatum non eſt cenſendum, ſecundùm Auguſt. *lib. de vera Religion. cap. 14.* Ergo &c. Tum quia in homine eſt vis conſultandi: Ergo & eligendi. Subſumo; ſed ubi eſt vis eligendi, ibi eſt etiam libertas arbitrii; cùm ea nil aliud ſit, quàm poteſtas eligendi, quod velis, ùt eruditè diſcurrit Nyſſenus *lib. 7. Philoſoph cap. 1.* Ergo &c. Tum quia homo poteſt mereri vitam æternam: Ergo meritum eſt in ejus poteſtate; & conſequenter ad illud extat liberum arbitrium, tanquam principium merens. Tum tandem, quia ſi in homine non extaret verum liberum arbitrium, fruſtra DEUS ei ordinâſſat aliquas leges, omninò obſervandas, cùm eas defectu libertatis obſervare nequiret; ſicut fruſtra ordinarentur aliqua præcepta pro Phreneticis, ob ſimilem defectum libertatis; unde Auguſtinus *lib. de fide contra Manich. cap. 10.* ait, *quis non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere*: Ergo revera extat in homine liberum arbitrium, quô tanquam principiô verô poſſit elicere actus humanos tum civiles, tum morales, & ſalutares obſervantiæ legum Divinarum, ac humanarum.

Objiciunt Hæretici *primò* varias Scripturas; nam *primò* ad Rom. 7. dicit Apoſt. *non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod nolo malum, illud facio*: Ergo homo non habet arbitrium liberum ad agendum, vel non agendum malum. *Secundo*; ad Rom. 8. dicitur, *non eſt volentis, neque currentis; ſed DEI miſerentis.* Et ad Epheſ. *1. qui operatur omnia in omnibus*: Ergo DEO imputari debent omnes actus noſtri humani; & non noſtro libero arbitrio. *Tertiò*; noſtra voluntas movetur à DEO, juxta illud Proverb. *cap. 21. cor Regis in manu Domini eſt, & quo voluerit vertet illud*: Ergo homo caret liberô arbitriò in ordine ad ſe movendum pro libitu.

Reſpondetur *ad Primum* Neg. Conſeq. nam Apoſtolus illis verbis ſolùm vult oſtendere, in homine lapſo adeſſe magnam difficultatem, etiam cum auxilio DEI, ſuperandi impetum appetitûs ſenſitivi, contra dictamen rectæ rationis, quô fit, ut voluntas ſæpè immoderatè condelectetur objecto delectabili appetitûs ſenſitivi contra dictamen rectæ rationis; atque ita agat malum, quod aliàs non vult ſecundùm dictamen rectæ rationis. *Ad Authoritates* ſecundô locô poſitas Neg. pariter Conſeq. nam ex iis ſolùm habetur, quòd homo nequeat elicere actus humanos ſupernaturales, & meritorios vitæ æternæ ſinè DEI auxilio ſpeciali, quódque operetur DEUS ſolus tale auxilium in omnibus merentibus. Poſſet etiam dici; quòd illa authoritas ad Epheſ. 1. intelligatur de DEO ut cauſa univerſali, & prima, quæ tamen ſecum compatitur cauſam liberi arbitrii. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. nam etſi DEUS poſſit, & ſoleat cor Regis vertere, quò voluerit; hujuſmodi tamen verſio fit Rege liberè conſentiente, & ſe ad ejuſmodi verſionem condeterminante; utì explicui *Tom. 1. Schola Theol. Tract. 2. diſt. 1. q. 7.*

Objiciunt *ſecundò* iidem errones: PP. complures docent liberum arbitrium peccato Adæ eſſe deperditum in poſteris ejus; unde Auguſtinus *epiſt. 107. ad Vital.* ait, *liberum arbitrium ad diligendum DEUM primi peccati grandine perdidimus.* Et *in Enchirid. cap. 30. liberô arbitriô malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum.* Reſpondeo gloſſando PP. ſignanter Auguſtinum; & dico, eos ſolùm velle, quòd liberum arbitrium ampliùs non ſit inſtructum omnibus ad diligendum DEUM viribus, juſtitiâ videlicet Originali &c. utì erat ante peccatum; adeoque quòd perierit peccatô, quò ad poſſibilitatem completam bene operandi; etſi quò ad ſubſtan-

lib.

tiam, & ſuam indifferentiam entitativè remanſerit; uti clarè docet idem Auguſtinus *lib. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 2.* dicens, *quis noſtrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere.*

CAPUT VII.

De poſſibilitate obſervationis Mandatorum DEI.

Dico primò: homo juſtus poteſt cum gratia DEI actuali ſufficienter ſervare, & implere Decalogum, ac omnia & ſingula præcepta Divina, ita ut non peccet mortaliter contra ea. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, Melancthonem, Kemnitium, Confeſſionem Anglicanam, & Auguſtanam, &c.

Probat. *primò*: ex S. Litteris conſtat, plures fuiſſe homines juſtos, qui Decalogum, & omnia, ſinguláque mandata Divina obſervârunt; talis fuit Noë; unde de eo dicitur Gen. 6. *Noë vir juſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum DEO ambulavit* &c. Talis enim fuit David, de quo dicitur 3. *Reg.* 14. *non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo* &c. Talis quoque Joſias 4. *Reg.* 23. Et Zacharias, ac Eliſabeth Luc. 1. de quibus dicitur, quòd *erant ambo incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini.* Et Joſue *lib. Joſ. cap.* 11. de quo habetur, *quòd non præterierit de univerſis mandatis nec unum quidem verbum, quòd juſſerat Dominus Moyſi.* Et Apoſtoli Joann. 17. de quibus dicitur, *ſermonem tuum ſervaverunt*: Ergo &c. *Secundò* eædem S. Litteræ generaliter atteſtantur, poſſibilem eſſe Legis obſervantiam; & propropterea vocatur jugum ſuave, Matt. 11. *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et Leve mandatum, Joann. 5. *& mandata ejus gravia non ſunt.* Et Ezech. 36. promittitur DEI gratia ad obſervantiam Legis, quare hanc poſſibilem cenſet; unde dicitur, *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: SS. Concilia priſca dogmatizant, poſſibilem eſſe obſervantiam mandatorum DEI; unde Arauſicanum *can. ult.* dicit, *hoc ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent* (inter quæ etiam eſt Legis obſervantia) *poſſint, & debeant, ſi fideliter laboraverint, adimplere.* Idem docent SS. PP. priſci, ſignanter Origenes *hom.* 9 *Joſ.* Et Athanaſius *de virg. ſervan.* Et Clemens Alexand. *lib.* 4. *ſtrom.* Et Cyprianus *de unit. Eccleſ.* Et Baſilius *orat. in illud, attende tibi* &c. ubi ait, *impium eſt dicere, impoſſibilia eſſe Spiritûs præcepta.* Et Chryſoſtomus *hom. 8. de pœn.* ubi ait, *nequaquam Dominum accuſes, haud mandat impoſſibilia.* Et Hieronymus *lib. 1. contra Pelag.* ubi dicit, *fatemur poſſibilia DEUM mandâſſe, nè ipſe author injuſtitiæ ſit, ſi exigat fieri, quod fieri non poteſt.* Et Auguſt. *lib. de ſtatur. & grat. cap.* 69. ubi ait, *firmiſſimè creditur, DEUM bonum & juſtum impoſſibilia non potuiſſe præcipere.* Quibus verbis etiam inſinuatur ratio Catholicæ doctrinæ; nam cùm DEUS mandata Decalogi, ac alia nobis ſervanda propoſuerit, etiam ſub interminatione perditionis gloriæ æternæ; ſignum eſt, ea non eſſe impoſſibilia, & in obſervabilia à nobis: DEI enim bonitas, & juſtitia nemini interminationem perditionis gloriæ ingeminat circa ea, quæ impoſſibilia obſervatu ſunt; alias eſſet Tyrannus.

Objiciunt Hæretici *primò*: ex S. Scriptura conſtat, Legem non eſſe obſervabilem; nam Act. 15. dicitur, *quid tentatis imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod nec Patres noſtri, nec nos portare potuimus*: Ergo &c. *Secundò*, ad Rom. 8. dicitur, *quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, DEUS Filium ſuum miſit* &c. Ergo impoſſibilis erat Lex. *Tertiò*, Chriſtus eſt ſemper Mediator, non ſolùm in prima reconciliatione, ſed etiam toto tempore quo vivimus: Ergo ſemper egemus mediatione ipſius; ſed non egeremus eâ ſemper, ſi Legem aliquando poſſemus ſervare, & adimplere: Ergo &c. *Quartò*, Apoſtolus Paulus fatetur, ſe Legem non poſſe implere: unde dicit ad Rom. 7. *nam velle, adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio*: Ergo &c. *Quintò*, Mandatum de dilectione DEI ex toto corde, tota anima, & totis viribus, nequit impleri in hac vita: Ergo &c. Probat. Ant. dilectio præfata de-

ta debet eſſe tam perfecta, ſicut dilectio Beatorum in altera vita: Ergo &c. *Sextò*, omnis actus Legi Divinæ oppoſitus eſt peccatum; ſed ſenſus concupiſcentiæ eſt Legi Divinæ oppoſitus; juxta illud Pauli; *video aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ*, id eſt Decalogo: Ergo ſenſus concupiſcentiæ eſt peccatum: hunc autem ſenſum excludere eſt impoſſibile: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. Et ad teſtimonium Scripturæ Act. 15. dico, Petrum Apoſtolum ibi tantùm loqui de Lege cæremoniali; utì patet ex contextu Litteræ; unde vult, ut fideles in novâ Lege non onerentur ampliùs Legibus cæremonialibus, quæ difficulter poſſunt ſervari, ùt in veteri Lege ob ſui multitudinem, & minutias earum obſervandas cum magna difficultate ſervabantur, *Ad Secundùm*; illa authoritate Scripturæ ad Rom. 8. ſolùm indicari, quòd Lex ſinè Chriſti gratia, & ſolis viribus naturæ ſit impoſſibilis obſervatu, ac inutilis; cum quo ſtat, quòd obſervabilis ſit cum DEI gratia, quam DEUS omnibus Fidelibus eam petentibus impertitur. *Ad Tertium* Conceſſo primo Enthymemate, Neg. Ant. ſubſumpti; nam ad omne opus bonum, quale eſt Legis obſervantia; ac ad declinandum grave peccatum transgreſſionis ejuſdem Legis, ſemper egemus gratiâ DEI; unde eam Chriſtus concedens ſemper dicitur Mediator noſter, & nos dicimur egere ejus mediatione. *Ad Quartum* Neg. Ant. & illa ſententia ad Rom. 7. tantùm agit de motibus quibuſdam concupiſcentiæ; quibus non poterat carere; quaſi diceret, vellem quidem his motibus carere, & bonum mihi eſſet; ſed non poſſum efficere, ut illis caream; quibus tamen non transgrediebatur Legem; quia naturaliter in eo cauſabantur, & citra omnem conſenſum. *Ad Quintum* Neg. Ant. utì & Ant. Prob. ejus; nam ùt dicit S. Auguſtinus *de Spir. & Litt. cap. 36. neque enim jam culpa deputandum eſt, ſi eſſe nequit tanta perfectio* (ſcilicet dilectionis DEI in hac vita) *quanta illi cognitioni plena, perfectaq;* (videlicet in altera vita Beatorum) *debetur*. *Ad Sextum* Diſt. Maj. omnis actus Legi Divinæ *formaliter* oppoſitus, id eſt voluntarius, & humanus, eſt peccatum Conc. Maj. *materialiter* tantùm oppoſitus, id eſt, qui non eſt voluntarius, qualis eſt in infantibus, & amentibus, Neg. Maj. Nunc autem ſenſus concupiſcentiæ, de qua loquitur Apoſtolus eſt tantùm materialiter oppoſitus Legi Divinæ, quatenus ſcilicet ſuggerit, & objicit materiam, quæ; ſi voluntas non abſtineat ſuo conſenſu, abiit in formale peccatum. Nec refert, quòd idem Apoſtolus concupiſcentiam alibi vocet *peccatum*; nam in ſenſu improproprio tunc loquitur, & per tropum; quatenus nimirum eſt aliquando cauſa peccati; eô modô, quô lingua, locutio, & manus vocatur *Scriptura*; quatenus videlicet eſt cauſa Scripturæ,

CAPUT VIII.

De Peccatis.

ARTICULUS I.

An omnis homo contrahat peccarum Originale?

NOta primò: per peccatum *Originale* intelligitur illud peccatum, quod poſteritas Adæ (DEI Matre Mariâ exceptâ) contrahit originaliter, ex propagatione naturali, eò quòd transgreſſio Adæ, circa Legem primordialem DEI commiſſa etiam cenſeatur eſſe totius poſteritatis ejus, ob moralem continentiam voluntatum in voluntate primi Parentis.

Dico primò: quivis homo (exceptâ S. ſemper Immaculatâ Virgine Mariâ) ex Adam propagatus in ſua Conceptione contrahit originale peccatum; ac cum eo naſcitur. Ita Catholici; contra Pelagianos, Armenos, Albigenſes, Abailardum, Calvinum, Zwingl. Buccerum, Anabaptiſtas, &c.

Probat. *primò*: ex S Scriptura conſtat, omnes homines contrahere Originale, ac in eo naſci; unde dicitur Job. 14. *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine*; cujus locô S. Auguſtinus, & ſeptuaginta vertunt, & legunt ſic, *nemo mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram*. Et Hebræi ſic, *quis dabit mundum ab immundo? non unus, etiamſi breves dies ejus*. Et pſal. 50. dicitur, *ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea*: quem utrumque locum Scripturæ, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, ac alii PP. addunt ad probandum Originale in omni homine. Et ad Rom. 5. dicitur, *per unum hominem peccatum*

in hunc

in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Et 1. ad Cor. 15. *in Adam omnes moriuntur.* Et ad Epheſ. 2. *eramus nos omnes naturâ Filii iræ; ſicut & cæteri.* Et 1. ad Cor. 3. *omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et propterea ad deletionem ejus modi peccati Originalis in vetere Lege ordinata fuit Circumciſio, pro omnibus maſculis, & eam non applicantes damnabantur; juxta illud Gen. 17. *maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo; quia pactum meum irritum fecit.* Quæ verba expendens Auguſt. *lib. 16. de Civit. DEI cap. 27.* ait, *quia Circumciſio ſignum regenerationis fuit, non immeritò parvulum propter Originale peccatum, quò primum diſſipatum eſt, Teſtamentum, generatio diſperdet, niſi regeneratio liberet.* Et pro eodem delendo in Lege nova conſtitutus eſt Baptiſmus.

Probat. *ſecundò*: SS. Concilia concluſionem definiunt; unde Concil. Palæſtinum inter cæteros articulos hæreticos Cæleſtini, & Pelagiani, etiam ille fuit damnatus, qui negabat in parvulis recenter natis Originale peccatum præfuiſſe. Similiter Concil. Milevit. II. ſub Innocent. I. *can. 2.* dogmatizavit in hunc modum, *placuit, ut quicunque, parvulos recentes ab uteris Matrum baptizandos negat; aut dicit in remiſſionem peccatorum eos baptizari; ſed nihil ex Adam contrahere Originalis peccati, quod regenerationis lavacrô expietur,* &c. *anathema ſit.* Eandem doctrinam protulit Arauſicanum II. ſub Felice IV. Patet etiam ex Florentino in Decreto Eugenii IV. Et tandem Tridentinum *ſeſſ. 5. can. 2.* ait, *ſi quis Adæ prævaricationem ſuam, & non ejus propaginis aſſerit noviſſmè* &c. *anathema ſit.* Et *can. 3. ſi quis hoc Adæ peccatum, quod Origine unum eſt & propagatione, non imitatione transfuſum in omnibus, ineſt unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quàm per meritum unius Salvatoris Domini Noſtri JESU Chriſti.* &c. *anathema ſit*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: authoritate SS. PP. unanimiter conſpirantium in hanc Catholicam veritatem concluſionis; ùt videre eſt apud Irenæum *lib. 5. cap. 17. & 19.* Et Tertullianum *lib. de anima cap. 5.* Et Origenem *hom. in Levit* Et Baſilium *in Expoſit. Pſalmi 32.* Et Gregorium Nazianzenum *orat. de pace.* Et Chryſoſtomum (quem maximè Pelagiani pro ſe citabant, ſecundùm D. Auguſtinum) *epiſt. ad Olymp.* dicentem, *Adam ſic peccavit illud grave peccatum, ut omne genus hominum in commune damnaret.* Et Auguſt. *nam lib. 1. adverſus Julianum cap. 7.* qui pro eadem ſententia citat D. Hieronymum dicens, *hic Græcô, & Latinô, inſuper & Hebræo eruditus eloquiô ex Occidentali ad Orientalem tranſiens Eccleſiam in locis Sanctis, atque in Litteris Sacris uſque ad decrepitam vixit ætatem cujus nobis eloquium ab Oriente uſque ad Occidentem ad inſtar lampadis reſplenduit, non aliam de hac re tenuit, prompſitq́; ſententiam* (quam ſcilicet Concluſionis præmiſſæ) *nam in cap. 6. Oſeæ ait, & ibi hoc eſt in Paradiſo, omnes prævaricati ſunt in me, & in ſimilitudinem prævaricationis Adam; non enim mirum, ſi quod in parente præceſſit, etiam in filiis condemnetur,* &c. Et *lib. 2. contra Julian. cap. 6.* rurſus ait idem Præſul Hyponen. *poſt occulta ſpiramenta viſcerum qui naſcitur, funditur in ortu ploraturus reatum, quem contraxit ante ortum*: Ergo in quovis homine ex progenie Adami propagato reperitur peccatum Originale.

Probat. *quartò* rationibus Theologicis: *primò*, omnibus hominibus ex Adami progenie propagatis eſt ad ſalutem neceſſarius Baptiſmus; juxta illud Salvatoris Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare Regnum DEI*: ſed non ob aliam rationem, quàm quia in eis reperitur peccatum Originale, Baptiſmô emundandum; Ergo in omnibus hominibus ex Adami progenie propagatis reperitur peccatum Originale ante Baptiſmum. Min. patet, tum quia propterea ad Epheſ. 5. Baptiſmus vocatur *lavacrum aquæ in verbo vitæ.* Et ad Tit. 3. *lavacrum regenerationis, & renovationis.* Tum quia baptizatio eſt ablutio quædam, ſeu mundatio; talis autem ſupponit aliquas ſordes præexiſtentes; utique non alias in parvulis, quàm Originales: Ergo &c. *Secundò*, Chriſtus mortuus eſt pro omnibus hominibus, ex Adam progenie propagatis; ſecundùm illud Apoſtoli 2. ad Cor. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*: Ergo priùs omnes ſpiritualiter erant mortui, ut rectè ratiocinatur ibid. S. Apoſtolus *loc. cit.* inquiens, *ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt*: ſed parvuli non alia morte, quàm Originalis peccati mortui ſunt: Ergo in omnibus his reperitur peccatum Originale. *Tertiò*, ad comprobandam Concluſionem de exiſtentia peccati Originalis quoque inſerviunt omnes illæ pœnæ, & ærumnæ, quibus omnes homines ex progenie Adæ propagati illico ex utero effuſi ſubjiciuntur, ob contractum peccatum Originale; ut rectè advertunt SS. PP. ſignanter D. Auguſt. *lib. 3. contra Julian. cap. 3.* Et Tertullia-

nus, & alii: quare expendens has ærumnas Eccleſiaſticus dixit *cap. 40. grave jugum ſuper filios Adæ à die exitûs de ventre Matris eorum, uſque in diem ſepulturæ.* Similiter Eccleſiaſticæ cæremoniæ ſolitæ adhiberi in Baptiſmo, Exorciſmus videlicet, renuntiatio Sathanæ, & inſufflatio in ordine ad abigendum dæmonem, poſſidentem animam parvulorum adhibentur; ut patet ex D. Auguſt. *lib. 2. de nupt. cap. 18.* dicente de Juliano, *accuſat Eccleſiam toto orbe diffuſam, in qua omnes baptizandi infantuli, non ob aliud exſufflantur, niſi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, in quo neceſſe eſt vaſa iræ poſſideantur*; dæmon autem non poſſidet animas, niſi propter peccatum aliquod: Ergo in omnibus parvulis ex Adam genitis reperitur peccatum Originale.

Dixi in concluſione *exceptâ unicâ Matre DEI ſemper immaculatâ*; quia B. V. MARIA ſingulari Privilegio fuit præſervata in conceptu, poſt conceptum, & poſt ortum, ab omni prorſus labe peccati Originalis; ùt uberius, & ex Profeſſo docui. Scholæ meæ *Tom. 2. Tract. de Immaculat. Concept. diſt. 16. q. 1. & 2.*

Objiciunt Hæretici *primò*; Ezech. 18. dicitur, *filius non portabit iniquitatem Patris. Secundò*; S. Chryſoſtomus *epiſt. ad Neophytos*, dicit, *hac de cauſa & infantulos baptizamus, quamvis non ſunt inquinati peccatô; nempe ut eis addatur ſanctitas. Tertiò*; DEUS nequit eſſe mali artifex: Ergo non producit homines cum malo Originali. *Quartò*; nuptiæ ſunt bonæ: Ergo homines, qui ex iis naſcuntur pariter boni; & conſequenter carentes malô Originalis labis. *Quintò*: arguit Julianus apud S. Auguſt. *lib. 2. de nupt. & concup. cap. 28. non peccat iſte, qui naſcitur; non peccat ille, qui genuit; non peccat ille, qui condidit, ſcilicet DEUS: per quas igitur rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fingis ingreſſum? Sextò*; peccatum debet eſſe voluntarium: ſed Originale in parvulis non poteſt eſſe voluntarium: Ergo in eis non eſt.

Reſpondeo *ad primum*, gloſſando textum Ezechielis, & dico, eum loqui de iniquitate perſonali Patris; quòd hæc in filium non transfundatur, nec filius ob eam puniatur, niſi eidem conſentiat per pravam imitationem. *Ad Secundum*, interpretor cum D. Auguſt. *lib. 1. contra Julian. cap. 6.* dictum allegatum S. Chryſoſtomi; & dico, eum pariter loqui de peccato perſonali, quô revera carent parvuli ob defectum uſûs rationis; unde in Græcis exemplaribus locò hujus ſingularis *peccatô* ponitur plurale *peccatis*, ad deſignandum peccata perſonalia. *Ad Tertium*, Neg. Conſeq. nam ùt advertit D. Auguſt. *lib. de peccato Orig. cap. 32.* in productione hominis originaliter infecti duo ſunt deſignanda, natura, & vitium naturæ; primum attribuitur DEO, ùt artifici; alterum non, ſed Adamo prævaricanti Legem primordialem, ex cujus prævaricatione omnis homo naſcitur cum Labe Originali. *Ad Quartum*, Neg. Conſeq. nam nuptiæ ideò tantùm dicuntur bonæ; quia inſtitutæ à DEO ad multiplicationem generis humani; unde omne individuum humanum ex iis progenitum cenſetur bonum, quia multiplicativum generis humani; cum quo ſtat, quòd quodvis poſſit eſſe vitiatum malô Originali, quod non nuptiis: ſed Adæ prævaricationi eſt adſcribendum. *Ad Quintum* reſpondet S. Auguſt. ibid. citat. *quid quæris latentem rimam, cùm habeat apertiſſimam januam? per unum hominem ait Apoſtolus, per unius delictum ait Apoſtolus; per inobedientiam unius hominis; quid quæris apertius? quid quæris inculcatius?* licèt ergo nec natus, nec genitor, nec Conditor DEUS peccet, &c. aut ſit cauſa ingreſsûs peccati Originalis, adhuc ob aliam rationem ingreditur animam parvuli, puta ob peccatum Adæ. *Ad Sextum*, cum Scoto diſt. Maj. peccatum debet eſſe voluntarium vel in ſe; vel in alio, in quo moraliter conſtituitur tanquam in capite Conc. Maj. debet eſſe voluntarium ſemper in ſe Neg. Maj. Itaque peccatum Originale parvulorum eſt ſufficienter voluntarium in Adam; in quo tanquam capite totius vitiatæ propaginis humanæ conſtituitur. & *ex cujus voluntate* (ùt loquitur D. Auguſtinus *lib. 2. de nupt. & concup. cap. 28.*) *ſeminatum eſt, ùt illo eſſet, & in omnes tranſiret.*

ARTICULUS II.

De pœna decedentium cum peccato Originali.

Dico primò: quilibet homo, etiam parvulus decedens ex hac vita cum peccato Originali ſubit perpetuam pœnam damni, ſeu carentiæ viſionis DEI. Ita Catholici; contra Pelagianos, Calvinum, Zwinglium, & alios Hæreticos *prior. art.* relatos.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura generaliter loquente conſtat, omnes homines morientes abſque baptiſmo non intraturos Regnum DEI; ac conſequenter incurſuros pœnam damni, ſeu non adepturos viſionem DEI; ſic dicitur Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum DEI*: Ergo &c. Item ex eadem Scriptura

ptura conſtat, omnes homines perire ob Originale, niſi auferatur tempeſtivè; unde dicitur ad Rom. 5. *ex uno in omnes homines in condemnationem*, Et 1. ad Cor. 15. Et *ſicut in Adam omnes moriuntur*, &c. Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: Concluſionem definiunt priſca Concilia; ut Palæſtinum teſte D. Auguſtino *lib. de geſtis Pelagii cap. 8.* Et Carthaginenſe apud eundem S. Doctorem *num. 90.* Et Milevitanum, uti liquet *ex Epiſt.* D. Auguſt. 92. Et colligitur ex Florentino *ſeſſ. ult.* Et Trident. *ſeſſ. 5. cap. 4.* anathematizante eos, qui aſſerunt *parvulos nihil ex Adam habere Originalis peccati, quod regenerationis lavacrô neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam*: Ergo ſupponit pavulos, & quoſcunque alios contrahentes Originale peccatum, & illud non expiantes lavacrô Baptiſmatis, non conſequi vitam æternam; adeoque ſubjici pœnæ damni poſt mortem.

Probat. *tertiò* authoritate SS. PP. concluſionem maximè de pavulis aſſerentium, eos omnino damnari, ſi in Originali moriantur; ut videre eſt apud S. Anſelm. *lib. de Concept. Virg. cap. 27.* Et S. Fulgentium *lib. de fide ad Petrum cap. 2.* Et S. Proſperum *lib. 2. de vocat. gen. cap. 8.* Et apud D. Auguſt. *lib. 2. de Orig. animæ cap. 12.* dicentem, *novellos Hæreticos Pelagianos, juſtiſſimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apoſtolicæ damnavit authoritas, eò quòd auſi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, & ſalutis locum, etiam præter Regnum Cælorum*: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: adverſatur DEI miſericordiæ, ſi dicatur, quòd DEUS afficiat eos pœnâ damni, ſi in Originali diſcedant; cùm ſua voluntate non peccaverint: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. nam ubi DEUS juſtitiam exercet, ibi non præjudicat ſuæ miſericordiæ; cum parvulis autem in Originali decedentibus exercet juſtitiam, juſtè eos adjudicando pœnæ damni; cùm moraliter contineantur in capite communi generis humani, Adamo ſcilicet, qui peccavit contra Legem primordialem, & Originale transfudit in totam ſuam poſteritatem; ac ſic conſequenter etiam parvulos; uti ex probat. *prioris articuli* liquet.

ARTICULUS III.

An præter incredulitatem, dentur etiam alia peccata Perſonalia mortalia, & tollentia juſtitiam hominis?

DIco primò: non ſolus actus incredulitatis; ſed & alii graves contra Legem DEI exerciti, ſunt peccata perſonalia mortifera, quibus expellitur ab homine juſtitia, ſeu ſtatus juſtificationis, & incurritur damnationis ſtatus. Ita Catholici; contra Lutherum, Zwinglium, Calvinum, Bezam, Melanchonem, Witakerum, Confeſſionem nuperam Anglicanam, &c.

Probat. ex S. Litteris conſtat; homines non ſolùm propter ſolum actum incredulitatis; ſed & alia vitia perſonalia gravia excludi à Regno DEI; & conſequenter talia reputantur mortifera; quibus ab hominibus expellitur juſtitia, & incurritur ſtatus damnationis; unde dicitur 1. ad Cor. 6. *nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles &c. Regnum DEI poſſidebunt.* Et de eſu pomi vetiti, tanquam peccato gravi expellente juſtitiam, & inducente damnationem dicitur Gen. 2. *in quocunque die comederis, morte morieris.* Et de homicidio 1. Joan. 3. *Scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* Et adulterium David pro mortali à DEO reputatum fuit, ideoque graviter punitum; uti dicitur 2. Reg. 12. *non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum; eò quòd deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ, & eſſet uxor tua. Itaq; hæc dicit Dominus; Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum* &c. Et Matth. 5. graviter iraſcens, & contumelians fratrem dicendo *fatue*, cenſetur mortaliter peccare, & damnari; *qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehenæ ignis.* Et carnaliter viventes reputantur mortaliter peccare, ad Rom. 8. *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*: Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum fundantur in falſo illo principio, quòd ſola fides juſtificet; & illa ſola ſit ſufficiens ad vitam æternam; ac proinde etiam infidelitas ſola ſit peccatum mortale, impediens à vita æterna; ſed hoc principium tanquam erroneum jam ſupra *Tom. 1. lib. 3. cap. 4. art. 3.* eliſum eſt; & objectiones ſolutæ.

ARTICULUS IV.

An omnia peccata ſint paria, & mortifera?

DIco primò : non omnia peccata ſunt paria in menſura malitiæ, nec in æqualia. Ita Catholici; contra Jovinianum, & alios priſcos Hæreticos.

Probat. *primò* : S. Scriptura apertis terminis docet imparitatem, & inæqualitatem peccatorum; unde dicitur Jerem. 7. *pejus operati ſunt, quàm Patres eorum.* Et Thren. 4. *major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccatô* Sodomorum. Et 1. Reg. 2. aſſeritur peccatum filiorum Heli gravius aliorum hominum peccatis, ibi, *erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Et de peccato graviſſimo Judæ tradiroris dicitur Joan. 19. *propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet,* Et peccatum in SpiritumSanctum eſt inæquale, & gravius aliis peccatis; utpote quod nec in hoc, nec in futuro ſæculo remittitur Joan. 19. Ergo &c.

Probat. *ſecundò* : SS. PP. paſſim diſtingunt inter peccata, tanquam inæqualia, & quædam graviora, & quædam minus gravia; ita facit Clemens Rom. *in Inſtit. Apoſt. lib. 2. cap. 48.* Et Origenes *in Levit. hom. 14.* Et Ambroſius *ad cap. 4. epiſt. ad Rom.* Et Hieronymus *lib. 2. contra Jovian.* Ergo &c. Eandem diſcriminationem facit Concilium Melevitanum *can. 6. 7.* & 8. Et ipſam etiam oſtendit ratio; quia ipſum lumen naturæ dictat, gravius eſſe peccatum, occidere patrem; quàm furari equum; item gravius eſſe blaſphemare, ac injuriare DEUM; quàm aliquem hominem; Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò* : *cap. 2. in epiſt.* D. Jacob. dicitur, *quicunque offendit in uno, factus eſt omnium reus* : Ergo &c. *Secundò* : S. Baſilius *in Reg. brevior. reſp. 293. docet differentiam hanc minorum, & majorum* (ſubintellige peccatorum) *nuſquam in novo Teſtamento reperiri* : Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Scripturam, & dico, eâ ſolum ſignificari, quòd ad damnationem juſtè à DEO inferendam ſufficiat tam bene unicum peccatum mortale committere, quàm multa committere. *Ad Secundum* dico, hunc S. Patrem expreſsè docere concluſionem *Reſp. 43. in iiſdem Reg. brevior.* Et rurſus *hom. in pſal. 61.* Itaque *Reſp. 293. cit.* ſolùm vult, quòd hæc doctrina quorundam hominum, *majora peccata declinare, minora verò perinde, ac ſi nihil referret committere,* nunquam in S. Scriptura reperiatur.

Dico ſecundò : non omnia peccata ſunt mortifera; ſed quædam tantùm venialia reputantur. Ita Catholici; contra Calvinum, Lutherum, &c.

Probat. *primò* : ex S. Litteris conſtat, eſſe diſcrimen inter peccata, ita ut non omnia ſint mortifera; ſed quædam venialia duntaxat; unde Luc. 6. mortalia comparat *trabi*, & venialia *feſtucæ*. Et Matt. 23. mortifera aſſimilat *camelo*, venialia verò *culici.* Item diſtinguit inter iram minorem; ſeu venialem, *quæ reum facit judicii.* Et iram majorem, ſeu mortalem, *quæ reum facit gehennæ, eod. cap.* Item Prov. 24. dicuntur quædam peccata reperiri etiam in juſtis, quæ utique tantùm venialia ſunt, & ſola cum juſtitia cohærentia; ibi, *ſepties in die cadit juſtus, & reſurgit.* Et de iiſdem peccatis venialibus tantùm procedit illud Eccleſ. 7. *non eſt homo juſtus in terra, qui non peccet.* Et illud Jac. 3. *in multis offendimus omnes*; Ergo &c.

Probat. *ſecundò* : SS. PP. paſſim aſſerunt, in hominibus quibuſdam reperiri ſola venialia peccata, quæ juſtitiam non tollunt; ita facit Clemens Rom. *lib. 2. conſtit. Apoſt. cap. 48.* Et Origenes *hom. 14. in Levit.* Et Hieronymus *lib. 2. contra Jovin.* Et Chryſoſtomus *hom. 24. in Matt.* Et Auguſtinus *in Enchiryd. cap. 7.* Et *lib. de Spir. & Litt. cap. 36.* Et *ſerm. 41. de Sanct.* Et *lib. de nat. & grat. cap 38.* ubi ait, *quia ſæpè in leviſſimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, juſti fuerant, & ſinè peccato* (ſcilicet veniali) *non fuerunt.* Idem facit Milevitanum Concil. *can.* 6. & 7. & 8. Ergo &c.

Probat. *tertiò* : ratio etiam ſuadet diſcrimen peccatorum : nam aliqua eorum ſolvunt amicitiam, cum DEO habitam, afferuntque mortem animæ; talia ſunt homicidium, adulterium, idololatria, & ſimilia, perfectè voluntaria : & aliqua eorum non ſolvunt amicitiam cum DEO habitam; & talia ſunt peccata facta ex ſubreptione, quæ non ſunt perfectè deliberata; item furtum unius obuli; verbum otioſum &c. Ergo non omnia peccata ſunt mortifera; ſed quædam tantùm venialia.

Objiciunt Hæretici *primò* : Ezech. 18. generatim loquitur Scriptura, quòd *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur* : adeoque omne peccatum eſt mortiferum. *Secundò*; Jac. 2. dicitur, *qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*; Ergo omne peccatum evadit mortale, quia inducens reatum ad mortem. *Tertiò*; Deut. 27. dicitur, *maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis hujus* : Ergo omnis peccator quomodocunque

que peccans cadit ſub maledictum; & conſequenter cenſetur mortiferè peccare. *Quartò:* ad Rom. 6. dicitur, quòd *ſtipendium peccati mors ſit*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*, Neg. Ant. nam ille textus Ezech. 18. loquitur de peccatis mortalibus, tantùm & quidem de graviſſimis; utì conſtat ſincerè examinanti *citatum cap. 18.* *Ad Secundum* dico, ſimiliter illum locum Jacobi 2. procedere de peccato mortali. *Ad Tertium* dico, quòd Scriptura illa Deut. 27. afficiat ſola ea, quæ ibidem nominatim exprimuntur, quæ partim ſunt moralia, & cæremonialia; atque ad ſolos Judæos pertinentia, partim graviſſima peccata, puta idololatria, homicidium &c. quæ, qui committit, haud dubiè ſub maledicto eſt. Deinde eſſe ſub maledicto non ſemper denotat eſſe in peccato mortali; nam Chriſtus dicitur, *factus pro nobis maledictum*, ad Gal. 3. Et tamen non habuit mortale peccatum. *Ad Quartum* dico, illum paſſum Scripturæ ad Rom. 6. procedere de peccato mortali; non autem veniali.

ARTICULUS V.

Variæ reſolutiones Catholicæ circa peccata.

DIco primò: etiam fideles committentes peccata, reddere debebunt coram DEO Judice rationem de iiſdem. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, &c.

Probat. *primò*: S. Scriptura apertè docet, quoſcunque homines, & conſequenter etiam fideles peccatores, reddituros rationem de ſuis peccatis, & eoſdem fore judicandos à DEO; unde dicitur ad Rom. 14. *unuſquiſque noſtrûm* (loquitur Apoſtolus etiam de ſe, ac ac aliis fidelibus) *pro ſe rationem reddet à DEO.* Et Eccleſ. 12. dicitur, *cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit.* Et 2. ad Cor. 5. dicitur, *omnes nos* (etiam fideles) *manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum; ſive malum.* Et pſal. 74. dicitur, de DEO Judice communi omnium, *cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo*; quantò magis peccata. Et Matt. 12. *dico vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint* homines (etiam fideles) *reddent rationem de eo in die judicii*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: Concilia, etiam priſca, docent futurum judicium univerſale; ut Nicænum, & Conſtantinopolitanum, *in Symb.* Idem faciunt SS. PP. ut Athanaſius *in Symb.* Auguſtinus, Gregorius, Anſelmus, &c. Sed tale judicium ordinatur ad reddendas rationes pro peccatis, & acceptandas ſententias ob eaſdem: Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum conſiſtunt in mero eorum arbitrio, non fundato in S. Scriptura, PP. vel Eccleſiæ authoritate.

Dico ſecundò: peccata repræhenduntur non ſolùm à Lege veteri; ſed etiam ab Evangelica. Ita Catholici; contra Bezam, Calvinum, & alios quoſdam Novatores.

Probat. varii ſunt paſſus S. Evangelii, quibus Chriſtus redarguit peccatores, & eis gehennam improperat pro peccatis quibuſdam, prædicat pœnitentiam &c. unde dicit Matt. 5. *qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et Luc. 13. *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Et Matth. 4. *exinde cœpit JESUS prædicare, & dicere pœnitentiam agite*: Ergo &c.

Quid objiciant ſubſtantiale Novatores, non reperio, niſi capritioſum eorum aſſertum contrarium, ab Hæretico eorum de Spiritu profectum.

Dico tertiò: peccata fidelibus omninò imputantur. Ita Catholici; contra Lutherum, Bezam, Calvinum, &c.

Probat. ex S. Litteris habetur ejuſmodi imputatio; dum ira DEI ob peccata commiſſa exprimitur contra ea committentes; unde dicitur Deut. 9. quòd *adverſus Aaron vehementer iratus* (DEUS ſcilicet) *voluit eum conterere.* Et Exod. 4. *iratus Dominus in Moyſen*, ait: *Aaron frater tuus* &c. Et Davidi revera imputatum fuit adulterium; & propterea graviter fuit à DEO punitus 2. Reg. 12. Et aliis peccatoribus DEUS imputat peccata ad mortem; unde dicitur Ezech. 18. *cùm averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa die.* Et Matt. 5. gehenna imputatur, illi qui dixerit fratri ſuo *fatue*: Ergo &c.

Fundamentum Hæreticorum eſt arbitrium ſentimen eorundem, ſinè Scriptura probante tale aſſertum.

Dico quartò: etiam fideles peccata gravia committentes excidunt è gratia DEI, & Regno DEI, ſi finaliter in eis perſeverent. Ita Catholici; contra Calvinum, Bezam, Academias Tygurinam, Marburgenſem, Heydelbergenſem, &c.

Probat. S. Scriptura apertè indicat, quoſcunque peccatores graves, quâ tales fieri membrum Diaboli, privarique Regnô DEI, ac conſequenter excidere ex gratia DEI; unde dicitur 1. Joan. 3. *qui facit peccatum ex diabolo*

diabolo eſt. Et ad Epheſios 5. *omnis fornicator, aut immundus, aut avarus*, (nota graves peccatores) *non habet hereditatem in Regno Chriſti*. Et 1. ad Cor. 6. *neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles &c. Regnum DEI poſſidebunt*: Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum laborant in ſolo erroneo eorum arbitrio, ſinè fundamento S. Scripturæ prolato.

Dico quintò: inter peccata propriè non debent recenſeri motus concupiſcentiæ, antevertentes advertentiam rationis, & conſenſum voluntatis. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, Confeſſionem Anglicanam, &c.

Probat. ſi motus præfati concupiſcentiæ eſſent peccata, ſequeretur eſſe impoſſibile ulli homini, etiam juſtiſſimo ſervare Legem DEI; ſed hoc jam eſt reprobatum ſupra *cap. 7*. Ergo &c. Probatur ſequela Maj. omnis homo regulariter, ſaltem in florente ætate, ſentit aliquos tales motus concupiſcentiæ; & ipſum vas electionis S. Paulus eiſdem fuit exagitatus, quando dixit, *video aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ*: Ergo &c. Deinde ejuſmodi motus non ſunt voluntarii; ſed actus non voluntarii inter peccata recenſeri nequeunt; cùm non ſint perfectè deliberati: Ergo &c.

CAPUT IX.

De Bello.

ARTICULUS I.

An bellum ex genere ſuo ſit illicitum?

Dico primò: ex genere ſuo licita ſunt bella, ſi certis conditionibus veſtiantur. Ita Catholici; contra Manichæos, Lutherum, Anabaptiſtas, Oecolampad. Cornelium, Agrippam, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, quòd DEUS juſſerit facere quædam bella; ut num. 25. Et 1. Reg. 15. Item varias præſcripſit Leges Iſraëlitis bellantibus Num. 10. Et Deut. 20. ac alibi. Item in eadem Scriptura referuntur varia bella vetera, quæ non reprobantur; ùt bellum contra Amalecitas Exod. 17. Et bellum contra Madianitas, num. 25. & Libri Judicum, Joſue, Regum, Paralipomeon, ac Machabæorum ſunt plenis biſtoriis bellorum. Item plures veteres bellantes à DEO laudantur de fortiter geſtis bellis; ut Abraham Gen. 14. Et Gedeon, Barac, Sampſon, Jephte, Samuel, David, & alii 1. ad Hebræos 11. Ac Levitæ Exod. 12. Ergo ex genere ſuo licita ſunt bella, ſi certis conditionibus, infra recenſendis, veſtiantur. *Secundo*: ſimiliter SS. PP. docent, bella eſſe licita; ſi ex cauſa juſta, quæ una conditio vera veſtiens eſt, procedant; unde Auguſtinus *quæſt. 10. in lib. Joſue* ait, *juſta bella* (& conſequenter licita) *definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi gens vel civitas, quæ bellò petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere, quod per injuriam acceptum eſt*. Lege eundem Doctorem lib. 22. *contra Fauſtum cap. 74*. Et Ambroſium *lib. 1. de officiis cap. 40*. Et Gregorium *lib. 1. epiſt. 72*. Et Bernardum *ſerm. ad milites Templi cap. 3*. &c. Ergo ex genere ſuo licita ſunt bella, ſi veſtiantur certis conditionibus.

Nota autem *primò*: Conditiones belli liciti eſſe ſequentes; & ſit ſimul *Probatio tertia* Concluſionis. *Prima* eſt; bellum offenſivum indici debet publica authoritate Principis regnantis, v. g. Cæſaris Regis, vel Ducis; vel authoritate ſupremi Magiſtratûs, ſi ſit Reſpublica: nam ad Rom. 13. dicitur de his ſolis, quelibet eorum *quòd gladium portet, DEI enim Miniſter eſt, vindex in iram*. Et ideo in Jure Civili *L. hoſtes ff. de captivis, & poſtliminio reverſis*, prædones, atque latrunculi appellantur, qui in Imperio ſinè conſenſu, & authoritate Imperatoris bellum offenſivum ſuſcipiunt.

Nota *ſecundò*: *ſecunda* Conditio liciti belli eſt, ut ſubſit cauſa juſta; quæ poteſt eſſe multiplex. *Primò*, ſi Principi ſupremo, vel Reipubl. facta ſit, vel immineat gravis injuria; ex hac cauſa licitè bellavit David contra Hanon Regem Amonitarum, eò quod hic nuncios David gravi affeciſſet contumeliâ, mediam abſcindendo barbam, & veſtes uſque ad nates præſcindendo 2. Reg. 10. *Secundò*, ſi conſurget rebellio ſubditorum; ex hac cauſa David quoque licitum bellum inſtituit contra Soba Filium Bochri, qui cum quibuſdam aliis à David legitimo Rege receſſerat 2. Reg. 20. *cap. 20*. *Tertiò* ſi malafactores meritò caſtigandi protegantur; ex hac cauſa filii Iſraël licitè moverunt bellum contra Beniamitas; eò quòd nollent tradere quoſdam, qui nefandum

nefandum flagitium perpetraverant, Jud. *20. cap. Quartò*, ſi Exercitui juſtum bellum facienti denegetur tranſitus per Regionem alienam; ex hac cauſa quoq; Iſraelitæ licitè bellum indixêre Arad Regi Chananæo, Num. 21. *Quintò*, ſi inimicis ſint ſuppetiæ latæ; ex hac cauſa David bellô licitè impetiit Syriam, & de ea percuſſit viginti duo millia virorum; eò quòd ſuppetias tuliſſent Adarezer Regi Sobæ 2. Reg. 8. *cap. Sextò*, ſi fœdifragium committatur, & pax inita violetur; ex hac cauſa Rex Joram bellum juſtè indixit Regi Moab, qui nolebat illi ſolvere centum millia ovium, juxta fœdus priſcum initum 4. Reg. 4. *cap. Septimò*, ſi ſubditi devient in idolatriam, aut periculoſam hæreſim, quæ interitum Regni machinetur; ex hac cauſa Moyſes cum Filiis Levi bellum licitum intulit filiis Iſraël, cum internetione triginta trium millium hominum; eò quòd circa vitulum aureum idolatriam commiſiſſent, Exod. 32.

Nota *tertiò: tertia* Conditio eſt, ut bellum rectâ intentione boni publici ſuſcipiatur, videlicet vel propter amiſſa recuperanda, vel injuriam publicam juſtè vindicandam, vel ſtabiliendam pacem: unde ſi ex aliis imperfectis intentionibus inſtituantur bella, illicita cenſenda ſunt; de quibus proinde D. Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſtum cap. 74.* ait, *nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas bellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.*

Objiciunt Hæretici *primò*: in quocunque bello, etiam præfatis conditionibus veſtito, interveniunt variæ cædes, ac damna graviſſima diverſa, ut bonorum fortunæ, & ſimilia: Ergo non ſunt licita. *Secundò*: ſimiliter in omni bello læditur pax, & charitas proximi, ad quæ ſervanda Lex Divina omnes obligat: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam illa mala imputantur illi ſoli parti, cujus bellum non eſt veſtitum præfatis conditionibus tribus; non verò quæ habuit juſtam cauſam bellandi; uti apertè patet in bellis licitis geſtis à David, & aliis, ſuprà *probat. 1.* relatis. *Ad Secundum* Nego Ant. nam ex parte illius, qui inſtituit bellum cum conditionibus ſuprà relatis, non cenſetur lædi charitas; cùm agat id, quod juſtitia dictat; & mediante bello licito procuret ſtabilire pacem, atque caſtigare errorem alterius partis.

ARTICULUS II.

An ſpecialiter Chriſtianis ſint licita bella?

Dico primò: etiam in ſpecie Chriſtiani ſervatis illis tribus ſuprà relatis conditionibus licita faciunt bella, maximè Turcas impugnando. Ita Catholici, contra Lutherum, qui dixit non licere Chriſtianis Principibus movere bella contra Turcas; & contra Anabaptiſtas, ac alios Hæreticos.

Probat. *primò*: Chriſtus nuſquam in Lege Evangelica legitur prohibuiſſe, aut reprobâſſe bellum in Chriſtianis; imò illud tacitè approbavit, dum Matt. 22. juſſit tributum pro ſtipendiis militaribus reddi Cæſari, ibi, *reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt.* Et dum fidem centurionis militis commendavit Matt. 8. dicens, *non inveni tantam fidem in Iſraël;* quæ verba expendens S. Auguſt. ait, *fidem centurionis laudavit, non militiæ deſertionem imperavit.* Idem conſtat ex S. Joanne Baptiſta, qui rogatus à militibus, *quid faciemus & nos?* non diſſuaſit militiam, quaſi bella fidelibus non eſſent licita; ſed eos inſtruxit, qualiter ſe in militia gerere debeant dicens, *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris*: Luc. 3. *cap.* Ergo &c. *Secundò*: ex antiqua Eccleſiæ praxi conſtat ipſam bella veſtita ſuprà dictis tribus conditionibus in nullo Concilio, vel Decreto Pontificio prohibuiſſe; adeoque ea licita cenſuiſſe; unde Summi Pontifices etiam veteres, ut Urbanus II. Paſchalis II. Calixtus II. Lucius III. Eugenius III. &c. Chriſtianos concitârunt ad ſacra bella, contra Eccleſiæ, & Chriſtianæ Religionis hoſtes ſuſcipienda: Ergo &c. *Tertiò*: ſed nec SS. PP. in Chriſtianis bella reprobant, ſi ſervatis ſervandis conditionibus ſuſcipiantur, ſed ea permittenda cenſent; ut videre eſt apud S. Auguſt. *lib. 22. contra Fauſtum cap. 74.* Et *epiſt. 5. ad Marcellinum.* Et *epiſt. 5. ad Bonifacium Comitem.* Et apud S. Gregorium *lib. 1. epiſt. 72.* &c. Ergo &c. *Quartò*: ſpecialiter bellum ſacrum contra Turcas communes Chriſtiani Nominis hoſtes perpetuos licitum eſt, ut ejus Tyrannis, & immanitas, quam adverſus Legem S. Evangelii & totam Chriſtianitatem extirpandam machinatur, retundatur; ſicque Religio Chriſtiana conſervetur, & dilatetur; & ut eorundem Lex Machometica ſpurca, & falſiſſima deſtruatur, atque ejuſdem cultores ad dogma veræ Legis Chriſti reducantur; totque

templa, & ſanctuaria, olim verò cultui DEI dicata, ab eiſdem autem Machometanis profanata, rurſus recuperentur; demúmque tot Chriſtiani adhuc ſub jugo Ottomanico gementes in Oriente, & Meridie, ſuæ nativæ reſtituantur libertati: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: & *primò* Lutherus; Turcas impugnare bellô eſt repugnare Divinæ voluntati, viſitanti, & per eoſdem ùt ſua flagella corrigenti iniquitates noſtras: Ergo &c. *Secundò* ajunt Anabaptiſtæ; Chriſtiani debent eſſe manſueti, & pacifici: Ergo non eſt ipſis permiſſum bellum. *Tertiò*, Chriſtiani non debent ulli offendenti ſe reſiſtere; nam Matth. 5. dicitur, *ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram*: Ergo &c. *Quartò*; Chriſtus ipſe reprehendit Petrum volentem pugnare; unde dicit Matth. 26. *converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladiô peribunt.* *Quintò*, Apoſtolus 2. ad Cor. 10. docet, *à nobis ſola arma ſpiritualia eſſe tractanda*, ſcilicet loricam juſtitiæ, ſcutum fidei, galeam ſalutis, &c. unde ait, *arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt; ſed ſpiritualia*: volens per hoc reprobare arma materialia, & conſequenter bella: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam ſicut non eſt repugnare Divinæ voluntati viſitanti nos, & corrigenti iniquitates noſtras per famem, & ægritudines, quamvis fiat proviſio contra imminentem famem; aut ſumatur pharmacum contra morbum; vel antidotum contra contagionem; quæ ſunt remedia à DEO ordinata contra ſimiles afflictiones; ita ſimiliter quamvis concedatur, DEUM viſitare nos Chriſtianos per Turcas; attamen eoſdem impugnare, & reprimere permittit, ut hôc remediô Chriſtianitas liberetur à nimio ejus jugo, Tyrannide, & finali interitu, quem is machinatur ubique terrarum. Et ſicut olim Iſraëlitæ ob ſuas iniquitates DEI permiſſione viſitati à diverſis hoſtibus, licitè eos impugnabant; ita Chriſtianis licitum erit ſuos hoſtes capitales Turcas (etſi ſupponantur eſſe ad correctionem eis permiſſi) licitè impugnare. Et ſanè ſi orbis Chriſtianus hanc peſtiferam Lutheri doctrinam ſecutus fuiſſet, jam actum eſſet de re Chriſtiana ubique locorum. *Ad Secundum* Nego Conſeq. nam manſuetudo, & pax Chriſtiana non evacuantur per bellum, certis conditionibus ſuprà relatis veſtitum; nam ſicut Moyſes communi elogio manſuetudinis celebratus non cenſetur exuiſſe manſuetudinem, quamvis varia bella commiſerit: ita de Chriſtianis licitè bellantibus dicendum. Manſuetudo itaque, & pax Chriſtiana tunc tantùm cenſetur perdi, quando fidelis inſtituit bella injuſta. *Ad Tertium* Neg. Ant. & gloſſando textum illum Matt. 5. dico, quòd Salvator ibi ſolùm vult inſtruere nos, ut privatas vindictas non quæramus; ſed potiùs parati ſimus præbere etiam alteram maxillam; id eſt alteram injuriam privatam accipere, quàm acceptam ulciſci: nam & qui bella inſtituunt, non debent hoc ex privato affectu vindictæ facere; ſed ex recta intentione boni publici. Deinde dictum illud Salvatoris non eſt præceptum; unde & ipſe ad injurias ſuas privatas aliquando replicuit, non præbendo alteram maxillam; ùt Joan. 18. quando in ſua maxilla injurioſè percutiebatur coram Pontifice, non præbuit alteram; ſe reſtitit increpando, *ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis?* Et D. Paulus cùm ex mandato Pontificis juberetur percuti, dixit Act. 23. *percutiet te DEUS paries dealbate.* *Ad Quartum* dico, Chriſtum ob ſequentes cauſas modeſtè reprehendiſſe Petrum; quia ipſe intendebat ſuam mortem impedire illa defenſione; unde dixit illi, Joan. 18. *calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum.* Vel, quia temerariè agebat, ſolus inſurgendo contra tantam militum cateruam; vel quia Chriſtus opus non habebat ejus defenſione; unde etiam ipſi dixit, Matth. 26. *an putas, quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plus, quàm duodecim Legiones Angelorum?* vel quia, cùm omnes Apoſtoli interrogâſſent, *Domine ſi percutimus in gladio?* ipſe ſolus non expectatô Chriſti reſponsô ſtrinxit gladium, & vulneravit ſervum Pontificis. *Ad Quintum* Neg. Ant. nam ſenſus illius textus 2. ad Cor. 10. eſt, quòd Apoſtoli in militia, quam Apoſtoli exercebant, ſcilicet in prædicando, ſuadendo, & promulgando Evangelio, non uterentur armis carnalibus; cujuſmodi ſunt humana ſcientia, facundia, prudentia, aſtutia, adulatio, jactantia, & affectata gravitas, quibus utuntur homines mundani; ſed applicarent Divina præſidia, quæ ſpiritualia ſunt; ejuſmodi erant zelus, charitas, oratio, patientia, virtus miraculorum &c. & hunc eſſe verum ſenſum dicti paſsûs Scripturæ, conſtat ex alio ejus loco 1. ad Cor. 2. *ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione Spiritûs & virtutis.*

CA-

CAPUT X.

De Simonia.

NOta primò : Simoniam rectè deſcribi, quòd ſit *ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* Hoc vitium origenem habet, & nomen à Simone Mago, primo ejus Authore in Lege nova.

Dico primò : Simonia eſt ſub gravi culpa prohibita. Ita Catholici ; contra Simonem Magum, Armenos, & Græcos Schiſmaticos, qui teſte Guidone Carm. docent, licitum eſſe emere, & vendere Prælaturas Eccleſiaſticas à Patriarcha Græco.

Probat. *primò* : S. Scriptura reprobat Simoniam; unde D. Petrus Act. 8. redarguit Simonem Magum, hoc vitio notatum, dicens, *pecunia tua tecum ſit in perditionem ; quoniam donum DEI exiſtimâſti pecuniâ poſſideri poſſe.* Et ideò etiam dicitur Matt. 10. de largitione rerum ſpiritualium, *gratìs accepiſtis gratìs date.* Ergo &c. *Secundò* SS. PP. & Concil. priſca vituperant, & prohibent pro ſpiritualibus accipere, vel dare aliquid temporale; ùt videre eſt in Concil. Elibertino *cap. 48. decret.* Et Concil. Toletano XI. *cap. 8. decret.* Et Braccarenſi II. *cap. 3.* Idem faciunt SS. PP. ſignanter S. Hieronymus in illud Matt. 10. *gratìs accepiſtis, gratìs date.* Auguſtinus, Gregorius, Chryſoſtomus, &c. Item Jus Canonicum *can. reperiuntur. 1. q. 1.* ubi appellatur *execrabile vitium.* Et *can. ſi quis Epiſ. eod. q.* ubi vocatur, *turpiſſimum lucrum.* Et *can. ſane, 15. q. 3.* ubi *inſtar publici criminis, ut Læſæ Majeſtatis puniendum.* Et *cap. ſicut*, de Simonia, ubi dicitur, *Simoniaca peſtis ſui magnitudine alios morbos vincere* : Ergo &c.

Quid fundati objiciant Simon Magus, aut ejus aſſeclæ Græci, atque Armeni, non reperio.

CAPUT XI.

De Uſura ; & Fornicatione.

NOta primò : nomine Uſuræ venit, *lucrum ultra ſortem ex mutuo immediatè proveniens, tanquam debitum.* per ly *ſortem* intelligitur maſſa v. g. pecuniæ, mutuò data.

Dico primò : omne genus uſuræ eſt prohibitum Lege Divina. Ita Catholici ; contra Græcos Schiſmaticos, Buccrum, & Calvinum.

Probat. *primò* ; S. Scriptura dicit, uſurarium non aſcenſurum in montem DEI ; utique quia uſura eſt peccaminoſa, & prohibita à DEO ; unde dicitur pſal. 14. *Domine quis requieſcet in mónte ſancto tuo* &c. *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Et Ezech. 18. pronuntiatur juſtus is, qui pecuniam non dedit ad uſuram ; adeoq; reputatur injuſtus, qui eam ſic dederit ; unde dicitur, *& vir ſi fuerit juſtus, ad uſuram non commodaverit* &c. *hic juſtus eſt, & vitâ vivet* ; Et Luc. 6. dicit Salvator *mutuum date, nihil inde ſperantes* : Ergo &c. *Secundò*, Concilia generalia, etiam priſca, ſupponunt uſuras eſſe prohibitas ; ùt Nicænum relatum *in can. quoniam multi, diſt. 47.* Et Lateranenſe ; ac Viennenſe ſub Clem. V. ſimiliter ſentit Jus Canonicum, quod contra uſurarios tanquam peccatores ſtatuit graves pœnas *can. 14. q. 3.* & *tit. integro de uſuris, in decretal.* Et *in Clement. eod. tit.* Idem docent SS. PP. ſignanter S. Ambroſ. *lib. de Tobia cap. 15.* &c. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici : S. Scriptura Judæis permiſit uſuras, Deut. 23. ibi, *non fæneraberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem ; ſed alieno.* Et 28. *fæneraberis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies* : Ergo &c. Accedit Jus Civile, permittens uſuras ; & tribuens actionem ad eas exigendas, *L. 1. 2. & aliis, C. de uſuris.* Tandem uſurarius habet titulos ſufficientes, ad moderatas uſuras acceptandas, nimirum *laboris* in numerando ; *temporis*, quô alter pecunia utitur ; & *obligationis*, quâ ſe obligat ad non repetendum, niſi poſt certum elapſum tempus ; quæ omnia ſunt pretiô æſtimabilia : Ergo &c.

Reſpondeo *primò*: ad Scripturas allatas, DEUM rectè permiſſiſſe Judæis uſuras erga alienos, & gentes; quia erant inimici eorum, quos Jure poterant ſpoliare rebus ſuis, ſive artificio uſurarum; ſive armis: unde ait S. Ambroſius *lib. de Tobia cap. 15.* relatus *C. ult. 14. q. 4. Cui meritò inferuntur arma, huic meritò auferuntur uſuræ. Quem bellô vincere non potes; ab hoc uſuram exige. Ad Secundum* dico citatas Leges Civiles; à Jure Canonico eſſe correctas; ùt patet *in Clem. unica. de uſuris. Ad Tertium* dico: hujuſmodi titulos non legitimare uſuras: non enim titulus *laboris*; quia hic modicus eſt: vel ſi notabilis ſit; pretium quidem exigi poteſt pro eo; verum non tanquam ex mutuo; ſed tanquam ex opera præſtita mutuatario. Neque alter titulus *Temporis*; quia hic afficit ipſum uſum rei mutuatæ, pro quo nil omninò, ultra ſortem dari poteſt. Neque *obligationis*; quia nullam contrahit mutuans, ſicut nec donans; cum transferat Dominium pecuniæ mutuatæ in mutuatarium, & ſolus mutuans obligetur tali tempore reſtituere. Præterea talis obligatio, ſi quæ adſit, eſt mutuo intrinſeca; alioquin mutuum non differret à Precario.

Dico ſecundò: ſimplex fornicatio, ſeu coitus carnalis hominis ſoluti cum ſaluta eſt peccatum mortale; & prohibitum à DEO. Ita Catholici; contra Græcos, Schiſmaticos, Lutherum, & Calvinum.

Probat. *primò*: S. Scriptura excludit à Regno Cœlorum fornicarios ſimplices; quòd ſignum eſt eos mortaliter peccare; & agere contra DEI prohibitionem; unde dicitur 1. ad Cor. 6. *neque fornicarii &c. Regnum DEI poſſidebunt.* Et ad Gal. 5. fornicatio ſimplex computatur inter opera carnis mortalia; ibi, *manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio*, &c. Ergo &c. *Secundò*, SS. PP. etiam priſci concorditer tenent, ſimplicem fornicationem continere culpam mortalem; ac proinde eſſe à DEO prohibitam; ſic facit Chryſoſtomus *hom. 63. in Matt.* Et Theophylactus *in comment. ſuper Matt.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: per ſimplicem fornicationem poteſt ſequi proles, & conſequenter mulriplicatio hominum; ſed hæc eſt permiſſa à DEO in Gen. ibi, *creſcite, & multiplicamini*: Ergo &c. Reſpondeo Diſt. Min. Multiplicatio hominum eſt à DEO permiſſa conjugibus Con. Min. ſolutis Neg. Min. unde verba illa *creſcite, & multiplicamini*; ad Adam & Evam conjuges veros directa fuerunt.

CAPUT XII.

De Tyrannis.

NOta primò: Tyrannus alius eſt *titulô* talis; alius *adminiſtratione* talis. *Tyrannus titulô* cenſetur is, qui potentiâ bellicâ, ac ſinè Jure ſupremum regimen Regni, vel Provinciæ ſibi vendicat; ralis eſt Turca reſpectu Regni Ungariæ, Sclavoniæ, Boſniæ, Dalmatiæ, Thratiæ, & aliorum in Europa vi occupatorum ſuperioribus ſæculis. *Tyrannus adminiſtratione* reputatur is, qui etſi Jure electionis, vel ſucceſſionis hæreditariæ ſupremum regimen obtineat; eò tamen injuſtè, & contra Leges Regni abutitur, ſubditos injuriâ aggravando, ſupprimendo, & communia Regni, vel Provinciæ commoda ſuis privatis uſibus, per conſtitutiones iniquas ſibi appropriando.

Dico primò: Tyrannus adminiſtratione tantùm, & cui Juramentum ſubjectionis præſtitêre ſubditi, nequit ſinè prævia ſententia licitè interfici per privatum Vaſallum; etiam per clanculares inſidias. Ita Catholici; contra JoannemParvi; & compluresaliosHæreticos, tempore Concilii Conſtantienſis viventes; &c.

Probat. *primò*: nuſquam in S. Litteris reperitur conceſſum, ut perſona privata, cujuſmodi eſt Vaſallus, licitè poſſit occidere per inſidias clanculares ſuum Principem, cui Jumentô ſubjectionis eſt obſtricta; imò tales occiſores clandeſtini indefinitè jubentur rurſus interfici, in deteſtationem, & pœnam commiſſi criminis; etiamſi exiſterent in Aſylo Eccleſiæ; unde dicitur Exod. 21. *ſi qui per induſtriam occiderit proximum ſuum per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*: Ergo &c. *Secundò*: Juramentum ſemel præſtitum nequit violari impunè; quod tamen fieri poſſet in oppoſita ſententia Hæreticorum: Ergo &c. Probat. Ant. nam propterea repræhenditur Sedechias Rex Juda, qui Juramentum Nabuchodonoſori præſtitum de fidelitate ſervanda fregit, eidem poſtea rebellando 2. Paralip. 26. Et propterea etiam Patriarcha Jacob turbatus, & iratus fuit contra duos filios ſuos

Simeo-

Simeonem, & Levi, eò quòd violâſſent pactum juratum, cum Sychimitis initum, & hac de cauſa cum alios filios moriens benediceret, illis maledixir inquiens; *Simeon, & Levi vaſa iniquitatis bellantia*: Ergo &c. *Tertiò*; nullus malefactor poteſt juſtè & licitè occidi, niſi ab habente poteſtatem, & jurisdictionem; unde quamvis Cain eſſet maximus malefactor, ob effuſionem ſanguinis fratris ſui; tamen DEUS noluit, ut à quovis homine poſſet occidi, utì ipſe Cain timebat; ſed dixit DEUS Gen. 4. *nequaquam ita fiet; ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*: ſed nullus Vaſallus habet poteſtatem, & jurisdictionem juſtè, & licitè occidendi Regem ſuum, Tyrannum adminiſtratione; nam omnis poteſtas à DEO eſt: nec apparet fundamentum ex S. Scriptura; unde talis poteſtas Vaſallo collata eſſet: Ergo &c. *Quartò*; Tyrannus adminiſtratione eſt jure conſtitutus verus Princeps; & ejus character, ac dignitas eſt ſacratè tractanda, utpotè à DEO collata; juxta illud Proverb. 8. *per me Reges regnant*, &c. Et ad Rom. 13. & 1. Pet. 2. ubi propterea præcipitur ſervanda obedientia Principibus, etiam Ethnicis; etſi quidam eorum eſſent Tyranni adminiſtratione, & ſævientes in Chriſtianos: Ergo &c. *Sextò*; Concilium Conſtantienſe *ſeſſ. 15.* meritò oppoſitam hæreſim damnavit, dicens; *præcipuâ ſollicitudine volens hæc ſacroſancta Synodus ad extirpationem errorum, & hæreſum in diverſis mundi partibus invaleſcentium providere, ſicut tenetur, ad hoc collata eſt. Nuper accepit, quòd nonnullæ aſſertiones erroneæ in fide, & bonis moribus multùm ſcandaloſæ, Reip. ſtatum & ordinem ſubvertere molientes, dogmatizata ſunt; inter quas hæc aſſertio delata eſt; quilibet Tyrannus poteſt, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcunque Vaſallum ſuum, & ſubditum etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes; non obſtante quocunque præſtitô Juramentô, ſeu confæderatione factâ cum eo, non expectatâ ſententiâ; vel mandatô Judicis.* In qua condemnatione etiam tangitur cauſalis Theologica Concluſionis: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: in S. Scriptura leguntur exempla occiſorum Tyrannorum à privatis perſonis facta, quæ Scriptura non reprobat; ſic legitur Jahel trucidâſſe Siſaram Tyrannum; & Judith detruncâſſe Holofernem, &c. Ergo &c. *Secundò*; aliquando aliter ſubveniri nequit publicis cædibus, & grandibus malis, quæ facit Tyrannus adminiſtratione in Regno, vel Reip. Ergo tunc talis licitè à Vaſallo poteſt interfici.

Reſpondeo *ad Primum*; allegata exempla Scripturæ ſolùm probare, Tyrannum titulô poſſe juſtè occidi à quovis etiam privato; cum talis ſit invaſor, & uſurpator Regni, ſinè ullo Jure electionis, aut ſucceſſionis hæreditariæ regnans, quod permiſſum eſſe concedunt Catholici: at alia ratio eſt de Tyranno adminiſtratione tantùm tali; utì patet ex argumentis, pro concluſione adductis. *Ad Secundum* dico; ſi contingat ſimilis caſus aggravationis Regni; vel Reip. per Principem Tyrannum, qui revera nimiùm exorbitaret, & ad veram intolerabilem Tyranidem declinaret; tunc ſtatus Regni, vel Provinciæ publicæ hoſtem Regni, vel Reip. deſuper præconizare poſſunt; quô factô demun à quovis privato poterit occidi; utì docet Cajetanus, Leſſius, Scotus, Herincx, &c.

CAPUT XIII.

De Malefactoribus.

Dico primò: notabiles, & grandes malefactores, cujuſmodi ſunt malefici, Sacrilegi, incendiarii, homicidæ, & ſimiles poſſunt licitè publicâ authoritate gladiô feriri, & aliis modis occidi. Ita Catholici; contra Waldenſes, & Nic. Galecum Boëmum, qui fuit unus ex Legatis ex Boëmia miſſis ad Concil. Baſileenſe, teſte Alph. à Caſtro, ver. *occidere*; & contra Brouniſtas.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, licitum eſſe quoſdam Malefactores juſtè occidere; nam in eadem ordinatur pro talibus pœna mortis; ùt pro homicida Exod. 22. Et Matth. 26. Et Gen. 6. Et ibidem pro committentibus peccatum beſtialitatis, & peccatum idololatriæ. Et Levit. 24. pro blaſphemis, & furibus nocturnis. Et Moyſes, David, ac alii Principes plures tales morte mulctârunt; utì patet ex S. Scriptura: Ergo &c. *Secundò*: ſimiliter SS. PP. docent, licitam eſſe interfectionem gravium malefactorum, v. g. homicidarum, & Sacrilegorum; ut Hieronymus *ſuper cap. 22. Jeremiæ*; ubi ait, *homicidas, & Sacri-*

Sacrilegos, & venenarios punire non eſt effuſio ſanguinis; ſed Legum miniſterium. Et S. Auguſtinus *1. Civit. cap. 21.* &c. Ergo &c. *Tertiò*, perpetua praxis omnium nationum bene inſtitutarum ab Eccleſia non reprobatur, & uſus piorum etiam Regum, Magiſtratum &c. obtinuit, ut grandes malefactores è medio Reip. tollantur per mortem: & ratio publici hanc ſuadet, ut videlicet Regna, & Reipublicæ politicâ, ac quietâ vitâ gaudeant, quæ prœmiô bonorum, & ſuppliciô malorum, ſeu Malefactorum, tanquam duobus polis, ac cardinibus innititur; firmâque conſiſtit: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici; omnis occiſio Lege Divina eſt prohibita: nam in S. Decalogo dicitur indefinitè *non occides*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad textum S. Decalogi dico; per illum ſolùm prohiberi occiſionem, quæ fieret authoritate privatâ; non autem illam, quæ fieret authoritatè publicâ, ſeu per ſententiam Judicis, ritè pronuntiatam: qui ſenſus conſtat *ex capitibus* S. Scripturæ, *probat. 1.* relatis; ubi ordinantur occiſiones variorum Malefactorum, publicâ authoritate perficiendæ.

CAPUT XIV.

De Poteſtate Politica.

Nota primò: *per Poteſtatem Politicam* intelligitur quædam ſuperioritas, Principatus, ſeu dominatio eminens ſuper alios; qualis eſt in Imperatoribus, Regibus, Principibus, Provincias obtinentibus, Magiſtratum gerentibus &c.

Dico primò: etiam inter Chriſtianos licitè conſtituitur Poteſtas Politica cum Prælatione, & dominio ad reliquos de eadem communitate. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, Quakeros, Independentes Anglicos &c.

Probat *primò*: ex S. Scriptura conſtat, licitè poſſe conſtitui Politicam Poteſtatem in communitatibus Chriſtianorum; nam Matt. 22. dicit Salvator *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, approbans per hoc Cæſaream poteſtatem, quæ Principatus quidam Politicus eſt. Et ad Rom. Apoſtolus pariter ait, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, &c. *cui tributum, tributum*; Et 1 Petri 2. habetur, *Regem honorificate.* Et ad Tit. 3. *admone illos Poteſtatibus, & Principibus ſubditos eſſe.* Et 1. ad Tim. 2. vult Apoſtolus gratias agi *pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt*: Et ad Hebræ. 13. *obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*: Quibus omnibus textibus pariter Poteſtas politica tanquam licitè conſtituta inſinuatur: Ergo &c. *Secundò* in Lege veteri licitè conſtituta fuit Politica Poteſtas; utì patet ex Exodo, Libris Judicum, Regum, Paralipomenon, & Machabæorum. Imò talis à DEO ordinata eſt; unde dicitur Prov. 8. *per me Reges regnant* &c. Et ejus inſtitutio eſt bono publico ſummè neceſſaria; unde dicitur Prov. 11. *ubi non eſt gubernium populus corruet*; defectu videlicet neceſſariarum Legum, ordinationum juſtitiæ, pœnarum neceſſariarum pro Malefactoribus, malorum implantationis, aliorum inconvenientium, ſuccreſcentium ex defectu Politicæ Poteſtatis: Ergo pariter in nova Lege ex iiſdem cauſis licitè conſtituitur Politica poteſtas. *Tertiò*; Concilia Oecumenica Imperatores, & Reges reſpexêre; ac eorum præeminentiam agnoverunt tanquam licitam in Chriſtianos; ſic Concilium Nicænum Conſtantinum Imperatorem admiſit ad Conventum ſuum, atque ſubſcriptionem ejus in actis Concilii (licet ultimô locô factô) conceſſit. Sic Concilium quoque Conſtantinopolitanum Theodoſium Seniorem Cæſarem; & alia alios Imperatores ùt legitimos ſupremos Imperatores ſæculares venerata fuêre, atque eorum adjutoriô uſa pro Conciliorum felici celebratione: Ergo &c. *Quartò*: SS. PP. & Summi Pontifices quoque, etiam priſci, agnoverunt & approbârunt poteſtatem politicam in Chriſtianis tanquam licitam; utì patet ex eorum Epiſtolis ad varios Imperatores ſcriptis; quarum nonnullæ ipſi Corpori Juris Canonici inſertæ ſunt; unde Innocentius Papa III. *in Decretal. tit. de majoritate, & obedientia can. 6.* ait, *non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat, qui ab ipſo accipiunt temporalia.* Et Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperat. ſcribit (ùt refertur *diſt. 69. can. 10.*) *duo ſunt Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas Sacra Pontificum, & Regalis Poteſtas*: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Chriſtus inſinuat in Evangelio, quòd inter Chriſtianos nullus

nullus debeat eſſe Rex cum aliquâ Prælatione; unde ait, *Regnum meum non eſt de hoc mundo:* Ergo &c. *Secundò*, Chriſtus non vult ſuos fideles exercere ullum dominatum; ſed miniſterium; unde dicit ad Diſcipulos Matth. 20. *Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; ſed quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter Miniſter. Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus:* Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad textum Scripturæ objectum, dico; Chriſtum eò duntaxat voluiſſe inſinuare, ſe non veniſſe in mundum, ut exerceat dominatum ſæcularem; unde *fugit in montem ipſe ſolus* Joann. 6. quando voluerunt turbæ eum facere Regem, Venit ergo Chriſtus in mundum, ut exerceat dominatum, & Regnum ſpirituale, juxta illud pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex, ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Unde condidit etiam ſolas Leges ſpirituales in S. Evangelio contentas, juxta illud Iſa. 33. *Dominus Rex noſter, Legifer noſter. Ad Secundum* Neg. Ant. & ad illud teſtimonium Matt. 20. dico, Chriſtum per illud ſolùm voluiſſe inſtruere ſuos Diſcipulos de humilitate, & miniſterio ſectandis; & ne poteſtate, ac oſtenſione dominii, ſed officiò miniſterii majores inter ſe eſſent; eò quòd eſſent futuri Epiſcopi, & Rectores animarum quò ad ſpiritualia, ſalutem concernentia. Dictum ergo illud non dirigitur ad omnes Chriſtianos; ſed ad Apoſtolos, & eorum ſucceſſores in officio ſacerdotali.

ARTIC. Unicus.

An Politica poteſtas, & ratio dominii, ſeu Principatûs perſiſtat cum peccato mortali?

Dico primò: per peccatum mortale non amittitur Poteſtas Politica, ſuperioritas, & dominium, Principatus, ac Juriſdictio; unde Rectoribus etiam peccatô inquinatis eſt obediendum. Ita Catholici; contra Waldenſes, Pſeudo-Apoſtolos, Wiclephiſtas, & Huſſitas.

Probat. *primò*: ex S. Litteris conſtat, quoſdam Reges, etiam Ethnicos, & conſequenter peccatô mortali idololatriæ, & aliis gravibus pollutos, fuiſſe veros Reges; talis fuit Nabuchodonoſor, de quo dicit Dominus ipſe Hierem. 27. cap. *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis.* Et Daniel ad eundem Regem ait, Dan. 2. *Tu Rex Regum es, & DEUS Regnum, & fortitudinem, & Imperium, & gloriam dedit tibi:* Ergo &c. *Secundò*; S. Petrus 1. Petri 2. mandat: *ſervi ſubditi ſint in omni timore Dominis* (nota Politicam Poteſtatem) *non tantùm bonis, & modeſtis; ſed etiam diſcolis.* Et S. Paulus ad Rom. 13. docet, Poteſtatem Regum eſſe à DEO, & non diſtinguit inter Reges peccatores, & non peccatores. Item Chriſtus agnovit Cæſarem ſui temporis, etſi eſſet Paganus, pro vero Domino; unde juſſit illi dare tributum Matt. 22. Ergo perſiſtere poteſt Regia, & quæcunque alia Politica poteſtas cum peccato; & eam ſic tenentibus eſt obediendum. *Tertiò* SS. PP. agnoſcunt etiam in Regibus, & aliis gubernatoribus peccatoribus veram Poteſtatem Politicam, Dominium, ac Principatum; unde dicit Auguſt. *lib. 5. Civ. cap. 21. Dat.* (ſcilicet Deus) *fœlicitatem in Regno Cælorum ſolis piis; Regnum verò terrenum & piis, & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet:* Ergo &c. *Quartò* Concil. Conſtantienſe *ſeſſ. 8.* damnavit tanquam hæreſim decimum quintum articulum Wiclephi hujus tenoris; *nullus eſt Dominus Civilis, nullus eſt Prelatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali:* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: in S. Scriptura, leguntur multi Reges à Domino abjecti à Regno ſuo, propter ſua peccata; ùt Saul &c. Ergo &c. *Secundò*, omnis poteſtas eſt à DEO, ſecundùm Scripturam S. ſed DEUS non dat ſua dona peccatoribus: Ergo peccator nullam habet poteſtatem. Reſpondeo *ad Primum*, illos Reges peccatores non fuiſſe à DEO abjectos à Regno, quaſi nulla poteſtas ei conveniret; aut convenire poſſet: ſed quia ob peccata gravia, & multiplicia indignos ſe ſe reddebant, ad ulterius regimen Regni ſui continuandum per ſe; vel per ſuam poſteritatem. Cæterùm quam diu Saul vixit, etiam in peccatis, verus fuit Rex, & Scriptura pro tali illum agnoſcit; unde dixit ipſi David 1. Reg. 24. *non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt. Ad Secundum* Neg. Min. & ejus falſitas patet exemplo Nabuchodonoſoris, cui ùt Pagano dedit DEUS varia Regna, & poteſtatem gubernandi, quæ eſt donum DEI.

CA-

CAPUT XV.

De Martyrio.

DIco primò: potiùs Martyrium ſubeundum eſt, quàm Chriſtus negandus ore, vel corde. Ita Catholici; contra Baſilidem, & Elceſaitas, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat Chriſtum ſemper eſſe confitendum tempore perſecutionis etiam ſub pœna ſalutis perdendæ, unde dicitur Matt. 10. *omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Et ad Rom. 10. habetur, *ſi confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quòd DEUS illum excitavit à mortuis, ſalvus eris; corde enim creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: Ergo &c. *Secundò*, univerſa Eccleſia ſemper ſenſit, à quovis fideli tempore perſecutionis, faciendam eſſe Confeſſionem fidei orthodoxæ, & conſequenter Chriſti; & propterea iſtos homines, qui pro ejuſmodi Confeſſione Martyrium ſubierunt, mirificè laudat, & feſta de ipſis, ùt veris Sanctis, celebrat, & eoſdem invocat &c. ùt videre eſt in Synodo VII. *act. 7.* & apud SS. PP. utriuſque Eccleſiæ, ſignanter Chryſoſtomum, qui *hom. de S. Juventio & Maximo* dicit, *Martyres quoque, quos hodie colimus, &c.* Et Cyrillus Alex. *lib. 6. in Jul.* ubi dicit, *nos non DEOS ſanctos eſſe dicimus ſanctos Martyres; ſed omni honore dignari conſuevimus.* Et Cyprianum *lib 4. civit. 5.* ubi ait, *Martyrum paſſiones, & dies anniverſarios commemoratione celebremus*: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici; *& primò* Baſilides; dementia eſt pro confeſſione crucifixionis Chriſti aliquid pati; cùm Chriſtus nunquam fuerit Crucifixus; ſed Simon Cyrenæus, qui angariatus portavit Crucem: Ergo &c. *Secundò* ſufficit Chriſtum credere, & confiteri corde; quamvis ore negetur ad declinandam perſecutionem; DEUS enim aſpicit cor, non linguam: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam Chriſtum ipſum revera portâſſe ſuam Crucem, & in ea fuiſſe crucifixum, conſtat ex SS. quatuor Evangeliis. Et 1. Pet. 4. dicitur, *Chriſto igitur paſſo pro nobis in carne.* Et 2. ad Cor. 13. *nam etſi Crucifixus eſt ex infirmitate.* Et pſal. 21. prophetia de Crucifixione Chriſti habetur iſta, *foderunt manus meas, & pedes meos* &c. Vide de hoc *tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 5. conc. 5.* *Ad Secundum* Neg. Ant. cujus contrarium conſtat ex cit. textu Matt. 10. Deinde qui ore negat, & corde confitetur, mentitur: *os autem quod mentitur, occidit animam* Eccleſ. 28. Ergo non licet ore negare Chriſtum, quamvis quis corde retineat, & confiteatur ipſum.

Dico ſecundò: non reputatur verum ſubire Martyrium, qui ſeipſum interimit pro expiando peccato. Ita Catholici; contra Petilianum Donatiſtam, &c.

Probat. Judas Iſcariotes interemit ſeipſum laqueô, propter commiſſam traditionem ſui Magiſtri Chriſti, & quidem dolens de illo peccato; unde dicit Matth. 27. *peccavi, tradens ſanguinem juſtum*: ſed hic ſuicida non reputatur ſubiiſſe verum Martyrium: cùm communi calculo SS. PP. ideo damnatus ſit: Et conſtat ex illo vaticinio pſal. 108. *cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum; fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum ejus accipiat alter*: Ergo &c.

Objicit Petilianus: qui ſe interimit ad expiandum peccatum, punit in ſe quod commiſit; ſed hoc eſt licitum: Ergo &c. Reſpondeo Diſt. Maj. punit in ſe modô licitô, quod commiſit Neg. Maj. modô illicitô Conc. Maj. Itaque non eſt licitus modus per ſuicidium in ſe punire commiſſa peccata; cùm hoc adverſetur alto Dominio DEI, quod is habet ſolus in noſtram vitam; unde etiam dicitur, *Dominus vitæ, & necis.*

Dico tertiò: à fortiori non evadit Martyr is, qui ob aliam quamcunque cauſam, extra motivum fidei, & virtutis, mortem patitur; vel eandem ſibi infert ultroneè. Ita Catholici: contra Circumcelliones, ſeu Circuitores, variô mortis genere ſe ſe cruciantes.

Probat. *primò*: Ejuſmodi occiſio eſt prohibita à DEO: Ergo ob eam non evadit quis Martyr. Probat. Ant. Exod. 20. Et Matth. 5. habetur præceptum prohibitorium Decalog. *non occides*, quibus verbis quælibet occiſio etiam voluntaria hominis prohibetur præter illam, quæ ex ſententia Judicis in vindictam ſcelerum fit: Ergo &c. *Secundò* in nullo Concilio; nec in SS. PP. exſtat fundamentum, quô quis ſeipſum ex quavis cauſa poſſet voluntariè interimere; aut mortem voluntariam

ab alio

ab alio pati; imò SS. PP. reprobant ejuſmodi ſuicidium; ſignanter D. Auguſtinus *Tract. 51. in Joan.* ubi ait, *ſed vide ne tibi ſubrepat, ut teipſum velis interimere, quod debes odiſſe in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perverſi homines, & in ſe ipſis crudeliores, & ſceleratiores homicida, flammis ſe donant, aquis ſe præfocant, præcipitiô ſe collidunt, & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit; imò etiam diabolo præcipitium ſuggerenti reſpondit, vade retrò Sathanas* &c. Ergo &c. *Tertiò*: Omnes gentes bene inſtitutæ abhorrent à ſuicidio; uti & à voluntaria morte, ab aliis ex quacunque cauſa illata; & meritò; eſt enim contra naturalem inclinationem; unde eam etiam Chriſtus ſecundùm ſenſum humanum horrebat dicens, Matt. 26. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*; Et Apoſtolus Paulus eam impedivit Act. 16. nam cùm cuſtos carceris, in quo erant Paulus & Silas incluſi, videns apertam januam carceris, arripuiſſet gladium, volens ſe interficere, exiſtimans ipſos fugiſſe, Paulus clamavit voce magna dicens, *nihil tibi mali feceris*: &c. Ergo &c.

Quid Circumcelliones pro ſua hæreſi adducant, non reperio, niſi illud Salvatoris, *qui odit animam ſuam in hoc mundo*, &c. Ad quod reſpondeo; Salvatorem non loqui de odio, quô quis ſeipſum occideret; ſed quô ſe occidi permitteret, in teſtimonium fidei; vel de odio, quô quis abſque occiſione perſequitur peccata animæ ſuæ.

CAPUT XVI.

De Excommunicatione.

NOta primò: Excommunicatio in genere ſic bene deſcribitur, quòd *ſit pœna ſpiritualis, inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate, privans hominem baptizatum communione fidelium, per ordinem ad ſalutem.*

Dico primò: in Eccleſia reſidet poteſtas, & authoritas ferendi Excommunicationem, & alias cenſuras Eccleſiaſticas, per quoſdam determinatos Miniſtros, puta Summum Pontificem, Epiſcopos, Superiores Regulares, &c. Quæ proinde meritò à peccatoribus ſunt timendæ. Ita Catholici; contra Wiclephum, Huſſium, Lutherum, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, Apoſtolos, eorúmque Succeſſores Summos Pontifices, & Epiſcopos obtinere generalem facultatem corrigendi; & conſequenter etiam cenſuram Excommunicationis, ac alias aptas emendandi fideles, graviter delinquentes; unde dicitur Matth. 18. *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis*, &c. Deinde ibidem Eccleſiæ poteſtas circa Excommunicationem ferendam exprimitur, dum dicitur; *ſi peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, & duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum: quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus* &c. Ubi ly *ſit tibi ſicut Ethnicus* idem eſt, ac nullam cum eo habeto communionem, ſeu pro Excommunicato ab Eccleſia eum reputa; quia communio cum Ethnicis eſt Chriſtianis interdicta; 1. ad Cor. 6. ibi, *quæ pars fideli cum infideli?* Ergo &c. *Secundò* D. Paulus actu exercuit poteſtatem Eccleſiaſticam excommunicandi, quando illum inceſtuoſum Corinthum, qui cum noverca ſua coierat, tradidit Sathanæ (quod eſt Excommunicare ſecundum SS. PP.) dicens 1. ad Cor. 5. *judicavi hujuſmodi hominem tradere Sathanæ in interitum carnis*, &c. Idem fecit cum Hymenæo, & Alexandro, de quibus dicit 1. ad Tim. 1. *ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Sathanæ, ut diſcant non blaſphemare*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: Similiter Concilia priſca, & Summi Pontifices etiam veteres uſi fuêre hac poteſtate legitimâ ferendi Excommunicationes, ac alias cenſuras; ùt videre eſt in Concilio Nicæno, Conſtantinopolitano, Lateranenſi, Carthaginenſi IV. *cap. 73.* Braccarenſi I. *cap. 33.* Item in variis Epiſtolis Summorum Pontificum; ut Callixti Mart. *in E-*

piſt. ad omnes Galliæ Epiſcopos, &c. quæ in Corpore Juris Canonici paſſim referuntur. Unde meritò Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 8. damnavit illum articulum Huſſii, *nullus Prælatus debet aliquem Excommunicare*, *niſi prius ſciat eum eſſe excommunicatum à DEO*; *& qui ſic Excommunicat, eſt Hæreticus ex hoc, vel Excommunicatus.* Item illum alium, *Excommunicatio Papæ, & cujuſcunque Prælati non eſt timenda; quia eſt cenſura Antichriſti*: Ergo &c. *Quartò*: SS. quoque Patres uſum licitum Excommunicationum fulminatarum referunt, & quidam eorum eaſdem fulminârunt; ut videre eſt apud Hieronymum *in Comment. ſuper Matth.* Et Urbanum Papam Mart. *in Epiſt. de Com. vit. & oblat. fidel.* Et S. Leonem I. Papam *Epiſt. 67.* Et Auguſtinum *lib. de verb. Apoſt. ſerm. 68.* Et Originem *hom. 2. ſupra lib. Judic.* Et Ambroſium, qui; uti refertur *lib. 9. hiſtor. tripart. cap. 3.* Theodoſium Imperat. ob crudelem, & impiam cædem Theſſalonicæ factam excommunicavit, ac ab ingreſſu Eccleſiæ per 8. menſes prohibuit, quouſque pœnituiſſet: Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum in meris impiis Scommatibus conſiſtunt; quare eadem facilitate, quâ aſſeruntur, contemnendæ ſunt, nec ad eas replicandum.

LIBER

Digitized by Google

LIBER VII.

Continens Controverſias de Juramentis; Purgatorio; Limbo PP. Inferno; Reſurrectione generali; Judicio univerſali; Funeribus, & Sepulturis; Protoparentibus; Anima rationalis; Angelis; Apoſtolis; Prophetis; Virginitate; Reſtitutione, & Votis.

CAPUT I.
DE JURAMENTIS; ET PERJURIIS.

ARTICULUS I.
An licita ſint Juramenta?

NOta primò: bene deſcribitur Juramentum, quòd *ſit invocatio Divini Numinis tanquam teſtis aſſertæ veritatis, vel firmata promiſſionis.* Hoc ſemper expreſsè, vel ſaltem implicitè fieti debet per DEUM; & aliter factum, eſt nullum; nam dicitur Deut. 6. *Dominum DEUM tuum timebis, & illi ſoli ſervies, & per nomen illius jurabis.* Cenſetur autem tunc ſaltem implicitè fieri per DEUM, quando juratur, per creaturas, ùt Cœlum & terram, Evangelia, Sanctos &c. Non quomodocunque conſideratas, ſed quatenus in DEUM relatas, & repræſentantes ſpeciali modo Numen, ſeu continentes Divinam Potentiam; vel quibus DEUM ſpeciali modo aſſiſtit, tale eſt Juramentum Moyſis Deut. 4. *teſtes invoco hodie Cœlum, & terram.*

Dico primò: Licitum eſt Chriſtianis, Juramentum facere. Ita Catholici; contra Waldenſes, Meſſalianos, Catharos, Pſeudo-Apoſtolos, Wiclephiſtas, Anabaptiſtas, &c.

Probat. *primò*: Licitum erat in veteri Lege facere Juramenta; unde dicitur Deut. 6. *Dominum DEUM tuum adorabis &c. & per nomen ipſius jurabis.* Et Moyſes actu juravit, Deut. 4. dicens, *teſtes invoco hodie Cœlum, & terram*, &c. Et Abraham juravit Abimelech fœdus ineundo Gen. 21. Ergò etiam in Lege nova Chriſtianis eſt licitum facere Juramenta. *Secundò*: Paulus jam Chriſtianus actu ſæpiùs Juramentum fecit, dicendo ad Rom. 1. *teſtis eſt mihi DEUS, quòd memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.* Et 2. ad Cor. 1. *teſtis eſt mihi DEUS, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus JESU Chriſti.* Idem fecit ad Philipp. 1. Et 1. ad Tim. 5. Et alibi: Ergo &c. *Tertiò*: SS. Concilia Oecumenica quandoque approbant Juramenta legitimè facta; unde Concil. Epheſinum tale exegit à Neſtorio Hæreſiarcha. Et Concil. Conſtantienſe *ſeſſ.* 8. contrariam doctrinam illam Wiclephi damnat, *Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & commercia civilia*: Ergo &c. *Quartò* SS. PP. aſſerunt Juramenta Chriſtianis eſſe permiſſa, ùt videre eſt apud Auguſtinum, Chròmatium, Bedam, Rupertum, Bernardum, &c. Ergo &c. *Quintò* laudabilis conſuetudo, & praxis omnium populorum Chriſtianorum bene inſtitutorum obtinuit, ut Juramenta in certis caſibus permittantur, maximè in tribunalibus, & commerciis ac negotiis. Et meritò, quia ibi ſumma eſt eorum utilitas; nam timore Divini Numinis invocati, & in teſtem occultiſſimum, & omniſcium adducti, veritas panditur, fides ſervatur, fœdera inita ſanctiùs manutenentur, ac calumniarum machinæ impediuntur: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Chriſtus in nova Lege Chriſtianis prohibuit omne Ju-

ramentum; nam dicit Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per Cœlum, qui Thronus DEI eſt; neque per terram, quia Scabellum eſt pedum ejus*, &c. *Secundò cit. cap.* Matth. dicit ruſus Chriſtus, *ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non; quod autem abundantiùs his eſt, à malo eſt*: Juramentum autem quid abundantiùs continet, quàm ſolas illas affirmativas, & negativas particulas: Ergo &c. *Tertiò*: Jacob. 5. habetur, *ante omnia autem Patres mei nolite jurare, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque Juramentum*; &c. Ergo &c. *Quartò* SS. PP. S. Hieronymus, & Theophilactus *in cap.* 5. Matth. ſentiunt, Chriſtianis non licere jurare: idem videtur docere Hilarius, & Chryſoſtomus *in idem cap.* Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad teſtimonium Scripturæ Matth. 5. dico, Chriſtum duntaxat prohibere Juramenta illa ſpecifica, quæ fierent per creaturas in *eodem cap.* ſpecificatas; videlicet per Cœlum, terram, &c. Nè Chriſtiani more antiquo jurantes per talia elementa, deflecterent ſenſim in idololatriam, eadem ſucceſſu temporis venerantes tanquam Numina quædam; aut nè plus debito illa diligerent; uti obſervant SS. PP. Hieronymus, Theophilactus, & Chromatius in commentario in *idem cap. 5. Matt.* Cum quo ſtat, quòd licitum ſit jurare per DEUM ipſum; uti annotavit idem S. Hieronymus *in eod. cap.* Et patet ex facto Pauli actu jurantis per DEUM; & refertur. *Probat.* 2. *Ad Secundum*; & *Tertium* dico; illis textibus Scripturæ Matt. 5. Et Jacob. 5. ſolùm prohiberi conſuetudinem, & facilitatem in faciendis Juramentis, ne videlicet ſtatim ex quacunque cauſa, & ſemper ac indifferenter fiant; juxta doctrinam Eccleſ. 23. *jurationi ne aſſueſcat os tuum.* Et ita exponit iſta loca Scripturæ S. Auguſtinus *lib. de mendacio cap.* 20. Eodem modo poſſet gloſſari textus primæ Objectionis. *Ad Quartum* dico; S. Hieronymum, & Theophilactum *in Comment. ſupra cap. 5. Matth.* ſtare pro doctrina concluſionis; vel ſi oppoſitum revera teneant; intelligendi ſunt tantùm de Juramentis inutilibus, perfunctoriis, & nimia facilitate prolatis.

ARTICULUS II.

An licita ſint aliquando Perjuria?

Dico primò: non eſt licitum unquam facere Perjurium etiam ad occultandam ſuam doctrinam; vel ſecreta quæcunque. Ita Catholici; contra Priſcillianiſtas, Apoſtolicos, Flagellantes, Machiavelliſtas, &c.

Probat. *primò*: in S. Litteris eſt ſimpliciter prohibitum Perjurium; unde dicitur Levit. 19. *non pejurabis in nomine meo; nec pollues nomen DEI tui*, quod fit emittendo Perjurium. Et inter gravia peccata Gentilium Sapiens etiam recenſet Perjurium, dicens Sap. 4. *Omnia commixta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & Perjurium*, &c. Ergo &c. *Secundò*; Perjuriò committitur graviſſima irreverentia circa DEUM; utpote, qui teſtis falſitatis adducitur; cùm tamen ſit ſummè verax, & ipſa veritas: Ergo &c. *Tertiò*: Perjurium continet mendacium: mendacium autem eſt illicitum, & peccatum; nam de eo dicitur, Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*, Pſal. 5. *perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et Eccleſ. 17. *noli velle mentiri omne mendacium*: Ergo Perjurium non eſt unquam licitum. *Quartò* SS. PP. execrantur omne Perjurium; ſignanter D. Auguſtinus, qui *ſerm. 28. de verb. Apoſt. cap. 2.* ait, *da alium, quod ſcis falſum eſſe, & dicit verum eſſe, & jurat tanquam verum ſit, quod ſcit falſum eſſe: videtis, quàm iſta deteſtanda ſit bellua, & de rebus humanis exterminanda*: Ergo &c.

Probat. *quintò*: cauſa, quam Priſcillianiſtæ, & Flagellantes allegant pro ſuo dogmate erroneo, planè non ſubſiſtit: dicunt enim licitum eſſe pejerare ſuis ſectatoribus, ne aliis reveletur doctrina eorum: quæro autem ab eis, an doctrina eorum ſit conformis S. Evangelio; vel difformis? ſi eſt difformis, eô ipsô convincitur hæreſis, & damnationis: ſi eſt conformis; certè rationabiliter non eſt occultanda; cum Chriſtus ipſe dicat de Evangelica doctrina Matth. 10. *quod dico in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Et de eadem doctrina ubique prædicanda dicit Matth. *ult. euntes in univerſum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ*; adeoque non ſolùm Priſcillianiſtis, non ſolùm Flagellantibus. Et propterea etiam dixit Paulus 1. ad Cor. 4. *Si opertum eſt Evangelium meum, in his, qui pereunt,*

eſt opertum: pereunt ergo Hæretici iſti, qui ſuum Evangelium occultare volunt.

Objectiones Hæreticorum conſiſtunt in ſolo arbitrio eorum, non fundato in aliquo S. Scripturæ textu, præterquam illo Matt. 7. *neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos*: nam hoc ſic intelligendum eſt; quòd doctrina Evangelica, & myſteria fidei non ſint communicanda infidelibus induratis, de quibus certò ſcitur, quòd ea omnino contemnent, explodent, profanabunt, & ea prædicantes inſtar porcorum ferocium conculcabunt, ſinè ullo fructu converſionis. Vel intelligitur in ſpecie de Sacramentis Eccleſiæ, non exhibendis infidelibus; puta de Euchariſtia, &c.

CAPUT II.
De Purgatorio.

ARTICULUS I.
An revera extet Purgatorium?

Nota *primò*: nomine *Purgatorii* Catholici intelligunt (& ſit deſcriptio ejus) *locum aliquem ſpecialem, realem, in quo velut carcere animæ decedentes vel cum culpis venialibus, necdum expiatis; vel cum onere ſolvendi pœnas temporales, quæ pro peccatis mortalibus, vel venialibus jam dimiſſis debebantur, detinentur, ac purgantur uſque ad tempus definitum; quò elapſo transferuntur ad Beatitudinem cæleſtem.*

Dico primò: extat omnino Purgatorium reale, tanquam locus pœnarum temporalium, à quibuſdam animabus ſeparatis exolvendarum, juxta æquiſſimam DEI ordinationem. Ita Catholici; contra Arianos, Petrobuſianos, Waldenſes, plures Schiſmaticos Græcos, Rhutenos præſertim, Apoſtolicos, Wiclephiſtas, Lutheranos, Calviniſtas, Confeſſionem Anglicanam, &c.

Probat. *primò*: ex variis S. Scripturæ textibus colligitur, dari reale Purgatorium; & *primò*: ex Iſa. 4. *cap.* ubi dicitur, *purgabit Dominus ſordes filiorum, & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum Spiritu judicii, & Spiritu combuſtionis*: quem locum de Purgatorio intellixit S. Auguſtinus *20. de Civ. cap. 29. Secundò* ex Zach. 9. ubi dicitur, *tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*; ſcilicet refrigerii. *Tertiò*: ex Malach. 3. ubi dicitur, *ipſe ſedebit quaſi ignis conflans, & purgabit filios Levi*; quem locum de Purgatorio accipiunt Origenes, Ambroſius, Auguſtinus, & Hieronymus, in hunc locum commentaria formantes. *Quartò: ex 2. Machab. cap. 12.* ubi dicitur, *ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis ſolvantur*: ex quo textu habetur, dari aliquos defunctos, ſeu animas jam à corpore ſeparatas, quibus prodeſſe poteſt oratio in ordine ad ſolutionem à peccatis, ſed hi non ſunt alii, quàm defuncti, ſeu animæ ſeparatæ exiſtentes in Purgatorio aliquo; hi enim poſſunt ſolvi; non verò damnati; neque Beati, qui ligati non ſunt: Ergo extat Purgatorium.

Secundò: favet eidem concluſioni Catholicæ ille paſſus Matt. 12. *qui autem dixerit* (ſubintellige verbum blaſphemiæ) *in Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*: ex qua ſententia colligunt SS. PP. dari quædam peccata, quæ in altero ſæculo remittuntur virtute orationum, & ſuffragiorum Eccleſiæ militantis; uti exponit D. Auguſtinus *lib. 6. contra Julian. cap. 15.* Et *lib. 21. de civit. cap. 14.* Et S. Gregorius *lib. 4. Dialog. cap. 39.* Et S. Bernardus *hom. 66. in Cantica.* Et Ambroſius, Iſidorus, Fulgentius, Beda, &c. Ergo etiam datur locus, in quo exiſtunt illi, quorum peccata in futuro ſæculo remittuntur: ſed hic eſt Purgatorium: Ergo extat Purgatorium.

Tertiò: Favet eidem doctrinæ de exiſtentia Purgatorii veri ille locus 1. ad Cor. 3. quo etiam utitur Scotus 4. *diſt. 21. q. 1. Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fænum, ſtipulam, &c. Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, & igne probabitur; ſi enim opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet; ſi autem arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem*: quem locum SS. PP. (quos refert Faber famoſus Theologus) pariter exponunt de Purgatorio dicendo, quòd per aurum, argentum, & lapides pretioſos ſignificentur opera Juſtorum, quæ mercedem ſtatim accipient factâ ſeparatione animæ à corpore; ſuppoſitô quòd non adſit aliqua culpa venialis, non expiata; nec obligatio ſolvendi pœnas aliquas temporales; per lignum verò, ſtipulam, & fænum ſignantur opera peccaminoſa venialia necdum ex-

piata; quæ cremanda ſunt, id eſt punienda, & purganda in loco Purgatorii; quô factô is, qui talia opera commiſerat, ſalvus quoque erit; *ſic tamen quaſi per ignem*, ſubintellige Purgatorii: Ergo extat Purgatorium exurens opera peccaminoſa pœnas varias temporales. Complura alia teſtimonia S. Scripturæ vide apud Dogmaticos DD. ſignanter noſtrũ P. Wettweis, P. Brancatum, P. Hocquardum, Bellarminum, Coccium, Bontempum, &c.

Probat. *ſecundò* concluſio authoritate Eccleſiæ; & CC. Purgatorium dogmatizantium: ſic enim docet uſus antiquiſſimarum Lyturgiarum, ab Eccleſia approbatarum; puta D. Jacobi; D. Marci; S. Baſilii; & Miſſale Romanum, quod creditur eſſe D. Petri; & habetur etiam *tom. 6. Bibliot. PP.* in quibus extant certæ orationes, pro liberatione animarum Purgatorii ordinatæ. Sic quoque dogmatizat Concilium Carthag. III. *cap. 29.* Et Braccarenſe I. *cap. 39.* Et Aurelianum II. *cap. 14.* Et Valentinum, Toletanum, Nicænum, Cabilonenſe, Triburtinum *ſeſſ. 24. in decreto de Purgatorio*: ex quibus etſi nonnulla haud utantur hac voce *Purgatorii*; adſtruunt tamen dari locum talem, ubi orationibus, & ſuffragiis animæ defunctorum poſſunt juvari; quæ proinde ad ejuſmodi officium conſtituunt, & mandant practicari in Eccleſia: Ergo extat Purgatorium.

Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. communi conſenſu docentium, pro defunctis eſſe orandum, ex quo conſequenter cenſent defunctos eſſe capaces adjutorii, & exiſtere in loco, ubi tormentantur variis pœnis, & purgantur, qui eſt Purgatorium; ſic ſentit S. Dionyſius *de Eccleſiaſt. hier. cap. 7.* Et S. Baſilius *in Liturgia.* Et S. Epiphanius in fine operis *contra hæreſes, hær. 75.* Et S. Ambroſius *lib. 2. quæſt. 8. ad Fauſt.* Et S. Chryſoſtomus *hom. 41 in epiſt. 1. ad Cor.* Et S. Cyrillus Hieroſolym. *Catech. 5.* Et S. Gregorius *lib. 4. Dialog. cap. 55.* Et Nyſſenus *orat. pro mortuis* circa medium. Et S. Auguſtinus *in Pſal. 37.* apertis terminis exiſtentiam Purgatorii adſtruit dicens, *in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam Emundatorio* (idem eſt, quod Purgatoriô) *igne non opus eſt.* Et *lib. 2. contra Manich. cap. 20.* ait, *qui agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ, & poſt hanc vitam habebit vel Purgatorium ignem; vel pœnam æternam*: Ergo extat Purgatorium.

Probat. *quartò* ratione Theologica: ſi contingat aliquam animam ſeparari per mortem hominis à corpore ante expiationem venialium culparum, aut ante perſolutionem pœnarum temporalium, in quas commutata fuit æterna pœna mortali peccato debita; talis anima non evolat in Cœlum; cùm ſit coinquinata, vel ligata obligatione ad perſolutionem pœnarum quarundam temporalium; & *nil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum* Apoc. 21. Neque incarceratus egredietur carcerem, quouſque ſolvat noviſſimum quadrantem, Matth. 5. Similiter talis anima non detruditur ad infernum; quia eum non demeruit; & quia DEUS juſtus eſt, qui neminem niſi ob demerita inferno includit: Ergo talis anima transfertur ad tertium locum, Purgatorium dictum: Ergo extat Purgatorium.

Probat. *quintò*: exemplis authenticis animarum ex Purgatorio comparentium; plura namque ſimilia referunt veridici Scriptores, omni exceptione majores; & SS. PP. ſignanter S. Gregorius Mag. *4. Dialog. cap. 40. & 55.* Et Gregorius Turon. *lib. de glor. confeſſ. cap. 5.* Et *lib. 3. hiſt. Anglor. cap. 19.* Et Guilielmus Abbas, Vincentius &c. Ergo extat horum, & ipſiusmet veritatis teſtimoniô Purgatorium

Objiciunt Hæretici *primò*: Eccleſ. 11. dicitur; duos eſſe duntaxat ſtatus, in quibus homines poſt mortem collocantur, nam *ſi ceciderit* (inquit S. textus) *ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem ubicunque ceciderit, ibi erit*: Ergo non debet adſtrui tertius locus Purgatorii. *Secundò*: Matth. 25. pariter aſſignatur ſolus ſtatus beatorum, & damnatorum illis verbis, *ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam. Tertiò*; S. Auguſtinus fuit dubius de Purgatorio *in Enchrid. cap. 86.* Et *lib. 21. de civit. cap. 26.* Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*, & *Secundum*: ex his, & ſimilibus authoritatibus Scripturæ ſolùm conſtare, quòd ſint duo ſtatus, ultimi hominum; & duo loca ultima, in quibus ultimatè, & perpetuò homines collocabuntur poſt univerſale Judicium; gloriam ſcilicet & gehennam. Cum quo tamen ſtat, quòd detur locus tertius ante univerſale Judicium, in quo ad tempus collocantur maculati venialibus, & debitores pœnarum temporalium; utì rectè obſervavit Sixtus, Papa *epiſt. ad malos Doctores* ſcribens, *ego in Scriptura duo tantùm loca invenio, Regni, & gehennæ; hoc eſt vitæ, & mortis; Purgatorium ſemper excipio, in quo ad tempus piorum animæ corporibus ſolutæ expiantur. Ad Tertium* dico; S. Auguſtinum *locis citatis* dubitare duntaxat de modo purgationis, an nimirum quædam animæ in Purgatorio purgentur eô modô à vitioſis affectibus, cum quibus diſceſſerunt, quô purgantur multi in hoc mundo, igne videlicet tribulationis ab amore Sæcularium: nam hic

S. Doctor

S. Doctor expreſſè alibi adſtruit exiſtentiam Purgatorii realis; ut ſuprà eundem allegavi *probat.* 3.

ARTICULUS II.

An animæ Purgatorii poſſint aliquid mereri, vel demereri?

DIco primò: animæ in Purgatorio exiſtentes ſunt extra ſtatum merendi & demerendi. Ita Catholici; contra Lutherum, qui ab initio ſuæ apoſtaſiæ, dum adhuc crederet Purgatorium, docuit animas ibi detentas continuò demereri, & peccare fugiendo, ac horrendo pœnas ejus.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, poſt mortem non eſſe ampliùs locum bonis operibus; unde dicitur, Eccleſ. 11. *ante obitum tuum operare juſtitiam; quia non eſt apud inferos reperire cibum*; hoc eſt ſalutaria opera; uti gloſſant SS. PP. Et Joan. 9. dicitur, *me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt; veniet nox, in qua nemo poteſt operari*; quem textum expendens S. Auguſtinus *tract.* 64. *in Joan.* dicit, per *noctem* ſignificari illud tempus, quod ſubſequitur mortem, in quo nemo poteſt ampliùs mereri, vel demereri. Et Eccleſ. 9. dicitur, *quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia neque opus, neque ratio, neque ſapientia, neque ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Et Eccleſ. 11. dicitur, *ſi ceciderit lignum ad Auſtrum, aut Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*: quem textum SS. PP. intelligunt de homine, qui per mortem cecidit, & ampliùs non poteſt operari; ſed jacet in ſuo ſtatu ſine merito, & demerito: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: DEUS ordinavit ſtatum merendi, & demerendi eſſe ſtatum viæ; uti patet ex illo 2. ad Cor. 5. *omnes nos, manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis* (nota ſtatum conjunctionis animæ cum corpore, ſeu viæ) *ſicut geſſit, ſive bonum, ſive malum*: Ergo animæ in Purgatorio, tanquam jam exiſtentes extra ſtatum viæ, ſunt extra ſtatum merendi, & demerendi. Accedit contra Lutherum; quòd ſuppoſitis continuis peccatis novis animarum in Purgatorio, non ſit unquam futurus finis Purgatorii; quia ſemper fient nova, & nova peccata ſecundùm ipſum, quæ egent purgatione: ſed erit aliquando finis Purgatorii: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: SS. PP. paſſim docent, hominem in altera vita non poſſe amplius operari meritorè; uti Chryſoſtomus *in comment. ſuper cap.* 9. *Joan.* Et Hieronymus *in eodem comment.* Et Origenes *in expoſit.* Pſal. 36. Et Theophilactus *in cap.* 6. *ad Gal.* Et Auguſtinus *in idem cap.* Ergo &c.

Objicit Lutherus *primò*: Eccleſia orat in Miſſa pro animabus Purgatorii, *ne abſorbeat eas Tartarus; ne cadant in obſcurum*: Ergo ſupponit eas poſſe adhuc peccare, & abſorberi ab inferno; & præſumendum, quòd peccent fugiendo ejus pœnas à DEO decretas. *Secundò*: animæ illæ habent adhuc voluntatem liberam: Ergo peccant.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. Eccleſia enim in illa Oratione Miſſæ tantùm orat, ut liberentur animæ Purgatorii à pœnis ejuſdem, & ampliùs ibidem non torqueantur a Tartareis ejus pœnis; unde nomine *Tartari* ibi intelligitur Purgatorium, quod quo ad pœnarum acerbitatem Tartaro, ſeu inferno aſſimilatur. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam ad peccatum ponendum non ſufficit ſolum liberum arbitrium, ſeu libertas voluntatis; ſed requiritur etiam ſtatus proportionatus; qualis non eſt ſtatus animarum in Purgatorio, utpote meriti, & demeriti incapax; uti patet *ex probationibus Concluſionis.*

ARTICULUS III.

Utrum animæ Purgatorii ſint ſecuræ de ſua ſalute.

DIco primò: animæ in Purgatorii pœnis conſtitutæ ſunt omninò ſecuræ, & certæ de ſua ſalute æterna aliquando conſequenda. Ita Catholici; contra Lutherum, etſi jam Hæreticum, pœnas tamen Purgatorii adhuc ad tempus admittentem, & ejus ſequaces.

Probat. *primò*: animæ in Purgatorii pœnis exiſtentes ſciunt, & credunt illam promiſſionem S. Scripturæ de æterna ſalute conſequenda Matth. 10. *qui autem perſeveraverit uſque in finem* (ſcilicet in confeſſione, & amicitia ſeu charitate Chriſti) *hic ſalvus erit*: & aliunde etiam ſciunt ſe perſeveràſſe in confeſſione & charitate Chriſti; cùm in gratia diſceſſerint, & actu damnatæ non ſint poſt mortem: Ergo omnino ſecuræ ſunt de ſua ſalute æterna conſequenda. *Secundò*: ſimiliter eædem animæ ſciunt, & credunt illum textum 1. ad Cor. 3. de anima in Purgatorio conſtituta loquentem; *ſi quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam* &c. *uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, & igne probabitur; ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit,* mercedem

Digitized by Google

mercedem accipiet; ſi autem arſerit detrimentum patietur ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem: Ergo ſtante tali ſuâ ſcientiâ certæ ſunt de ſua ſalute conſequenda. *Tertiò* animæ in Purgatorio exiſtentes ſubeunt ante ſuam eo incluſionem, privatum judicium Filii Divini immediatè poſt receſſum à corporibus, juxta illud Joan. 5. *neque enim Pater judicat quemquam; ſed omne judicium dedit filio:* Ex ſententia autem talis judicii privati cognoſcunt, ſe poſt ſatis paſſionem è Purgatorio eſſe elevandas, ac ad hæreditatem Chriſti in cœlis transferendas; cùm in charitate DEI deceſſerint; charitas autem ad Rom. 8. eſt *quoddam pignus Spiritûs, & arrha quadam felicitatis æterna, per quam Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus filii DEI; quod ſi filii, & heredes; heredes quidem DEI, cohæredes autem Chriſti:* Ergo tales animæ ſunt omnino ſecuræ de ſua ſalute æterna aliquando conſequenda.

Objicit Lutherus illud dictum Eccleſiæ, quod in Miſſa defunctorum recitatur, *à porta inferi erue Domine animas eorum*: ſed ſi animæ defunctorum in Purgatorio eſſent ſecuræ de ſua ſalute conſequenda aliquando, ſupervacaneum eſſet ſic orare pro ipſis, ut eruantur inde: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Min. nam Eccleſia illô dictô Miſſæ tantùm orat, ut acceleretur talium animarum eructio à porta inferi; id eſt Purgatorii, quod *inferi*, ſeu *inferni* nomine aliquando ſignificatur propter vicinitatem, & ſimilitatem pœnarum, quam habet Purgatorium cum Inferno, loco damnatorum. Plures reſolutiones Purgatorium concernentes, vide *in Schola mea Theologica Tom. 2. tract. 9. diſt. 2.*

CAPUT III.
De Limbo Patrum.

NOta primò: per *Limbū Patrum* intelligunt Catholici (& ſit ejus deſcriptio) *locum aliquem in viſceribus terræ ſitum, in quem ante Chriſti redemptionem exhibitam transferebantur animæ juſtorum Patrum priſcorum, & alia jam depurgata ab Originali peccato, atque actualibus culpis; & ibidem præſtolabantur beatitudinem, poſt Chriſti Paſſionem conſequendam.* Hic locus vocatur etiam in Scriptura *Sinus Abrahæ*; eò quòd eſſet locus quietis omnium juſtorum deſcendentium ab Abraham. Item nominatur *infernus*, ſeu *inferus*; non quòd ſit infernus aliquis damnatorum; ſed quia erat quoddam ſubterraneum receptaculum, in inferioribus terræ partibus ſitum propè Purgatorium. Uti paulò ante *cap. 2.* dictum eſt. Dicitur etiam *Limbus Patrum* à ſuis inhabitatoribus S. Patribus; utì docent Catholici DD.

Dico primò: Olim dabatur *Limbus Patrum*, inquo animæ juſtorum veterum Patrum, & aliæ purgatæ, ante aſcenſionem Domini manſerunt exſpectantes beatitudinem. Ita Catholici; contra Calvinum, &c.

Probat. primò: ex S. Litteris conſtat, ante Chriſti Aſcenſionem in cœlos (qui primus hominum eò penetravit, & januas cœlorum aliis aperuit, tanquam Primogenitus Electorum) extitiſſe locum animarum juſtarum purgatarum, exſpectantium redemptionem Iſraël, & beatitudinem; unde dicit S. Patriarcha Jacob. Gen 37. *deſcendam ad filium meum in infernum*; non damnatorum; cùm eſſet juſtus: Ergo ad juſtorum aliquod receptaculum, ſeu Limbum PP. Item anima Samuelis 1. Reg. *cap.* 29. Et Eccleſ. 46. narratur de terra aſcendiſſe; utique ex conſortio aliorum Patrum; ac proinde prius fuiſſe in loco ſubterraneo, qui Limbus Patrum dicitur. Et Luc. 16. Dives Epulo vidit animam Lazari in Sinu Abrahæ, qui idem eſt, quod Limbus Patrum. Et 1. Pet. 3. dicitur, *& his, qui in carcere.* (Syrus legit *Baſciul*, id eſt *inferno*) *erant, ſpiritibus veniens* (ſcilicet Chriſtus poſt mortem ſuam) *prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exſpectabant DEI patientiam in diebus Noe*: quæ prædicatio utique ad animas juſtas inferorum, ſeu Limbi PP. directa fuit, utpote quibus ſolis, & non damnatis afferre potuit utilitatem, & conſolationem: Ergo &c.

Probat. *ſecundò* Limbum PP. etiam probat ille articulus Symboli Apoſtolici; *deſcendit ad inferos.* Et illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primitus in inferiores partes terræ.* Et Eccleſ 24. *penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*; nam ad locum inferni ſeu inferiores partes damnatorum non erat congruum ut deſcenderet: adeoque deſcendit ad inferos illos, ſeu inferiores illas partes terræ, qui Limbus PP. dicitur. *Tertiò*,

eundem

eundem Limbum aſſerunt SS.PP. ſignanter Auguſtinus, Chryſoſtomus, Athanaſius, Hieronymus, Gregorius, Ignatius *epiſt. ad Trallian.* Juſtinus Mart. *in dial. cum Tryphone*, Clemens *lib. 6. ſtrom.* Baſilius *in pſal. 14.*

Objectiones Calvini ſunt ſolum erroneum dogma ejuſdem, in nulla Scriptura, vel S. Patre fundatum.

CAPUT IV.

De Inferno.

ARTICULUS I.

An extet Infernus, qui ſit locus realis?

NOta primò: nomine *Inferni* intelligitur (& ſit ejus quoque deſcriptio) *aliquis locus realis, in viſceribus terræ, in quo Divinô decretô detinentur perpetuò quot quot damnantur ſive de Angelis, ſive de hominibus, & ibi perpetuis pœnis affliguntur.*

Dico primò: extat Infernus locus realis. Ita Catholici; contra Almaricum, Albanenſes, Roſuik, Lutherum, Calvinum, &c. quorum primi tres negant extare Infernum; alii verò negant eum eſſe locum realem.

Probat. *primò*: ex S. Litteris conſtat, extare Infernum, qui ſit verus, & realis quidam locus; unde dicitur Num. 13. *deſcenderuntq́; vivi* (ſcilicet Dathan, & Abiron) *in Infernum*, qui utique erat locus realis, utpote ad quem eorum fiebat deſcenſus realis. Et Job 17. dicitur, *ſi ſuſtinuero Infernus domus mea eſt*; nomine autem *domûs* venit locus realis. Et pſal. 93. dicitur, *niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minùs* (hoc eſt propemodum) *habitâſſet in Inferno anima mea.* Et Job. 21. *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt.* Et pſal. 18. *erubeſcant impii & deducantur in Infernum.* Et Luc. 16. *mortuus eſt Dives, & ſepultus eſt in Inferno*; ſepulchrum autem eſt locus realis. Et ibidem *verſ.* 28. dicitur; *habeo quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant, in hunc locum tormentorum*: qui & plures alii textus teſtantur, exiſtentiam, & realitatem Inferni; Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: exiſtentiam quoque, & realitatem ejuſdem Inferni aſſerunt Concilia, ſignanter Florentinum, quod *in Litt. Union.* dogmatizat *animas impiorum mox in Infernum deſcendere* Idem faciunt SS. PP. ſpecialiter Auguſtinus *lib. 21. de Civit.* Et in pſ. 49. Et in pſ. 51. Et S. Gregorius, Hieronymus, Ambroſius, Fulgentius, Origenes &c. Ergo &c. Et ratio idem ſvadet; nam cùm quædam animæ in gratia decedentes includantur Purgatorio pro ſolutione pœnarum temporalium; ſanè Divinæ Juſtitiæ ordo poſcit, ut illæ aliæ animæ in diſgratia DEI, & peccato mortali decedentes, includantur Inferno reali, puniendæ æternaliter.

Objectiones Hæreticorum, ſunt mera placita eorum privata, nulli innixa fundamento.

ARTICULUS II.

Quales ſint Inferni pœnæ?

DIco primò: pœnæ, quas patiuntur damnati in Inferno, non ſunt nudus terror, & anxietas conſcientiæ, recogitantis DEUM ſibi iratum, atque infeſtum; ſed ſunt combuſtio in ſtagno ignis, & ſulphuris, item nivis, frigoris, caloris, & ſimilium aliarum cauſarum extrinſecarum tormenta. Ita Catholici; contra Calvinum, Lutherum, Bezam, ac alios eorum ſequaces.

Probat. *primò*: S. Scriptura differens de pœnis Inferni, non ſolum terrorem, & anxietatem, ſeu vermem conſcientiæ commemorat; verùm etiam tormenta ignis, ſulphuris, nivis, frigoris, &c. Unde dicitur Iſai. 30. *Præparata eſt ab heri Tophet profunda, & dilatata, nutrimenta ejus ignis, & ligna multa, flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eam.* Et Iſai. 33. *quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis.* Et Judith. 26. *dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum.* Et Matth. 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.* Et Matth. 13. *Mittet eos in caminum ignis.* Et Marci 9. *in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Et Matth. 25. *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt*, &c. Et Luc

16. *crucior in hac flamma.* Et Apoc. 14. *cruciabitur igne, & ſulphure, &c. & fumus tormentorum aſcendet in ſecula ſeculorum.* Cap. 20. *Et diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris,* &c. Et Cap. 21. *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Et Judæ. *verſ 7. Sicut Sodoma, & Ghomorrha, & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Et Job. 24. aſſeritur tormentum nivium, ibi *de aquis nivium tranſibunt ad calorem nimium.* Et in S. Evangelio dicitur de loco Inferni, quòd ibi erit *ſtridor dentium*, ſolitus provenire à frigore. Et Matth 8. habetur tormentum tenebrarum, ibi *ejicientur in tenebras exteriores:* Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: Similiter SS. PP. præter terrorem, & vermem conſcientiæ allegant varias alias pœnas, & moleſtias ſolitas inferri damnatis in Inferno; unde Auguſtinus *lib. de tripl. habitu. cap.* 1. ait, *locus Inferni plenus eſt tenebrarum, diſcordiæ, odii, ſtultitiæ, miſeriæ, turpitudinis, amaritudinis, offenſionis, doloris, aduſtionis, ſitis, famis, ignis inextinguibilis, triſtitiæ, vindicta perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari poteſt.* Et S. Gregorius *4. dialog. cap. 28.* dicit, *ſicut Electos beatitudo lætificat; ita credi neceſſe eſt, quòd die exitûs ſui ignis reprobos exurat:* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: omnes præfati S. Scripturæ paſſus intelligi poſſunt de igne, ſulphure, nivibus, & frigore, metaphoricè acceptis; ſcilicet de tortura malæ conſcientiæ, ad inſtar ignis intentionaliter urentis: & hic intellectus Scripturæ pro conſolatione illarum miſerarum animarum aſtruendus eſt, ut ſaltem aliquô modô ſublevatæ ſint in corpore: Ergo &c. *Secundò*, ignis, ſulphur &c. nequeunt agere in animas, utpote ſpirituales; & conſequenter nec eas tormentare: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam textus allati apertè nimis loquuntur de reali actione ignis in animas damnatorum; unde SS. PP. etiam priſci eos intellexerunt in ſenſu litterali de pœnalitate reali ignis, ac ſulphuris realis; ùt videre eſt apud Origenem *lib. 2. Periar. cap. 11.* Et apud Auguſtinum ſuper Matth. 25. *cap.* dicentem, *dicamus quamvis miris, veris tamen modis Spiritus incorporeos pœnâ ignis infernalis affligi.* Et Gregorium *4. dialog. cap. 30.* ſcribentem, *ſi diabolus ejuſq; Angeli, cùm ſint incorporei, corporeo ſunt igne cruciandi; quid mirum, ſi animæ antequam recipiant corpora, poſſint corporea ſentire tormenta?* *Ad Secundum* Neg. Ant. cujus contrarium patet ex mox citatis Patribus, Auguſtino, & Gregorio: & quia DEUS ſuâ omnipotentiâ ita diſpoſuit illum ignem inferalem, ac ſulphur, ut in animas agere valeant.

ARTICULUS III.

An pænæ damnatorum in Inferno ſint futuræ perpetuæ?

DIco primò: pœnæ infernales damnatorum in perpetuum durabunt. Ita Catholici; contra Origenem, Armenos, Anabaptiſtas, &c.

Probat. *primò*: S. Litteræ docent, pœnas infernales fore perpetuas; unde de eis dicitur Judith. 16. *cap. dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum.* Et Iſa. 33. *quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis.* Et 2. ad Theſſ. 1. *pœnas dabunt in interitu æternas.* Et Apoc. 14. *cruciabitur igne, & ſulphure* &c. *& fumus tormentorum aſcendet in ſecula ſeculorum.* Et Matth. 25. *diſcedite maledicti in ignem æternum* &c. & paucis interpoſitis; *& ibunt hi in ſupplicium æternum*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: eadem doctrina conſtat ex priſcis Conciliis, æternitatem pœnarum Inferni definientium; ùt videre eſt in Synodo VI. *Act.* 11. Et in Concil. Lateran. ſub Innocentio III. ut *cap. firmiter* refertur: Ergo &c. *Tertiò*: idem conſtat ex authoritate SS. PP. idem ſentientium; unde S. Athanaſius *in Symbolo* ait, *& qui bona egerunt ibunt in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum.* Et D. Auguſtinus *lib. 21. de Civit. cap. 17.* deridens illos, qui dicebant, aliquorum pœnas in Inferno eſſe temporales; aliquorum verò æternas, dicit, *profectò miſericordior fuit Origenes, qui & ipſum diabolum, atque Angelos ejus ex illis cruciatibus eruendos dixit, cujus doctrinam S. reprobavit Eccleſia.* Lege etiam D. Fulgentium *lib. de fide ad Petrum.* Et Epiphanium, & Hieroymum *in Apol. adverſus Ruffin.* ubi ex profeſſo Origenem in hoc puncto impugnat: Ergo &c.

Objiciunt Origeniſtæ *primò*: Pſal. 76. dicitur, *aut obliviſcetur miſereri DEUS? aut continebit in ira miſerationes ſuas?* Ergo recordabitur DEUS, miſerebiturque etiam animarum in Inferno; adeoque pœnæ infernales non ſunt duraturæ in æternum. *Secundò*, in hiſtoriis Authenicis legitur, quoſdam magnos peccatores mortuos, & utique in Infernum jam detruſos, finaliter ſalvatos fuiſſe precibus quorumdam Sanctorum: Ergo horum pœna infernalis non fuit æterna. Ant. patet

patet de Trajano Cæſare, qui teſte D. Damaſceno *orat. fidel. defunct.* precibus S. Gregorii Mag: fuit poſt mortem jam pridem peractam ſalvatus. Similiter quædam Falconilla gentilis fœmina mortua legitur precibus S. Teclæ ſalvata. Item S. Auguſtinus narrat *ſerm. 33. de diverſis.* quendam infantem ſinè Baptiſmate defunctum, precibus S. Stephani fuiſſe reſuſcitatum ad horam, ut baptizaretur: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* cum S. Auguſtino *in Enchrid. cap. 12.* textum *citati Pſalmi* intelligendum eſſe de ſolis Vaſis miſericordiæ, ſeu electis ad gloriam, quorum DEUS finaliter miſeretur, ſi contingat eos labi in peccata. Vel ſi contendant Originiſtæ, eum etiam intelligi debere de damnatis; tunc dico, quòd DEUS non continebit in ira ſua miſerationes ſuas cum eis, in hoc ſenſu, quatenus mitiùs eos puniet, quàm merentur ſuis delictis; poſſet enim jure eoſdem acerrimè propter quodvis peccatum mortale punire; imò penitùs annihilare; quod tamen non facit. *Ad Secundum*; ſi hiſtoriæ illæ veræ ſint de Trajano, Falconilla, &c. tunc dico, memoratas perſonas precibus dictorum Sanctorum ſalvatas, necdum fuiſſe ad Infernum detruſas, neque pœnis infernalibus ſubjectas; ſed earum ſententiam de loco, in quem finaliter eſſent transferendæ, ex præviſione futurarum precum D. Gregorii, S. Teclæ, & S. Stephani extraordinariè à DEO ſuſpenſam; & demum executioni datam, in re demum exhibitis precibus dictorum Sanctorum.

ARTICULUS IV.

An animæ damnatorum ſtatim pœnas Inferni ſubeant?

DIco primò: animæ in peccato mortali decedentes ſtatim acceptâ ſententiâ in judicio privato Chriſti, detruduntur ad Infernum; ac ibidem ſubjiciuntur realibus pœnis ejuſdem. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, & eorum ſequaces.

Probat. *primò* authoritate S. Scripturæ: nam de ejuſmodi animabus dicitur Job. 21. *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Infernum deſcendunt.* Et quòd anima Epulonis fuerit damnata ad Infernum; & ſtatim detruſa eò ac ſubjecta pœnis; narratur in S. Evangelio tanquam vera hiſtoria, ſecundùm D. Auguſtinum, Gregorium, Ambroſium: Ergo &c.

Probat. *ſecundò* authoritate Concil. idem docentium; unde Florentin. *in Litt. Union.* ait, *illorum animas, quæ in actuali mortali peccato, vel ſolo Originali decedunt, mox ad Infernum decedere, pœnis tamen diſparibus puniendas:* Ergo &c.

Probat. *tertiò* authoritate SS. PP. eandem doctrinam concluſionis aſſerentium; unde S. Gregorius *4. dial. cap. 28.* dicit, *ſi eſſe Sanctorum animas in Cælo ſacri eloquii ſatisfactione credidiſti, oportet ut per omnia eſſe credas, & iniquorum animas in Inferno. Quartò* accedit Ratio; juſtorum animæ decedentes in gratia ſanctificante & ſine obligatione ad ſolvendas aliquas pœnas temporales Purgatorii ſtatim transferuntur in Cœlum; & potiuntur gloriâ; utì oſtendi pluribus argumentis contra Millenarios. *Tom. 1. Schola Theolog. Tract. 1. diſt. 4. q. 3.* Et hoc Opere *tom. 2. lib. 5. cap. 6. art. 2.* Ergo pariter animæ impiorum decedentes in mortali peccato, ſtatim accepta ſententiâ in judicio privato Chriſti detruduntur ad Infernum, & ſubjiciuntur pœnis realibus ejuſdem. Conſequentia tenet à pari: & quia juſtitia DEI circa præmianda merita, & punienda mortalia peccata, ſeu demerita, debet ſe habere pariformiter.

Objiciunt Hæretici *primò*: animæ in gratia decedentes non ſtatim transferuntur ad Cœlum, & beantur; ſed priùs mille annis regnabunt cum Chriſto in terris in ſumma tranquillitate: Ergo neque animæ decedentes in mortali ſtatim detruduntur ad Infernum, & ibi ſubjiciuntur ejus pœnis. Probat. Ant. nam ita conſtat ex illo Apoc. 20. *Beatus eſt Sanctus, qui habet partem in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt Sacerdotes DEI, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.* Et ita etiam ſentiunt Tertullianus *lib. de ſpe fidelium.* Et Lactantius *lib. 7. divinarum Inſtitutionum* & alii SS. PP. Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. quod dogma erroneum Millenariorum vide latè refutatum locis citatis paulò antè *Schola mea Theolog.* Et hujus Operis. Ad textum ex Apoc. 20. *cap.* relatum, dico, per mille annos Regni Chriſti hìc intelligi, totam illam intercapedinem temporis, quod effluxit à profligata ex Urbe Roma Idololatria, fœdatiſque Tyrannis perſecutorum, in Chriſtianos exercitiis, uſque ad tempora futura Antichriſti, in quo temporis tractu Chriſti Ec-

cleſia, & Sanctorum Congregatio in magna pace regnabit Regno ſpirituali; quæ interpretatio colligitur ex S. Auguſtino *lib. 20. de Civit. cap. 7.* Ad Patres verò in oppoſitum citatos dico; ipſos, & ſi qui alii ſunt, in hoc erráſſe, correctoſque fuiſſe per Eccléſiam, ac alios Patres poſteros Græcos, & Latinos, contra Millenarios ſcribentes & docentes, animas in juſtitia decedentes immediatè aſſequi beatitudinem cœleſtem; ita facit Chryſoſtomus *hom. 71.* Et Gregorius Nazian. *orat. 10.* Et Gregorius Nyſſen. *orat. funebri in Pulcheriam*, Et Gregorius *lib. 4. dial. cap. 28.* Et Auguſtinus *lib. 20. Civit. cap. 24.* &c.

CAPUT V.

De Reſurrectione Generali.

ARTICULUS I.

An revera ſit futura generalis omnium Reſurrectio?

Dico primò: fiet omnino Reſurrectio generalis, in qua omnes prorſus homines aliquando defuncti, reſurgent ante diem Judicii; iis exceptis, qui jam cum corpore tranſlati ſunt in Cœlum. Ita Catholici; contra Saducæos, Simonem Magum, Baſilidianos, Hymenæos, Valentinianos, Apellitas, Marcioniſtas, Marciſtas, Ophitas, Cerdonianos, Severianos, Scleucianos, Cajanos, Procliániſtas, Albigenſes, Tertullianiſtas, &c.

Probat. prima pars *primò*: ex S. Scriptura conſtat, omne genus hominum aliquando reſurrecturum; unde Salvator noſter contra Saducæos hoc negantes ſic arguit Matth. 22. *erratis neſcientes Scripturas, neque virtutes DEI.* &c. *de Reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt à DEO dicente vobis; Ego ſum DEUS Abraham, & DEUS Iſaac, & DEUS Jacob: non eſt DEUS mortuorum; ſed viventium.* Et D. Paulus eandem falſam doctrinam Saducæorum confutat pluribus; & tandem addit 1. ad Cor. 15. *ſicut in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes vivificabuntur*; videlicet in Generali Reſurrectione. Et ibidem dicit, *oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*, quòd fiet in Reſurrectione Generali, quando corpora Beatorum reddentur incorruptibilia. Et Joan. 5. dicitur, *omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii DEI, & procedent, qui bona egerunt in Reſurrectionem vitæ; qui verò mala, in Reſurrectionem judicii*: Ergo &c. *Secundò*, eadem Generalis Reſurrectio conſtat ex Conciliis; ſignanter *in Symbolo fidei* Conc. Conſtantinopolitani I. Et *in Symbolo fidei* Concilii; Nicæni. Et Concilii Lateranenſis. Et *in Symbolo Apoſtolico*: Ergo &c. *Tertiò*, idem docent paſſim SS. PP. ut Athanaſius *in Symbolo fidei* ibi, *inde venturus eſt judicare vivos & mortuos; ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis.* Et Auguſtinus *in Enchrid. cap. 84.* Et Hieronymus *epiſt. 152.* Ergo &c. *Quartò*, ratio pariter hunc fidei articulum ſuadet; nam finis Reſurrectionis Generalis eſt oſtenſio Divinæ juſtitiæ, & liberalitatis DEI præmiantis, ac punientis: omnes autem homines ſunt capaces præmii; id eſt gloriæ; vel pœnæ alicujus ſaltem damni, quam ſubibunt infantes ſinè Baptiſmo morientes: Ergo &c.

Probat. ſecunda pars: de B. V. MARIA tenet Eccleſia; eam jam aſſumptam eſſe in Cœlum. Et de quibuſdam aliis ſanctis antiquis habetur Matth. 27. quòd *monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt reſurrexerunt*: Iſti itaque omnes jam conſummârunt ſuam Reſurrectionem ad vitam immortalem, & unà cum corpore tranſlati ſunt ad beatitudinem, actu recipientes eam tam in anima, quàm in corpore: quare non eſt ratio, ut hi denuò reſurgere dicantur: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici contra primam partem Concluſ. *primò* 1. ad Cor. 15. dicitur, *ecce myſterium vobis dico; non omnes quidem dormiemus; omnes tamen immutabimur*: Ergo ſecundùm Apoſtolum non omnes juſti morientur ante immutationem ad Gloriam. *Secundò*, ad Theſſal. 4. habetur, *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus*; ubi Apoſtolus loquitur de hominibus paulò ante judicium univerſale viventibus, quòd ſinè prævia morte vivi obviaturi ſint Chriſto. *Tertiò*, ad Rom. 14. de Chriſto dicitur, quòd *conſtitutus eſt Judex vivorum, & mortuorum*: Ergo Chriſtus Judex venturus reperiet adhuc aliquos viventes in hoc ſæculo; atque adeò non omnes morientur, & reſurgent ante Judicium univerſale.

Reſpondeo *ad primum*; illam authoritatem

tem 1. ad Cor. 15. eſſe adductam ſecundùm editionem Græcam; aliter enim legitur in veteri vulgata Editione Latina, quæ ſecundùm Tridentinum *ſeſſ. 4. cap. 5.* in tota Eccleſia eſt ſequenda, nempe ſic, *omnes reſurgemus; ſed non omnes immutabimur*; qui textus nullatenus favet Patribus oppoſitis Tertulliano, Theodoreto, Origeni, Didimo & aliis Græcis. Poſſet etiam dici retento priori textu Græcô, quòd Iy *non dormiemus* ſolùm ſignificet juſtos circa judicii diem adhuc viventes non dormituros longo tempore, ſicut dormierunt alii jam pridem mortui; quia illi juſti poſt mortem ſuam ſtatim iterum reſurgere habent ad judicium univerſale; & tale parvum, vel breve tempus pro nihilo reputatur in phraſi Scripturæ S. *Ad Secundum* dico, etiam illos rapiendos in nubibus priùs eſſe morituros, ſaltèm in ipſo raptu; ut ſic ſatisfaciant legi generali Scripturæ ad Hebræos 9. *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*; & eoſdem illicò rurſus ſuſcitandos, ut obvient Chriſto in aëra. Poteſt etiam dici, Scripturam de illis rapiendis, etſi revera priùs morituris, tamen de eis loqui ut viventibus; eò quòd modicum tempus inter eorum mortem, & Reſurrectionem mediabit. *Ad Tertium* dico, Apoſtolum *per mortuos* intelligere illos jam defunctos, quando verba allegata ad Rom. 14. proferebat; *per vivos* verò illos, qui tunc actu vivebant tempore Pauli, & poſt eum victuri ſunt uſque ad finem mundi; quorum omnium Chriſtus conſtitutus eſt Judex.

ARTICULUS II.

In qualinam carne reſurgent homines?

DIco primò: omnes homines reſurgent in ſua primæva carne, puta palpabili, tractabili, & viſibili. Ita Catholici; contra Eutychium, Lutherum, & Calvinum.

Probat. *primò*: S. Scriptura aſſerit homines reſurrecturos in ſua carne, quâ olim amicti fuerant; quæ utique fuit palpabilis, & viſibilis; unde dicitur Job. 19. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEUM meum* &c. Et Salvator ipſe docet Joan. 11. homines reſurrecturos eoſdem cognatione, quæ ex carnis idendìtate oritur; unde ait ad Martham de Lazaro mortuo, *reſurget frater tuus*. Et propterea etiam Chriſtus in carne palpabili, & viſibili reſurrexit, dicens, Luc. 24. *palpate, & videte; quia Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: Ergo &c. *Secundò*: eandem doctrinam afferunt SS. PP. præſertim D. Gregorius *in cap. 19. Job.* Et S. Gregorius Nyſſen. *orat. 3. de Reſur.* dicens, *propter hunc diem pars Corporis, quam ante mille annos carnivora aves comederint, integra* (id eſt eadem numerô) *reperietur; & quam vel canes; vel cete, cateraq; animalia marina devoraverint, unà cum homine reſuſcitato reſurget; quin etiam quod ignis concremaverit, quod vermis in ſepulchro aſſumpſerit, & omnia denique corpora, quotquot corruptio aboleverit, integra, nullàque ſui parte carentia reddentur è terra*; Divinâ ſcilicet ita operante virtute: quam redditionem integram Gentilibus ſvadet S. Ambroſius *orat. de fide Reſurrect.* exemplô ſeminum putrefactorum, viridantia folia emittentium; & Phœnicis, quam etiam Gentiles reviviſcere dicunt.

Objiciunt Hæretici, & *primò* Eutychius; corpora hominum in Reſurrectione generali erunt aërea, & ſubtilia; & conſequenter non tractabilia, & palpabilia, aut viſibilia: hæc enim conditio decet tunc corpora: Ergo &c. *Secundò* opponunt alii; Paulus dicit 1. ad Cor. 15. *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*; quod eſt inviſibile, & impalpabile: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. quod eſt merum figmentum Eutychii, jam olim à SS. PP. exploſum; utpote non fundatum in ulla Scriptura; vel Concilio. Imo Eutychius ipſe inſtante morte, pellem manûs ſuæ tenebat multis præſentibus dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne reſurgemus. *Ad Secundum* dico; Apoſtolum ſolùm velle, quòd corpus hominis in juſtitia, & ſanctitate defuncti, etſi tempore generationis, & mortis fuerit corruptibile; in Reſurrectione tamen evadet incorruptibile, & immortale; ſicque & Spiritui in hoc aſſimilabitur, qui incorruptibilis, & immortalis eſt; unde dicit idem Apoſtolus *cit. loc. ſeminatur* (corpus) *in corruptione, ſurget in incorruptione*; cum quo ſtat, quòd tale corpus remanebit palpabile, & viſibile.

ARTICULUS III.

In quo ſexu ſit futura hominum Reſurrectio generalis?

DIco primò: in generali Reſurrectione omnes homines reſurgent cum propria, & priſtina differentia ſexuum, Ita Catholici; contra Armenos, Origenem, & quoſdam alios Patres docentes, omnes etiam fœminas reſurrecturas in ſexu virili.

Probat. *primò*: tum quia ita colligitur ex S. Scriptura Matth. 22. ubi Chriſtus interrogatus à Saducæis Reſurrectionem negantibus de illa muliere quæ ſeptem fratribus nupſerat, ut quiſque illorum fratris defuncti ſemen ſuſcitaret, cujus nam ſit futura uxor poſt Reſurrectionem, reſpondit, *erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem DEI; in Reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur*: ubi quidem nuptias negavit; non autem ſexuum differentiam; imò eam aſſeruit per illud *non nubent*, quod propriè congruit fœminis. Tum quia alia Scriptura narrat Gen. 1. *maſculum, & fœminam creavit eos*: Ergo etiam recreabit, ſeu reſuſcitabit maſculos & feminas. Tum quia differentia, & varietas ſexûs fœminei non eſt vitium, neque ex vitio naturæ proveniens; cùm DEUS à principio talem ſexum plaſmaverit: Ergo cum eo reſurgent homines, quotquot priùs cum eo nati fuerant. Tum quia homines cum ſexuum differentia reſurrecturos docent SS. PP. Auguſtinus *22. de Civ. DEI cap. 17.* Et D. Hieronymus, Hilarius, &c. Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: ad Epheſ. 4. dicitur, *donec occurramus omnes in unitatem fidei agnitionis Filii DEI in virum perfectum*: Ergo omnes reſurgent in ſexu virili perfecto. *Secundò*, Scotus docet *2. diſt. 20. q. 2.* in fine, quòd ſola B. Virgo in ſexu fœmineo reſurget; cæteræ autem mulieres in ſexu virili: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* cum S. Auguſt. 22. *de Civit. cap. 18.* gloſſando allatam Scripturam, & dico ly *virum* ibi juxta uſitatam Scripturæ phraſim accipi pro homine ſive maſculo, ſive fœmina; Scriptura enim ſæpe hoc nomine utrumque exprimit; ut in pſal. 3. *Beatus vir qui timet Dominum*, ubi nomine *viri* etiam fœmina venit, cùm multæ fœminæ DEUM quoque timeant; item pſal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum*; quod etiam fœminis timoratis ſolet convenire. Poteſt etiam dici, ſenſum allegatæ Scripturæ eſſe, omnes homines reſurrecturos in quantitate ſtaturæ virilis, ut ſimus conformes Chriſto, qui in tali reſurrexit; cum quo ſtat differentia ſexuum. *Ad Secundum* dico, quòd doctrina allegata ex Scoto non ſit de genuino ejus textu; ſed tanquam quoddam marginale; & additamentum ab aliquo Scholaſte imperito appoſitum primò in margine; deinde verò antiquæ cuidam impreſſioni etiam ignoranter ab impreſſore inſertum textui; quod tamen omnes Scotiſtæ intelligentiores ſignant pro extra, uti advertit P. Cavellus, Gratian. Brixien. Maſtrius, Brancatus, Herincx, &c. nam Doctor Subt. Scotus expreſsè docet Concluſionem in Reportatis *diſt. 20. q. 2.* in fine dicens, *quòd in Reſurrectione aliqua fœmina plùs gaudebit de ſtatu ſuo, quàm ſi eſſet Vir, ut B. Virgo; non autem aliæ regulariter*; quibus verbis in Reſurrectione concedit fore alias veras fœminas cum ſuo ſexu.

ARTICULUS IV.

An corpora poſt Generalem Reſurrectionem ſint remanſura mortalia?

DIco primò: poſt generalem Reſurrectionem corpora Sanctorum non erunt ampliùs mortalia, paſſibilia, aut corruptibilia. Ita Catholici; contra Originem, ejuſque ſequaces.

Probat. *primò* ex S. Litteris conſtat, ſanctorum corpora in Reſurrectione generali evaſura incorruptibilia, & immortalia; unde dicitur 1. ad Cor. 15. *ſeminatur* (corpus) *in corruptione, ſurget incorruptibile.* Et ibidem, *oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatem.* Et Iſaias loquens de juſtis poſt reunionem corporum in generali Reſurrectione fiendam ait, *49. non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus*; & conſequenter nullam ſubibunt corruptionem à ſiti, fame, æſtu, vel aliis paſſionibus corruptionis. Et S. Joan. *in Apoc.* de juſtis poſt Reſurrectionem generalem ait, *abſterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors ultrà non erit* &c. Ergo &c. *Secundò*: SS. PP. quoque immortalitatem corporum Sanctorum poſt Reſurrectionem generalem futuram aſſerunt; ùt Auguſt. *lib. 13. de civit. cap. 18.* Et Gregorius *lib. 14. Moral.* Et Anſelmus *de ſimilit. cap. 5.* Et Cyrillus, Theophilactus, & Ambroſius *cap. 4. ad Epheſ.* Eſtque ratio; quia Chriſti corpus, ad cujus exemplar Beatorum corpora quoque transformanda ſunt, & ornanda in Reſurrectione generali, juxta Apoſtolum ad Philipp. 2. *cap.* fuit in ſua Reſurrectione redditum

ditum immortale , & incorruptibile; juxta illud ad Rom. *6. cap. Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur* : Ergo poſt generalem Reſurrectionem corpora Sanctorum non erunt ampliùs mortalia, paſſibilia, aut corruptibilia.

Quid pro ſua erronea opinione opponat Origenes non reperio.

CAPUT VI.

De Univerſali Judicio hominum.

Dico primò : Univerſale Judicium omnium prorſus hominum, fidelium, & infidelium, electorum, & reproborum à Chriſto exercendum, aliquando certò fiet. Ita Catholici; contra Gnoſticos, Florianos, Manichæos, Proclianitas, Albigenſes, Lutherum, Bullingerum, &c.

Probat. *primò* authoritate S. Scripturæ, paſſim mentionem facientis judicii futuri in utroque Teſtamento: unde dicitur in veteri Iſa. 3. *Dominus ad judicium veniet cum Senioribus populi, & Principibus ejus.* Et Zachar. 14. *Et veniet Dominus DEUS meus, omnesq; Sancti cum eo, & erit dies una, quæ nota eſt Domino*, ſcilicet judicii dies. In novo Joan. 5. *poteſtatem dedit Filio judicium facere: quia Filius hominis eſt.* Et ad Rom. 14. *omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti*, Et Matth. 12. *Viri Ninvitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam*, &c. Et *Regina auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò* authoritate Concil. dogmatizantium futuritionem judicii Univerſalis; ſignanter Nicæni *in Symbolo*, Conſtantinopolitani, Lateranenſis IV. Toletani IV. Et *in Symbolis*, etiam in Symbolo Apoſtolorum: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: SS. PP. pariter aſſerunt univerſale Judicium omnium hominum tam electorum, quàm reproborum aliquando futurum, ùt videre eſt apud Auguſtinum *lib. 20. de Civit. cap. 23.* Et Gregorium *in pſal. 88.* Et Hieronymum *in cap. ult. Eccleſ.* Et Lanctantium *lib. 2. cap. 22.* Et Bernardum *ferm. 55.* &c. *Quartò*, omnibus hominibus tam electis, quàm reprobis debet nota fieri DEI juſtitia tum in remuneratione bonorum, tum in punitione malorum; quod fiet in Judicio univerſali, à Chriſto exercendo: Ergo omnes hi ſubibunt aliquando tale Judicium.

Objiciunt Hæretici *primò*: reprobi & infideles non judicabuntur in univerſali Judicio; nam de eis dicitur Joan. 3. *qui non credit, jam judicatus eſt*; Ergo &c. *Secundò*: S. Auguſtinus de iiſdem infidelibus *ſerm. 38. de Sanctis* dicit, *ad judicium non venient Pagani, nec Hæretici, nec Judæi, quia de illis ſcriptum eſt, qui non credit jam judicatus eſt*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Ant. & ad textum Scripturæ Joan. 3. dico, ipſum eſſe intelligendum de Judicio diſcuſſionis, ſeu examinis ſuper actiones ſingulas eorum demeritorias; quô judicabuntur ſoli Electi, qui aliquando peccârunt, ſed deſuper pœnitentes effecti ſunt; quô utique increduli, ſeu infideles non judicabuntur in Judicio univerſali; quia in re notoria ſicut eſt infidelitas, non requiritur diſcuſſio: judicabuntur tamen ibi Judiciô condemnationis, ſeu ſententiæ, proferendæ à Chriſto, quæ ſignificatur Matth. 15. *ite maledicti in ignem æternum* &c. *Ad ſecundum* eſt eadem reſponſio.

CA-

Digitized by Google

cundò: iidem ritus fundati ſunt in S. Sctiptuta Matt. 14. ubi Chriſtus legitur ſpeciali ritu unctus à Maria Magd. in prævium officium ſepulturæ; de quo dixit Chriſtus, *bonum opus operata eſt in me; prævenit enim ungere corpus meum in ſepulturam.* Et ex illo Act. 8. *curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: iidem ritus fundati ſunt non tantùm in S. Scriptura; ſed etiam in Conciliis priſcis, & SS. PP. ac factis Sanctorum antiquorum; utì patet diſcurrendo per ſingulos ritus in patticulari; quorum *Primus* eſt, quòd lavetur corpus: hic ritus præterquam, quòd habeatur Act. 9. ubi legitur Tabitha defuncta lota; eundem etiam tradit Tertullianus *in Apolog.* Et Gregorius Taranenſis *lib. de gloria Confeſſ.* *Secundus* eſt, quòd in quibuſdam terris idem corpus ungatur, vel condiatur; hic ritus præterquam, quòd conſtet exemplô Corporis Chriſti uncti, etiam S. Gtegorius Nazian. eum tradit, qui fratrem ſuum Cæſareum myrrhâ unxit, & ſic unctum ſepelivit. *Tertius* eſt, quòd corpus linteis mundis involvatur; hic ritus non ſolùm exemplô Chtiſti ſic involuti patet; ſed etiam S. Gregotii Nyſſen. factô ſtabilitur, qui Miletium defunctum in munda ſyndone involuit. *Quartus* eſt, quòd defleatur, & comploretur defunctus; hic ritus & habetur Act. 8. de Stephano complorato; & eundem tradit S. Hieronymus *lib. 1. de Vigilant.* *Quintus* eſt, quòd corpus mortuum ad tempus exponatur; hic ritus & habetur Act. 9. ubi corpus Tabithæ defunctæ poſitum fuit in cænaculo; & traditur ab Hieronymo *in Epitaphio de Paula.* *Sextus* eſt, quòd exhibeatur Thurificatio; hic ritus conſtat ex Concilio Chalcedonenſi Act. 1. *Septimus* eſt, quòd cerei, lampades, & luminaria accedantur circa corpus defunctum; hic ritus tanquam licitus patet ex facto S. Gregorii Nazian. qui faces in funere fratris ſui accendiſſe legitur. Item ex facto S. Hieronymi, idem agentis in funete Paulæ. Item S. Gregotii Nyſſen. in funere Conſtantis. Eundem ritum approbat etiam S. Athanaſius apud Damaſcenum *lib. de mortuor. ſuffrag.* Et Chryſoſtomus *hom. 20. ad popul. Antioch.* *Octavus* eſt, quòd cantûs, & pſalmorum recitatio adhibeatur; hic ritus tanquam pius practicatur à S. Hieronymo in funere Paulæ; & à S. Auguſtino in funere ſuæ Matris Monicæ; & refertur quoque à S. Chryſoſtomo *hom. 4. in epiſt. 2. ad Hebr.* Et à S. Gregorio Nyſſen. *orat. 2. in Julian.* *Nonus* eſt, quòd funus comitetur, & cum pompa funebri transferatur ad ſepulturam; hunc ritum obſervat S. Hieronymus in funere Paulæ, & Fabiolæ. Et Nyſſenus in funere Miletii. Et eundem, ùt pium refert Tertullianus *in Apolog.* *Decimus* eſt, quòd corpus aquâ benedictâ conſpergatur; hiç ritus patet ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine: & ex Concil. Chalcedonenſi; ac aliis: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: ritus funerandi, à Catholicis obſervati non extant ſatis in S. Scriptura: Ergo &c. *Secundò* iidem ritus ſapiunt Gentiliſmum; videntur enim Romano Catholici ſentire, quòd animæ inſepultorum cadaverum oberrent, & fluvium Acheronta tranſire nequeant, niſi priùs cæremoniæ variæ circa eorum corpora fiant. *Tertiò* multi contingunt abuſus apud Catholicos circa funeta; ùt ingens extorſio pecuniæ, & cereorum à Miniſtris Eccleſiæ; & alia: Ergo ſunt tollendi ritus funerales. *Quartò*, Concilium Elibertinum *can. 34.* prohibet accenſionem cereorum, quæ eſt unus è ritibus Catholicis funetalibus; *ne*, inquit, *Spiritus defunctorum inquietentur*: Ergo &c. *Quintò*, S. Auguſtinus funebralem comitatum, & pompam, ſeu ornatum feretri, & ſonitum campanarum tribuit vanitati, & objicit *lib. 1. de cura pro mortuis gerenda*, ubi ait, *ſepulturæ, ac funeris officia ſolatia vivorum eſſe; non præſidia mortuorum.* *Sextò*, inutilis eſt ſubterratio in locis ſacris, unde in Jure Canonico reprehenditur illorum præſumptio, qui credunt juvari mortuorum corpora ſepulturâ in loco ſacro. *Septimò, can. 27. 13. q. 2.* reprobantur lachrymæ pro defunctis, tanquam ſigna puſillanimitatis, & diffidentiæ: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. cujus contrarium patet *ex probat. 2.* ſuprà; & exemplô David, qui 1. Reg. 3. *cap.* comitatur feretrum Abner occiſi, & ait, *plangite ante exequias.* Et ex approbatione ejuſdem facta ſuper ſepulturæ officium à viris Jabes, Galaad, impenſum Sauli, quæ habetur 1. Reg. *cap. 25.* ibi, *benedicti vos à Domino, qui feciſtis hanc miſericordiam cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum; & nunc retribuet vobis Dominus.* Itaque ritus Catholici in ſepulturis Catholicorum ſoliti adhiberi, fundamentum habent in variis S. Scripturæ locis, quoad ſubſtantiam; quamvis cæremoniæ determinatæ ejuſdem ab Eccleſia, & SS. PP. ſint ordinatæ vel pro refrigetio animarum ſepeliendorum; vel pro honore corporis Chriſtiani, quod aliquando ſuô modô fiet gloriæ patticeps in

generali Reſurrectione. *Ad Secundum* Neg. Ant. quod continet mera deliria, & mendacia adverſariorum: nam cæremoniæ illæ Catholicorum funebrales fiunt ex aliis intentionibus, & ſentiminibus, *in ſolutione prioris objectionis* jam relatis. *Ad Tertium* tranſeat Ant. quòd in quibuſdam caſibus particularibus, vel locis malè diſciplinatis poteſt eſſe verum: ſed Neg. Conſeq. nam cùm tales abuſus; v. g. inordinata exactio pecuniæ, vel cereorum, & avaritia aliquorum malorum Miniſtrorum; item luxus nimius in veſtibus funebribus, lapidibus, &c. proveniant ex culpa particulari hominum; non autem exoriantur ex objecto ipſo, & genere ſepulturæ, ideo officium funeris & ſepulturæ in probis, & examinatis Catholicorum ritibus conſiſtens ex ſe abrogandum, vel omittendum non eſt: ſicuti jejunia, Eleemoſynæ, & potûs vini omittenda non ſunt tanquam mala; quamvis circa eos contingant particulares abuſus, dum jejunatur, & Eleemoſyna datur ex hypocreſi, aut ſi fiat ebrietas ex nimia ſumptione vini: Cæterùm Eccleſia Catholica nunquam ordinavit, nec approbavit memoratos, & alios abuſus funebrales; imò eos prohibet, & punit variis Canonibus; ût *can. poſtquam.* Et *can. in Eccleſiaſtico.* Et *in 6. tit. 12. de ſepult.* & alibi. *Ad Quartum* dico, Concilium Elibert. tantùm prohibere accenſionem cereorum cum illa peccaminoſa intentione, quam quidam Neophyti more Gentilium habebant, putantes animas defunctorum in ſepulchris deliteſcere & per talem accenſionem, & ritum inquietari, id eſt evocari. Vel dici poteſt, quòd Concil. ideo talem ritum prohibuerit; eò quòd Spiritus in Purgatorio exiſtentes, & ſuffragia exſpectantes, ſcienteſque illum ritum cum mala intentione practicari, multùm inquietarentur, id eſt triſtarentur; ſiquidem talis ritus à Neophytis ex dicta intentione tunc temporis exercitus erat ſuperſtitioſus, & ritui Gentilium conformis; quem proinde Spiritus illi abhorrebant, tanquam malum, & ſibi non proficuum. *Ad Quintum* dico, S. Auguſtinum loqui, de exceſſivo, & faſtuoſo nimis apparatu, à quibuſdam divitibus, & potentibus ſolito adhiberi, præcisè ad oſtenſionem; omiſſis interea precibus, ſuffragiis, & aliis animæ proficuis. *Ad Sextum* Neg. Ant. & ad Jus Canonicum dico, illud duntaxat velle corrigere illorum opinionem, qui volebant, quòd ſolus iſte ritus ſepulturæ in loco ſacro factæ proſit defuncto ad liberationem è Purgatorio, quod falſum eſt, nam etiam pro eo fieri debent ſuffragia, Miſſæ, Eleemoſynæ, aut alia pia opera. *Ad Septimum* dico, *in cit. Canonibus* ſolùm reprobari lachrymas, quibus cum nimio exceſſu deplorarentur mortui; vel quæ conjunctam haberent deſperationem; non quibus moderatè lugerentur defuncti, more Abrahæ Gen. 23.

CAPUT VIII.

De Adam, & Eva Protoparentibus.

ARTICULUS I.

An Adam, & Eva fuerint revera Protoparentes totius generis humani?

DIco primò: Adam, & Eva fuerunt primi parentes omnium prorſus hominum a DEO Creatorum. Ita Catholici; contra quendam Gallum Litteriſtam, & alios paucos quoſdam, aſſerentes Præadamitas.

Probat. *primò* authoritate S. Scripturæ: nam in Chronologia Mundi, à Moyſe Divina inſpiratione compoſita, quæ *Geneſis* vocatur, Adam ſtatuitur Protoplaſtes, ſeu primus Homo, & Protoparens omium mortalium: unde de eo dicitur Act. 17. *fecitq́; ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.* Et 1. ad Cor. 15. *factus eſt primus Homo Adam in animam viventem.* Et Sap. 10. *hæc* (ſcilicet ſapientia) *illum, qui primus formatus eſt à DEO Pater orbis terrarum, &c. cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò* tum authoritate Sacrorum Conciliorum; tum SS. Patrum; tum perpetuâ Eccleſiæ traditione, & omnium Chriſtianorum conſenſu Adam Protoparentem, Caput, & Genitorem totius generis humani acclamantium: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici primò: 4. *cap.* dixit Cain filius Adæ, *omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*: & ibidem, *poſuitq́; Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum*: quæ dicta ſupponunt tempore Cain fuiſſe plures homines, à quibus potuiſſet occidi ob fratricidium commiſſum. *Secundò*, in Sinarum hiſtoriis priſcis habetur, characteres hujus nationis ab hominibus inventos, eſſe multis millibus annorum vetuſtiores, quàm ſit creatio Adæ & Evæ, in Geneſi relata: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*; illa dicta Scripturæ

pturæ referri vel ad Adam & Evam tunc viventes, qui poterant ultionem ſumere de homicidio Abel à Cain patrato per reciprocam occiſionem ejuſdem Cain: vel ad nepotes, vel abnepotes ex Cain, & aliis filiis Protoparentum deſcendentes, qui ſuo tempore poſſunt punire fratricidium in Cain. *Ad Secundum* dico, illas hiſtorias quo ad hoc eſſe fabuloſas; plus enim credendum S. Chronologiæ mundi, ſeu Geneſi, à Moyſe Divinâ inſpiratione compoſitæ; quàm ſimilibus commentis confictis.

ARTICULUS II.
De qua materia Protoparentes fuerint formati?

Dico primò: Adam de limo terræ; Eva verò de coſta originali, aut materiali Adæ, creati fuerunt. Ita Catholici; contra quoſdam, docentes Evam pariter de limo terræ à DEO formatam fuiſſe.

Probat. prima pars de Adæ creatione *primò*: nam Adam de materia limi formatum fuiſſe teſtatur S. Scriptura Gen. 2. ibi *formavit igitur Dominus DEUS hominem de limo terræ.* Et 1. ad Cor. 15. *primus homo de terra terrenus*: Ergo &c. *Secundò*, idem docent SS. PP. ſignanter Rupertus *in cap. 20. lib. 2. de Trin.* & alii: Et concordat ipſum nomen Protoparentis, nam *Adam* vocabulum eſt Hebraicum, derivatum ab *Adamach*, id eſt *terra*, ſeu *argilla rubra*: Ergo Adam creatus eſt de limo terræ.

Probat. ſecunda pars de Evæ formatione *primò*: nam Gen. 2. apertè habetur, Evam eductam eſſe de coſta Adæ, ibi, *cumq; obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus DEUS coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Et ibidem de eadem muliere ſua dixit Adam, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago; quoniam de viro ſumpta eſt.*: Et Eccleſ. 17. *creavit ex ipſo* (ſcilicet Adamo) *adjutorium ſimile ſibi*: Ergo &c. *Secundò* SS. PP. concorditer docent, Evam de coſta Adæ eſſe formatam, ſignanter Auguſtinus *lib. 9. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 19.* Et *lib. 12. civit. cap. 21.* Et Chryſoſtomus *hom. 15. ſuper Geneſ.* Et Gregorius *lib. 30. Moral.* Et Theophylactus *ſuper epiſt. ad Epheſ. 5.* Ergo &c.

Objiciunt Adverſarii *primò*, ea quæ de formatione Evæ narrantur in S. Scriptura, intellegenda ſunt parabolicè, ùt diſcurrit De Vio *in Commentariis ſuper Geneſ.* Ergo &c. *Secundò*, in Geneſi dicitur, *quòd maſculum & fœminam creavit eos*, ſcilicet Protoparentes: quòd ſimul tameam formationem eorum de eadem materia limi ſignificat: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam omnes SS. PP. interpretes S. Scripturæ, textum illum Geneſis de formatione Adæ, & Evæ in ſenſu litterali intelligunt; ùt videre eſt in eorum *Commentariis ſuper Geneſ.* *Ad Secundum*, Nego ex illo textu colligi illam ſimultaneam formationem Protoparentum de eadem materia limi; nam D. Paulus 1. ad Cor. 11. apertè dicit, fœminam fuiſſe formatâm ex mare, ibi, *non enim vir ex muliere eſt; ſed mulier ex viro*; ſolùm ergo indicatur ibi, utrumque Protoparentem ſecundùm ſuum ſexum fuiſſe à DEO creatum; ex diverſa tamen materia, quæ explicatur in eadem S. Geneſi.

ARTICULUS III.
An Protoparentes fuerint ſalvati?

Dico primò: tam Adam, quèm Eva Protoparentes finaliter aſſecuti ſunt ſalutem æternam. Ita Catholici; contra Tatianos, Encratitas, Severianos, &c.

Probat. de Adam *primò* authentitate S. Scripturæ nam Sap. 10. dicitur, *hæc illum, qui primus formatus eſt à DEO, Pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo*, ſcilicet esûs de ligno vetito, & à fortiori ab aliis connexis minoris conſiderationis: Ergo Adam primus homo finaliter eſt ſalvatus.

Probat. *ſecundò* traditione totius Eccleſiæ; & authoritate SS. PP. doctrinam concluſionis veluti inconcuſſam traditionem tenentium; ùt videre eſt apud Irenæum, Epiphanium, & Auguſtinum *epiſt. 99.* ſcribentem, *de illo quidem primo homine, Patre generis humani, quòd Chriſtus, cùm deſcendit ad inferos, inde eum liberaverit, Eccleſia ferè tota conſentit, quòd eam non inaniter credidiſſe credendū eſt, undecunque hoc traditum ſit, etiamſi Canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferatur authoritas: quamquam illud, quòd in lib. Sap. cap. 10. ſcriptum eſt, hæc (nempe ſapientia Divina) illum qui primus factus eſt à DEO, Patrem orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit ei virtutem continendi omnia; hoc inquam quod ſcriptum eſt, magis pro hac ſententia; quàm pro ullo alio intellectu facere videtur*: Ergo Protoplaſtes Adam prævaricationem ſuam. esûs de ligno vetito aliáque peccata expiavit, uſque ad conſecutionem veniæ, & ſalutis æternæ.

Probatur etiam de Eva *primò*: quia ita

ſentiunt plures SS. PP. Auguſtinus, Anſelmus, & Tertullianus, cauſam *lib. 3. adversùs Marcion*: reddens; *quia videlicet ideo nec maledixit ipſum Adam, & Evam, ut reſtitutionis* (ſcilicet ad gratiam & conſequenter ad gloriam) *candidatos*. *Secundò*, quia ita conſtat ex ſtabili Eccleſiæ traditione. *Tertiò*, quia præſumendum eſt de Divina miſericordia, quòd utrumque Protoparentem, totius generis humani ſeminarium primum, & perfectiſſimas creaturas intellectuales ſublunares, amicos olim, & ſelectos incolas terræ felicitatis Paradiſiacæ, præſtitâ ſufficienti pœnitentiâ tandem ſalvaverit; & cæleſti Paradiſiacæ felicitati inſeruerit.

Objectiones Hæreticorum ſunt pura arbitria erronea eorum, in nulla Scriptura, traditione, aut Patre fundata.

ARTICULUS IV.

An perſeverante ſtatu Innocentiæ, Protoparentes carnaliter propagâſſent genus humanum?

Dico primò: ſi Protoparentes perſeverâſſent in ſtatu Innocentiæ, adhuc commixtionem, & copulam carnalem exercuiſſent, & hâc viâ genus humanum propagâſſent. Ita Catholici; contra Armenos, Almaricum Pariſienſem Doctorem, &c.

Probat. *primò* authoritate S. Scripturæ; nam Gen. *2.* dixit DEUS hominibus, utì & cæteris animalibus, *creſcite & multiplicamini*; cætera autem animantia propagantur per veram copulam, ſeu generationem carnalem: Ergo & homines ſic fuiſſent propagati. Deinde ideo Adam ante lapſum divinitùs inſpiratus dixit, *erunt duo in carne una*; utique ratione copulæ conjugalis. Tandem propterea Adæ dictum fuit, quòd Eva futura ſit *adjutorium ſimile ſibi*; ſcilicet ad generationem prolis tantùm; in aliis enim operibus meliùs juvaret vir: Ergo &c.

Probat. *ſecundò* authoritate plurimorum SS. PP. concluſionem aſſerentium; ſignanter eam tenet D. Auguſtinus *lib. de peccat. Orig.* 35. & 36. retractatâ opinione contrariâ, cui aliquando adhæſerat, *eſſent* (inquit) *procul dubiò nuptiæ, etiam non præcedente peccato, quia neque ob aliam cauſam viro adjutorium non alius vir, ſed fœmina facta eſt. Et illa DEI verba, creſcite & multiplicamini, non eſt damnadorum prædictio peccatorum; ſed fœcundarum prædictio nuptiarum*, &c. Et *lib. 4. contra Julian. cap. 4.* dicit, *neque enim etiamſi natura humana primorum Parentum peccatô vitiata non eſſet, poſſent filii, niſi de corporum commixtione generari*: Ergo &c.

Probat. *tertiò* ratione: tum quia adhuc ſtante ſtatu Innocentiæ in prima conditione, & creatione Protoparentum ſtatim ſexuum diverſitas fuit: unique non ad alium finem, quàm ut per copulam conjugalem commiſcerentur, & propagarent per veram generationem ſuos poſteros etiam ſtante ſtatu Innocentiæ. Tum quia (ùt bene arguit hìc S. Bonaventura) potentia generativa eſt perfectio naturæ, ſpectans ad ejus completionem; & uſus hujus potentiæ ſeu generatio actualis carnalis mediante copulâ conjugali ſpectat ad complementum Civitatis ſupernæ Jeruſalem, per homines naſcituros faciendum: Ergo dicendum eſt, Protoparentes habuiſſe veram potentiam generativam, ejuſque uſum in ordine ad propagandum genus humanum.

Objiciunt adverſarii *primò*: aliqui SS. PP. ùt S. Gregorius Nyſſen. Damaſcenus, & Chryſoſtomus ſentiunt, homines in ſtatu Innocentiæ fuiſſe multiplicatos vel per creationem; vel aliô modô nobis ignotô: Ergo &c. *Secundò*, commixtio & copula carnalis involuit quamdam turpitudinem, indecentem illum ſtatum Innocentiæ; quia fit cum æſtu libidinis: Ergo non fuiſſet practicata in illo ſtatu. *Tertiò*, propagatio generis humani mediante copulâ fieri debet per deciſionem ſeminis; ſed tale non fuiſſet in ſtatu Innocentiæ; cùm ſemen ſit ſuperfluum alimenti; ſuperfluitas autem eſt vitioſa, & conſequenter repugnans illi ſtatui: Ergo &c. *Quartò*, propagatio generis humani per veram generationem carnalem nequit fieri abſque violatione virginitatis, ſeu clauſtri virginalis: ſed talis violatio non fuiſſet in ſtatu Innocentiæ: Ergo neque propagatio generis humani per veram generationem carnalem.

Reſpondeo *ad Primum*, citatos PP. non aſſertivè docuiſſe illam opinionem; ſed eam duntaxat recitâſſe, tanquam aſſertam ab aliis. *Ad Secundum* Neg. Ant. cum ſua ratione; quia in ſtatu Innocentiæ abfuiſſet à copula conjugali omnis immoderatus æſtus libidinis; hic enim nunc in ſtatu naturæ lapſæ adeſt ex rebellione partis ſenſitivæ, quam Innocentes non fuiſſent paſſi, utpote habentes perfectum Dominium in illam partem, ſicut manús, pedis, vel alterius ſui membri. Itaque copula conjugalis durante illo ſtatu, fieret quidem, ſed abſque omni motu deordinante libidinis. *Ad Tertium* Neg. Min.

ad ejus

ad ejus rationem dico, etſi ſemen comparatione facta ad alimentum, & potentiam nutritivam dicatur ſuperfluum; non tamen comparatione facta ad ſpeciem humanam propagandam, & potentiam generativam eſt cenſendum ſuperfluum, imò neceſſarium; atque adeò ex hoc capite ſuperfluitatia non eſt rejicienda copula conjugalis, & propagatio generis humani in ſtatu Innocentiæ per feminia decifionem. *Ad Quartum* dicit D. Auguſtinua *lib. 14. de Civit. DEI cap. 26.* mulieres in ſtatu Innocentiæ non fuiſſe violatas quo ad clauſtrum virginale, etſi copulam veram ſeminiferam admiſiſſent; imò etſi genuiſſent; eò quòd tempore copulæ ſemen virile fuiſſet in uterum earum immiſſum, ſalvâ integritate clauſtri, puta eâ viâ, quâ nunc fluxus menſtrui materia ejicitur; tempore verò partûs viſcera matris fuiſſent relaxata mirâ aliquâ facilitate, quâ modò aperitur, & clauditur os, aliudvè membrum; & ſic enixa fuiſſet proles abſque corruptione ſenſibili integritatis virgineæ. Reſpondeo autem ego cum communiori Conc. Maj. & Neg. Min. dicoque hujuſmodi violationem clauſtri virginis non dedecere ſtatum Innocentiæ. Tum quia hujuſmodi violatio, ſi abſit inordinata libido, & adſit finia bonus, puta generatio hominis, non involvit aliquam indecentiam. Tum quia connubium, in quo regulariter corrumpitur virginale clauſtrum, teſte S. Thomâ in illo ſtatu fuiſſet melius, quàm continentia; ſive quia probabiliter fuiſſet præceptum; ſive quia in eo viguiſſet caſtiſſimus amor conjugum, fides intemerata, perpetuumque fœcunditatis bonum, puta generatio prolium Innocentium, quæ eſſent futuræ Filii DEI; quibus omnibus effectibus bonis caruiſſet tunc continentia.

ARTICULUS V.

An Protoparentes ſtante ſtatu Innocentiæ fuiſſent mortui?

Dico primò: ſi Protoparentes non peccâſſent mortaliter contra Legem primordialem DEI; ſed permanſiſſent in ſtatu Innocentiæ, tunc habuiſſent immortalitatem quamdam, id eſt, nunquam mortui fuiſſent. Ita Catholici; contra Pelagianos, &c.

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ; quæ docet mortalitatem in Adamo, ejuſque poſteritate provenire ex peccato, quod ſupponitur abeſſe perſeveraute ſtatu Innocentiæ; unde dicitur Gen. 3. *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Et Sap. 2. *quoniam DEUS creavit hominem inexterminabilem*; ubi habet Græcus, *DEUS creavit hominem ad incorruptibilitatem*. Et Apoſtolus dicit, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*: Ergo ſtante ſtatu Innocentiæ Adam fuiſſet immortalis. *Secundò* authoritate Concilii Mileviani II. *can. 1.* dicentis, *quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita utſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret; non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit*: Ergo &c. *Tertiò* authoritate SS. PP. immortalitatem Adæ ſtante ſtatu Innocentiæ apertè aſſerentium, unde D. Auguſtinus *lib. 6. de Gen. ad litt. ac per hoc mors etiam corporis de peccato eſt. Si ergo non peccâſſet Adam, nec corpore moreretur; ideoque immortale haberet & corpus*; Ergo &c.

Nota primò: quòd quamvis Protoparentes ſtante ſtatu Innocentiæ fuiſſent immortales; ita ut nunquam mortui fuiſſent; abſolutè tamen mori potuiſſent: nam ùt dicit D. Auguſtinus *lib. 6. de Gen. cap. 5. corpus Adæ ante peccatum, & mortale ſecundùm aliam, & immortale ſecundum aliam cauſam dici poterat; id eſt mortale; quia poterat mori: immortale quia poterat non mori; aliud enim eſt non poſſe mori, ſicut quaſdam naturas immortales DEUS creavit; aliud eſt autem poſſe non mori, ſecundùm quem modum primus creatus eſt homo immortalis*: Ergo &c. Deinde radix immortalitatis corporis Adæ duplex ordinariè à SS. PP. & TT. affertur; *prima* fuiſſet exacta cuſtodia extrinſeca tam DEI, & Angelorum, quàm ipſiuſmet hominis, ſuâ eximiâ ſagacitate, & ſcientiâ cavendis ſibi à noxiis, & contrariis impugnativis, ac reſolutivis corporis Adæ: *ſecunda* fuiſſet fructus ſaluberrimus ligni vitæ, quò deficiens humidum radicale, & vigor naturæ Adæ rurſus reſtaurari potuiſſet ad diutiſſimè vivendum, quoad uſque Adam à DEO transferretur vivus ad ſtatum æternæ Beatitudinis: Neutra tamen iſta radix affert Adæ immortalitatem ſimpliciter, ſeu talem, ut nullatenus mori non potuiſſet; Ergo &c.

CA-

Google

CAPUT IX.

De Anima rationali.

ARTICULUS I.

De quidditate Animæ rationalis.

NOta primò: Animam rationalem rectè deſcribi, quòd *ſit quædam forma ſubſtantialis, ratione cujus convenit homini vivere vitâ rationali, & edere operationes proprias vegetativationis; ſenſationis, appetitionis, locomotionis, intellectionis, & volitionis.* Dicitur *anima* ab animando, id eſt vitam tribuendo; *rationalis* verò, quia eſt principium ratiocinandi.

Dico primò anima rationalis non eſt quidditativè aliqua particula Divinæ ſubſtantiæ; ſed creata quædam ſubſtantia. Ita Catholici; contra Gnoſticos, Priſcillianiſtas, Manichæos, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat, animam eſſe quamdam ſubſtantiam à DEO creatam, ſicut creatus eſt Angelus: nam Gen. 1. dicitur, *formavit DEUS hominem de limo terra, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*; id eſt animam rationalem, ùt gloſſant SS. PP. ſignanter D. Auguſtinus *lib. 13. Civit. cap. 24.* Et Eucherius *lib. 1. ſuper Gen.* Et Chryſoſtomus *hom. 11. in Geneſ.* Ergo ſicut flatus ſpiratus ex ore hominis non eſt de ſubſtantia hominis, ſed ex aëre circumfuſo oritur, ita anima ſpirata ex ore, ſeu potentia creativa DEI non eſt de ſubſtantia DEI. Item ex eadem Scriptura habetur, DEUM eſſe immutabilem; unde Malach. 3. dicit de ſe DEUS ipſe, *Ego DEUS, & non mutor.* Et Jacob. 1. *apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*: Anima autem rationalis eſt ſubjecta mutationibus continuis; unde nunc laborat paſſione iræ, nunc paſſione manſuetudinis, triſtitiæ, hilaritatis, &c. Ergo non eſt aliquid Divinæ ſubſtantiæ immutabilis.

Probat. *ſecundò*: Concil. Bracarenſe *cap. 5.* pro concluſione ſequentem ponit definitionem, *ſi quis animas humanas, vel Angelos ex DEI credit ſubſtantias extitiſſe, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* *Tertiò*: SS. PP. paſſim aſſerunt, animam rationalem eſſe ſubſtantiam à DEO creatam, ac ab eodem diſtinctam: unde S. Leo 1. Papa *epiſt. 71. cap. 5.* ait, *quintò autem capitulò refertur, quòd animam hominis Divinæ aſſerant eſſe ſubſtantiæ, nec à natura Conditoris ſui conditionis noſtræ diſtare naturam: quam impietatem ex Philoſophorum quorundam, & Manichæorum opinione manantem Catholica Fides damnat.* Et Auguſtinus *lib. 1. contra adverſar. Legis & Prophet. cap. 14.* dicit, *flatus autem ille DEI* (ſcilicet anima rationalis Adæ) *qui hominem animavit, factus eſt ab ipſo; non de ipſo: qui nec hominis flatus pars eſt; nec homo facit eum de ſe ipſo; ſed ex aëreo halitu ſumpto, & diffuſo.* *Quartò*, Ratio quoque concluſionem ſuadet: nam ſi animæ rationales eſſent depromptæ ab Eſſentia Divina, utique eis convenirent attributa Divina, propter realem identitatem eorum cum tota Eſſentia Divina: ſed hoc eſt erroneum; quia Animæ rationales non habent Attributum Infinitatis, Omniſcientiæ, Omnipotentiæ, Immenſitatis, &c. Ergo &c. Deinde Divina Eſſentia eſt ens prorſus indiviſibile; cùm ſit ſummè ſpiritualis, & ſummè ſimplex: Ergo nequit partiri in tot millenas particulas, quot ſunt animæ rationales creatæ à tempore orbis conditi uſque modò.

Objiciunt Hæretici *primò*: anima rationalis eſt ſpiritualis, immortalis, prædita intellectu, & voluntate; quæ proprietates etiam DEO competunt: Ergo eſt aliquid ſubſtantiæ DEI. *Secundò*, anima exercet admirandos motus in corpore organico; eſtque ordinata ad Beatitudinem æternam, & fruitionem DEI: Ergo eſt ſumpta de ſubſtantia Divinâ.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam ex Antecedenti tantùm ſequitur, animam rationalem aſſimilari ſubſtantiæ DEI in illis proprietatibus creatis; ſicut etiam corpora viventia aſſimulantur DEO in ratione vitæ, ſeu viventis; ex quo tamen non ſequitur, quòd ſint aliquid de ſubſtantia viventi DEI. *Ad Secundum* Neg. pariter Conſequentiam, & dico, ex miris illis motibus animæ rationalis, ac ordinatione ejus ad Beatitudinem ſolùm haberi; quòd ipſa ſit forma valde nobilis, & perfecta, non autem particula aliqua Divinæ ſubſtantiæ.

ARTICULUS II.

A quo Principio creetur anima rationalis?

DIco primò: Anima rationalis non creatur ab Angelis; ſed immediatè à ſolo DEO. Ita Catholici; contra Meſſalianos, & Seleucianos, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat; animam rationalem immediatè à DEO creari; unde dicitur de DEO Creatore ejus Pſal. 32. *qui fingit ſpiritum hominis in ipſo.* Et *qui finxit ſigillatim corda eorum.* Et Eccleſ. 12. *Spiritus revertetur ad Dominum ſuum, qui dedit illum.* Et Gen. 2. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*: Ergo &c. *Secundò*; S. Litteræ paſſim docent, DEUM eſſe Creatorem omnium rerum creatarum, & conſequenter etiam animarum rationalium; unde dicitur Sap. 1. *creavit DEUS, ut eſſent omnia.* Et ad Hebr. 13. *cap. qui omnia creavit, DEUS eſt.* Et Apoc. 4. habetur, *dignus es Domine DEUS noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creaſti omnia*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: ſimiliter Concilia generalia, & PP. docent, DEUM, & non Angelos creâſſe animas rationales, & omnia; unde Concil. Nicænum *in Symbol.* ait, *credimus in unum Patrem Omnipotentem, omnium viſibilium, inviſibiliumq́; factorem.* Idem dicit Concil. Conſtantinopolitanum *in ſuo Symbol.* Et apertiùs Concil. Lateranenſe ſub Innocentio III. & S. Leo I. Papa *epiſt. ad Torib.* ubi ait, *animæ hominum priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuêre; nec ab ullo incorporantur, niſi ab opifice DEO, qui & ipſarum eſt Creator,* &c. Idem habet Auguſtinus *epiſt. ad Hieronymum,* & *epiſt. ad Optat*: Ergo &c. *Quartò*; anima rationalis eſt terminus creationis: ſed Angeli nequeunt creare, utì pluribus oſtendo *tom. 2. Scholæ meæ Theolog. tract. 1. diſt. 10. q. 10.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: Gen. 1. dicit DEUS ad Angelos tanquam concreatores animarum rationalium, *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* quæ conſiſtit in animæ potentiis: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. nam *citatô locô* Gen. 1. DEUS Pater tantùm loquitur ad reliquas perſonas Divinas: nam ad quorum imaginem factus eſt homo, ad illos dicit *faciamus*: non eſt autem homo factus ad imaginem Angelorum; ſed ad Imaginem DEI.

ARTICULUS III.

An ex aliquo principio præjacenti creetur anima rationalis?

DIco primò: Anima rationalis non formatur à DEO ex igne, & Spiritu; nec per modum traducis ex anima Patris mediante propagatione, & virtute ſeminali; vel ex ullo alio principio materiali, vel ſpirituali præexiſtenti, ſed creatur ex nihilo. Ita Catholici; contra Seleucianos, Maſſalianos, Tertullianiſtas, Apollinariſtas, Armenos, & Luciferianos.

Probat. prima, & tertia pars contra Seleucianos, & Maſſilianos, &c. nec extat ulla Scriptura; nec diffinitio ullius Concilii; nec teſtimonium alicujus Patris pro hac erronea opinione, quòd videlicet anima rationalis, ex igne, & Spiritu formetur: Ergo &c. Deinde ſi anima rationalis fieret ex igne, eſſet aliquando corruptibilis; & conſequenter mortalis: hoc autem eſt falſiſſimum, ùt patebit infrà *art. 7.* Ergo &c. Tandem Scriptura S., Concilia, & SS. PP. paſſim animam rationalem appellant *Spiritum*: Spiritus autem nihil habet de entitate materiali ignis: Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum conſiſtunt in mera voluntaria, & erronea opinione eorundem, nullis probationibus innixa.

Probat. ſecunda pars contra Tertullianiſtas, &c. ſed nec pro opinione Tertullianiſtarum, Apolliniſtarum, & Luciferianorum; (aſſerente animam rationalem fieri per traducem ex anima Patris mediante ſemine) ullus S. Scripturæ textus, vel dogma Concilii, vel S. Patris afferri poteſt: imò omnes SS. PP. Orientalis Eccleſiæ, Tertullianô exceptô, aſſerunt animas non oriri ex generatione quadam, propagatione, & virtute ſeminali; unde S. Auguſtinus *lib. novi Teſtament.* ait, *inhoneſtum puto, ſi dicantur animæ corporis generari, ut anima naſcatur ex anima.* Et *lib. de Eccleſ. dogmat.* dicit, *animæ non cum corporibus ſeminantur*: Ergo &c. *Secundô* roboratur hæc pars concluſionis authoritate Juris Canonici, quod *cauſa 32. q. 2. cap. Moyſes*, dogma his verbis proponit, *Anima non in conceptu corporis naſcitur cum ſemine derivata*: Ergo &c.

Probat. eadem pars tertiò ratione: ſi anima eſſet ex traduce, mediantè ſemine, ſeu propagatione, & generatione quadam, vel ex alio ptincipio materiali, aut oriretur ex carne, aut ex anima generantis: non ex anima; quia aliàs

Digitized by Google

aliàs anima generantis eſſet diviſibilis, & conſequenter mortalis; quòd partim ſuprà *diſt. 1. q. 3.* reprobavi; partim *art. 7.* refutabitur: nec etiam ex carne; quia aliàs anima eſſet corporea; ex corporé enim non poteſt fieri niſi corporeum; Eſſet etiam corruptibilis; quia omne corporeum genitum eſt corruptibile: Ergo anima non eſt ex traduce, mediante ſemine, ſeu generatione, & propagatione. Probat. tertia pars concluſionis: principium quodcunque materiale nequit producere ſpirituale: ſed anima eſt ſpiritualis, juxta D. Auguſtinum *2. de Trinitat. 8* Ergo anima nequit oriri ex quocunque materiali principio. Tandem anima eſt incorruptibilis: Ergo nequit oriri ex materiali, quod eſt corruptioni obnoxium.

Objiciunt adverſarii *primò*: pſal. 32. dicitur de formatione animæ rationalis, *qui fingit Spiritum hominis in ipſo*; quô datur intelligi, DEUM inſtar figuli ex præſubjecta (utique animâ patris, quæ proportionata eſt) fingere; id eſt formare animam rationalem: Ergo &c. *Secundò* S. Auguſtinus videtur ſenſiſſe cum Tertulliano *in epiſt. ad Hieronymum*: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*, per illum textum pſal. 32. ſolùm dare intelligi, quòd DEUS ipſe creet animam rationalem; & non alia aliqua cauſa creata effectrix; unde ly *fingere* ibi non accipitur in ſenſu materiali pro formatione rei ex præexiſtente maſſa; ſed pro effectione ex nihilo. *Ad Secundum* Neg. Ant. ſed S. Auguſtinus *loc. cit.* tantùm ſentit, quòd contra oppoſitam ſententiam Tertulliani non adſit evidens S. Scripturæ teſtimonium, quô condemnari poſſit; unde idem etiam ſolvit teſtimonia ſibi objecta; adhæret tamen ſententiæ, in concluſione propoſitæ.

ARTICULUS IV.

An anima rationalis fuerit creata longè ante ſui infuſionem in corpus?

DIco primò: quævis anima rationalis tunc demum creatur, quando infundenda eſt corpori; unde nulla longo tempore ante ſui unionem cum corpore præextitit. Ita Catholici; contra Origenem, Priſcillianiſtas, Barol. Philaſtrum Brix & Joan. Epiſcopum Jeroſolym. &c. qui in hoc Platonizârunt.

Probat. *primò*: oppoſita opinio erronea nullô S. Scripturæ fundamentô, nec ulla definitione Eccleſiæ; aut teſtimoniô alicujus S. Patris nititur: Ergo &c. *Secundò* Summi Pontifices priſci, & Concilia oppoſitam ſententiam reprobârunt; unde Leo I. Papa *epiſt. 91. ad Epiſcop. Aſtorg.* dogmatizat ſic, *conſtanter & veraciter prædicamus, rationalem animam non priùs extitiſſe, quàm corpori fuerit unita.* Et Concil. Bracarenſe *cap. 6.* ait, *ſi quis animas humanas priùs in cœleſti habitatione peccâſſe, & propter hoc in corpora humana in terram dejectas, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit*: Ergo &c.

Probat. *tertiò*: ſimiliter SS. PP. priſci docuerunt, animas non præextitiſſe ante informationem ſuam in corpora; uti videre eſt apud Hieronymum *in epiſt. ad Palmach.* Et Auguſtinum *lib. de Eccleſ. dogmat. cap. 17.* dicentem, *animas hominum dicimus non eſſe ab æterno inter cæteras intelligibiles creaturas, ut Academici quidam finxêre; nec ſimul a conſtitutione mundi creatas; ut Origenes; ſed ſimul creando infunduntur, & infundendo creantur. Quartò* ratione: DEUS qua ens ſapientiſſimum, nihil fruſtra molitur: ſed creatio animarum à principio mundi, vel ſaltem longo tempore ante propagationem ſuorum corporum, fuiſſet fruſtra: Ergo &c. Probat. Min. animæ illo tempore anticipatè creatæ vel potuiſſent operari intelligendo, vel volendo; vel non potuiſſent: ſi non potuiſſent, fruſtra ſanè fuiſſet earum creatio & productio: ſi potuiſſent; aut potuiſſent per ſuas actiones mereri, & demereri: ſi potuiſſent mereri, cur cum beatis Angelis merentibus in illam vitam beatam non fuerunt translatæ: ſi potuiſſent demereri, cur cum Lucifero non ſunt ſententiatæ ad pœnas Inferni: Ergo &c. Nec dicat Origenes; DEUM mitiùs egiſſe cum animabus, quàm cum Angelis prævaricatoribus: quia hoc dictum eſt merè voluntarium; cùm de eo non conſtet ex S. Scriptura, vel Patribus, vel CC. Et ſanè non eſſet potior ratio de Angelis lapſis, quàm de animabus lapſis.

Objiciunt Adverſarii *primò*: ex S. Litteris conſtat, DEUM poſt diem ſeptimum nihil ampliùs creâſſe, nec conſequenter animas; quia Gen. 1. dicitur *DEUS requievit die ſeptimo ab omni opere, quod patrârat.* Et quia dicitur Eccleſ. 18. *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*: Ergo &c. *Secundò*; Job. 40. dicitur de anima Job. *ecce Behemoth, quem feci tecum*, ubi per *Behemoth* intelligitur Diabolus, interprete P. Lyrannô; & per Job anima Jobi: Ergo cenſet S. Scriptura animas eſſe in principio Mundi creatas unà cum Angelis.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus rationem probativam gloſſo textum S.

Scripturæ

Scripturæ & dico; per ipſum tantùm innui, quòd DEUS quieverit ab omni opere, id eſt, ab opificio Machinæ Mundi; nam ex pòſt facto nec novos Orbes cæleſtes; nec aliquam ſpecificam terræ partem materialem notabilem novam condidit; aut ſpeciem perfectam novam: cum quo ſtat, quòd non quieverit à creatione novarum ſubſtantiarum ſpiritualium, ſingularium, & aliquarum ſpecierum minùs perfectarum, ſeu incompletarum, quales ſunt animæ rationales, indies creatæ; de quibus proinde poteſt intelligi illud Joan. 5. *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor.* *Ad Secundum*, gloſſo quoque Scripturam, & dico; ipſam debere intelligi de ſpeciebus perfectis, quòd nimirum DEUS omnes tales ſpecies in aliquibus individuis creaverit ſimul à principio mundi; non autem ſingula omnium ſpecierum individua.

ARTICULUS V.

An anima rationalis peccatrix aliquando convertatur in Dæmonem?

DIco primò: nulla anima rationalis quantumcunque mala, & peccatrix graviſſima, poſt mortem convertitur in Dæmonem, aut in brutum, juxta demeritorum qualitatem. Ita Catholici; contra Tertullianum, & alios.

Probat. *primò*; præfatæ hæreſis Tertullianæ nullum extat fundamentum in S. Litteris, Conciliis, vel SS. PP. imò ex S. Scriptura Matth. 25. conſtat, diſcrimen eſſe inter malas & immiſericordes animas, & inter malos Angelos ſeu Dæmones; unde dicitur *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Item ex eadem Scriptura conſtat ſtabilis ſtatus, & permanſio animarum in ſua entitate; unde dicitur Sap. 11. *quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes; aut quod à te vocatum non eſt, conſervaretur? parcis autem omnibus; quia tua ſunt, qui amas animas conſervans*: Ergo &c. *Secundò*: anima rationalis eſt incorruptibilis; quâ immortalis; ùt infrà oſtendetur *art. 7.* ſi autem poſt mortem converteretur in Dæmonem, eſſet corruptibilis: Ergo &c.

Objicit Tertullianus: Chriſtus Joan. 8. dicit Judæis malis, & peccatoribus peſſimis, *vos ex Patre Diabolo eſtis*: Ergo vult animas malorum Judæorum fore Diabolos. *Secundò* opponunt alii ex S. Scriptura; Joan. Baptiſta dixit ſimiliter ad quoſdam malos Judæos, *progenies viperarum, quis monſtravit vos fugere à ventura ira?* Ergo aliqui mali homines vertuntur ſecundùm animas in viperas, & alia bruta.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq, nam Salvator illâ locutione ſolùm voluit indicare Judæos ſuis aſtitiis, moribus, & malis operationibus imitari Diabolum; ſicque ejus membra eſſe; vel vult eos ex Diabolo eſſe; quia ex ejus inſpiratione impugnant ſalutares doctrinas Evangelii ſui, & quærunt eum interficere ex ſuggeſtione Diaboli. *Ad Secundum* Neg. pariter Conſeq. nam illa locutio Chriſti eſt metaphorica, & figurata; ſicut illa, quâ Chriſtus dicitur *Leo de tribu Juda; & radix David*, &c. propter aliquam convenientiam rerum inter ſe, & ſimilitudinem, ob quam unum alterius nomine exprimitur metaphoricè; itaque Joannes Baptiſta quoſdam Judæos malos vocat per metaphoram, & figuram *progeniem viperarum*, eò quòd ſicut viperæ naſcuntur, poſtquam matres ſuas devorârunt; ſic & illi Judæi mali poſtquam occidetant Patres ſuos, id eſt Magiſtros & Prophetas; tunc demum pœnitentiam agentes ſpiritualiter renaſcuntur.

ARTICULUS VI.

An detur animarum rationalium transmigratio?

DIco primò: animæ rationales poſt ſeparationem ſui à priori corpore, aut in revolutione anni Platonici nullatenus migrant in corpus aliud ad illud fovendum, vegetandum, & animandum; ita Catholici; contra Albigenſes, Albanenſes &c. impiam Platonis doctrinam de tranſitu animarum ad alia corpora, docentes.

Probat. *primò*: omnibus illis S. Scripturæ paſſibus, & aliis fundamentis, quibus ſuprà *lib. 5. cap. 6. art. 2.* oſtendi, animas juſtas omni maculâ peccati, aut reatu pœnarum temporalium carentes, poſt ſeparationem ſui à corporibus immediatè transferri ad ſtabilem & perpetuam cæleſtem Beatitudinem; item illis textibus, quibus probavi, *lib. 7. cap. 4. art. 4.* animas in peccato mortali decedentes, adjudicari ſtabiliter & perpetuò Inferno; & illis, quibus *lib. 7. cap. 2. art. 1.* demonſtravi, animas cum veniali culpa, vel cum reatu ad pœnas temporales decedentes, detrudi ad

Purgatorium : Ergo nulla anima rationalis poſt ſeparationem ſui à priori corpore migrat ad aliud corpus terreſtre, fovendum, vegetandum, & animandum.

Probat. *ſecundò*: oppoſita opinio Platonica tanquam erronea, & hæretica repudiata eſt à SS. PP. unde S. Athanaſius *lib. 6. de Beatitud. Filii DEI*, dicit, *ſi quis confitetur, animas hominum in revolutionem rurſus in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus, aut in ſerpentibus verti, anathema ſit*: Ergo &c. *Tertiò*; idem conſtat ex dictis ſuprà *art. 4.* ubi probatum eſt, animas rationales non præexiſtere ullô modô ante ſui unionem cum humano corpore; quod tamen fieret, ſi de primo corpore, quod determinatô tempore informaverant, migrarent ad aliud corpus: Ergo &c. *Quartò*; anima rationalis mea, vel tua nihil prorſus recordatur eorum, quæ in priori corpore egiſſet: Ergo ſignum eſt, eam priùs in nullo tali præextitiſſe.

Quid Hæretici pro ſuo erroneo dogmate proferant, non reperio, præter ſomnium Platonis, quem immeritò imitati fuerunt.

ARTICULUS VII.

An anima rationalis ſit immortalis, & incorruptibilis?

DIco primò: quævis anima rationalis ſuaptè natura eſt immortalis, & incorruptibilis; unde in morte hominis non interit ſimul cum corpore. Ita Catholici; contra Arabicos, varios priſcos Hæreticos, & contra quemdam Hermannum Riſuik, Batavum.

Probat. *primò* authoritate S. Scripturæ; quæ in veteri Teſtamento aſtruit animæ rationalis immortalitatem: nam Sap. 5. dicitur, *juſtorum animæ in manu DEI ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori; illi autem ſunt in pace.* Et Sap. 11. *DEUS creavit hominem inexterminabilem* (ſcilicet penes animam) *ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum*; inexterminabile autem idem eſt, quod immortale, & ſimilitudo hominis cum DEO eſt in ſola anima: Ergo anima rationalis ex veteri Teſtamento aſſeritur immortalis. *Secundò* authoritate ejuſdem ex novo Teſtamento; nam Matth. 10. dicitur, *animam autem occidere non poſſunt.* Et Joan. 12. *qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Et paſſim in Lege nova benè operantibus æterna prœmia, & malè operantibus æterna ſupplicia repromittuntur (quod etiam eſt argumentum Concil. Lateran. mox citandi) quæ utique ſupponunt animæ exiſtentiam poſt mortem: & conſequenter ejus immortalitatem: Ergo &c.

Probat. *ſecundò* authoritate Concilii Lateran. III. *ſeſſ. 8. dogmatizantis*; *damnamus, & reprobamus omnes, aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe; & hoc in dubium vertentes; cùm illa non ſolùm verè per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat; verum & immortalis; quod manifeſtè conſtat ex Evangelio*, ſcilicet locis *priori probatione* citatis, & aliis. Et ſuperaddens rationem Theologicam ait, *alias Incarnatio, & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſent; nec Reſurrectio exſpectanda foret; ac Sancti, & Juſti miſerabiliores eſſent juxta Apoſt.* (1. ad Cor. 15.) *cunctis.*

Probat. *tertiò* authoritate SS. PP. qui unô calamô, & ore aſſerunt animæ rationalis immortalitatem; ùt videre eſt apud S. Auguſtinum, qui confecit librum integrum de immortalitate animæ rationalis. Et Nazian. *lib. de anima.* Et Gregorium *4. dialog. cap. 45.* Et S. Clementem *lib. 6. conſtit. Apoſt. cap. 11.* dicentem, *nos animam incorpoream, & immortalem affirmamus, nec interire eam ſicuti corpora; ſed perpetuò manere, ut ratione participem, & & libertate præditam.*

Probat. *quartò* ratione: tum quia naturalis omnium hominum conſenſus, & inſtinctus naturæ dictat animæ rationalis immortalitatem, unde Seneca *epiſt. 127. cùm de animarum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.* Tum quia decet Divinam Providentiam omnia gubernantem, & ſapienter curantem, ut probis animalibus det prœmium, impiis ſupplicia; ſed hoc ſæpè non fit in iſta mortali vita; quia ùt S. Chryſoſtomus *hom. 4. de provid.* dicit, *in hac mortali vita impii proſperam ſæpiùs agunt vitam, divitiis affluunt, ſanitate gaudent; boni verò, & ſtudioſi adverſa patiuntur*: Ergo hoc fieri debet in altera vita, ubi proinde animæ immortales erunt ſuperſtites ad recipienda prœmia, & ſupplicia pro menſura, & qualitate ſuarum actionum: unde ſubdit citatus S. Pater, *ergo non videtur æqua diſtributio, nec digna DEI Providentia, niſi alia eſſet vita, in qua improbi meritas pœnas luerent; juſti verò digna prœmia reciperent: at ſi alia ſit vita, in qua DEUS bonis, & malis juſta retribuit, anima erit poſt corpus ſuperſtes: & immortalis.* Tum quia anima rationalis eſt ſpiritualis, ſpirituale autem eſt incorruptibile; quia caret materiâ primâ, quæ eſt radix corruptionis: Ergo anima rationalis eſt incorruptibilis; & conſequenter immortalis. Tum quia anima rationalis

rationalis præſtat dignitate, & perfectione animabus omnium aliorum viventium materialium: Ergo ejus conditio debet eſſe melior, quàm illarum; & conſequenter cùm animæ aliorum viventium ſint mortales, anima rationalis debet eſſe immortalis ſuâpte naturâ. Tum quia anima rationalis habet intellectum, & voluntatem, & illis exercet eminentes operationes, ſicut Angelus, & DEUS; intelligit enim nedum ſingularia; ſed etiam univerſalia; percipit entia realia, & rationis, complexionéſque eorum; ratiocinatur, & ex notis ad ignota progreditur, ex principiis ſeu præmiſſis infert concluſiones; Syllogizat demonſtrativè, & dialecticè; ſcit ſe ſcire; & intelligit ſe intelligere: quæ omnes operationes reddunt animam rationalem ſimilem Angelis, & DEO: Ergo ſicut Angeli, & DEUS præditi intellectu & voluntate, ac reſpectivè exercentes ſimiles eminentiſſimas operationes, ſunt immortales ſuâpte naturâ; ita animæ rationali quoque immortalitas à natura concedenda eſt. Tum tandem, quia anima rationalis creatur: Ergo eſt incorruptibilis intrinſecè reſpectu cujuſcunque agentis creati.

Objiciunt Adverſarii *primò*: S. Litteræ faciunt animas rationales mortales; Ergo &c. Probat. Ant. nam Eccleſ. 3. dicitur, *unus eſt interitus hominis, & jumentorum*: Ergo ſicut animæ jumentorum intereunt, & propterea ſunt mortales; ita etiam animæ rationales. Item Levit. 21. dicitur, *ſuper omnem animam mortuam non introibit.* Item 1. ad Timoth. 6. ſolus DEUS aſſeritur immortalis, illis verbis: *ipſe eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium; qui ſolus habet immortalitatem. Secundò* Concil. Conſtantin. VI. Act. 11. approbat Epiſtolas Sophronii, in quibus habetur, animas noſtras eſſe quidem immortales; ſed gratiâ DEI: Ergo cenſet Concilium eas non eſſe ſuâpte naturâ immortales. *Tertiò*; ratio creationis animæ rationalis non obſtat, quò minùs ſit corruptibilis, & mortalis: Ergo &c. Probat. Ant. habitus ſupernaturalis gratiæ creatur; & tamen eſt corruptibilis à peccato: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus Probat. gloſſo primam authoritatem Eccleſiaſtes, & dico primò; ipſam intelligendam eſſe de compoſito Phyſico hominis, & jumentorum; ut ſenſus ſit, quòd utriuſque compoſitum Phyſicum tandem pereat, & diſſolvatur: cùm quo ſtat, quòd anima compoſiti humani remaneat ſuperſtes, & immortalis ſit. Dico *ſecundò* cum P. Lyra, illam ſententiam non eſſe oraculum aſſertivum Spiritûs S. ſed opinionem falſam, prolatam in perſona impiorum, maximè Saducæorum, negantium Angelum, & animam rationalem eſſe immortalem, ac mortuorum Reſurrectionem; ea ſcilicet de cauſa, ut liberiùs indulgere valerent deliciis corporalibus: unde Sap. 2. eorundem erronea hæc opinio ſic adducitur, *dixerunt enim impii cogitantes apud ſe non rectè, exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigium in fine hominis, & non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus*; & paulo pòſt ſubinferunt, *venite ergo fruamur bonis, quæ ſunt* &c. *Ad ſecundam authoritatem* Levitici dico, nomine *animæ mortuæ* intelligi corpus mortuum; & eſt locutio figurata per Synecdochen, qualis eſt illa Gen. 37. *non interficiamus animam ejus*, id eſt corpus. *Ad tertiam authoritatem* Apoſtoli dico; ideo dici DEUM ſolum habere immortalitatem; quia ipſe omnimodè, & immutabilis, & immortalis eſt; ita ut à nullo prorſus agente poſſit annihilari: cum quo ſtat, quòd anima rationalis etiam ſit immortalis aliâ minori immortalitate, id eſt naturali, & reſpectu agentium naturalium; etſi ab agente Divino poſſit annihilari; nunquam tamen annihilabitur. *Ad ſecundam Objectionem* ex Concilio Conſtan. Neg. Conſeq. & dico, Concilium ideo tantùm aſſerere animas rationales eſſe ex gratia immortales, quia videlicet DEUS gratuitò ipſis contulit naturam incorruptibilem; & quia non ſunt ita immortales omnimodè uti DEUS: cum quo ſtat, quòd per acceptam ſemel gratuitò naturam maneant deinde ſuâpte naturâ, & reſpectu agentium creatorum incorruptibiles, ac immortales. *Ad tertiam Oppoſitionem* Neg. Ant. ad ejus Probat. dico, habitum gratiæ eſſe quidem corruptibilem à peccato; ſed demeritoriè tantùm, ac ex DEI ordinatione; non autem phyſicè. Itaque quando peccatum ponitur, tunc non per peccatum phyſicè evacuatur gratia; ſed à DEO ſubtrahente concurſum ſpecialem conſervatotium annihilatur.

CAPUT X.

De Angelis.

ARTICULUS I.
An dentur Angeli?

NOta primò: Angelus rectè deſcribitur, quod ſit *quædam ſubſtantia purè ſpiritualis, intellectualis, libera, completa, & propriè creata.* ly *Angelus* nomen Græcum derivatur à vocabulo *aggello*, hoc eſt *nuncio*; quod eorum officium exprimit; dicente Auguſtino in pſalm. 103. *Spiritus Angeli; & cùm Spiritus ſint, non ſunt Angeli; cùm verò mittuntur, ſiunt Angeli*: unde liquet nomen *Angeli* non eſſe naturæ; ſed officii; uti bene obſervat *cit.* S. Pater.

Dico primò: extant Angeli in rerum natura. Ita Catholici; contra Saducæos, Manichæos, & quoſdam recentiores Hæreticos.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura: S. Litteræ veteris, & novi Teſtamenti paſſim meminerunt Angelorum; ſignanter Gen. 18. Judicum 2. Iſaiæ 6. & in libris Danielis, & Apocalypſeos ſæpiſſimè. Item Pſal. 103. *qui facit Angelos ſuos Spiritus*: Et Matth. 4. *Angelis ſuis DEUS mandavit de te*: Ergo verè exiſtunt Angeli.

Probat. *ſecundò* ex CC. nam in Lateran. (ùt reliqua taceam) *in cap. firmiter de ſum. Trin.* expreſsè dicitur, *DEUM ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe naturam, Angelicam, & mundanam*: Ergo &c. *Tertiò* ex SS. PP. ſignanter D. Bernardo *lib. 5. de conſid. cap. 3.* Aug. *enarrat.* in pſal. 103. dicente: *quamvis non videamus apparationem Angelorum: abſcondita enim eſt ab oculis noſtris, & eſt in quadam Rep. magni Imperatoris DEI; tamen eſſe Angelos novimus ex fide.* Et S. Damaſceno *in Element. cap. 12.* docente, *DEUM ſecundùm unamquamque ſpeciem feciſſe Angelos*: Ergo exiſtunt in hoc univerſo Angeli. Horum exiſtentiam etiam quidam perſpicacioris ingenii Philoſophi Gentiles attigêre, ùt Plato & Ariſtoteles, eoſque appellârunt *intelligentias, Genios, Deos ſecundarios, Cœlorum animas, ſpecies ſeparatas.*

Probat. *quartò*: Ratio Phyſica quoque ſvadet Angelorum exiſtentiam; nam obſervamus ſæpius à Sagis, Magis, & Energumenis portentoſas, & vires humanas ſuperantes exerceri operationes; à Sagis quidem, quòd breviſſimo tempore de uno ad alium remotiſſimum locum per aëra devehantur; horribiles excitent tempeſtates ad applicationem minutarum rerum, aut ad prolationem paucarum vocum: item quòd modicæ virgæ vertantur in ſerpentes à Magis Ægypti: ab Energumenis verò, quòd ſubitò fortiſſimas diſrumpant catenas; linguis loquantur peregrinis, quas nunquam didicerunt, arcana pandant &c. Sed hujuſmodi operationes nulli alteri cauſæ adſcribi poſſunt, quàm Angelis malis exiſtentibus: Ergo ratio ſvadet dari Angelos. Probat. Min. hujuſmodi operationes non poſſunt adſcribi DEO; quia DEUS ad opera nefaria portentoſa, qualia pleraque ſunt Sagarum, & Magorum, non ſolet concurrere; unde talia ſæpius ad invocationem Divini Numinis ſolent evaneſcere. Nec eſt etiam ulla ratio, cur ad opera mira Energumenorum concurreret, utpote quæ nullius ſunt utilitatis; & aliunde conſtet, obſeſſos quandoque medicamentis contemperantibus humores, quandoque muſicâ, utì fiebat cum Saule 1. Reg. 16. ad tempus ſanari, quòd utique non fieret, ſi eorum opera vires excedentia à DEI concurſu particulari penderent; nam is ſimilibus non repelleretur ab aſſiſtendo Energumenis. Nec hujuſmodi operationes miræ adſcribi poſſunt animabus aliquibus ſeparatis; quia anima ſeparata non habet plùs activitatis circa corpus aliquod; quàm unita; quia ipſa ſequitur in operando corporaliter conditionem naturalem agentis. Accedit, quòd Spiritus Energumenum torquens, conſtrictus devotis exorciſmis fateatur plerumque ſe talem, vel talem dœmonem eſſe; & non animam.

Probat. *quintò* rurſùs ratione: regulatiſſimus quoque, & multiplex motus Orbium cœleſtium excentricorum, & concentricorum, totiuſque Sphæræ mobilis; Aſtrorum etiam ortus, & occaſus; aliæque paralaxes miræ cœleſtes ſvadent Angelorum exiſtentiam, quia ejuſmodi motus regulares ſuâ aſſiſtentiâ efficiunt, utì benè diſcurrit Ariſtoteles: Ergo &c. ſvadet *ſextò* idem ipſa congruentia, quam allegat D. Thomas *1. par. q. 50. art. 1.* Angelorum exiſtentia ſpectat ad pulchritudinem Univerſi; nam ſi animæ rationales, etſi ſint ſubſtantiæ incompletæ, pertineant ad decorem, & complementum hujus

jus univerſi; quantò magis Angeli, qui ſunt ſubſtantiæ completæ & nobiliores.

Objiciunt Hæretici *primò*: omnia opera mira, ex quibus arguunt Catholici Angelorum exiſtentiam, provenire poſſunt ab animabus ſeparatis, utpote quæ à corpore ſolutæ, & quà Spiritus puri pollent inſigni velocitate, ac vi applicativâ activâ paſſivis; ſpeciali iditem vi intellectivâ, & executivâ potentiâ, quibus mira operari valent: Ergo fruſtra finguntur Angeli. *Secundò*; ille motus regulatus Sphærarum cæleſtium, ex quo arguunt Catholici exiſtentiam Angelorum, provenit ex ipſa eſſentia, & natura Sphærarum illarum, quæ in prima ſui creatione ita à DEO architectatæ fuêre, ad talem motum edendum: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ob rationem datam *probat. 5.* Et quia animæ immediatè poſt ſeparationem ſui à corporibus deferuntur, ad ſua determinata loca, puta vel Cœlum, vel ad Infernum, vel ad Purgatorium, quò juſtô DEI Judiciô determinatæ ſunt, nec ſinuntur ſe applicare ad opera aliqua infra Sphæram lunæ exercenda, quô pactô exercentur ope malorum Angelorum illa mira opera à Sagis, Magis, & Energumenis. Tandem cur credit Hæreticus potiùs ejuſmodi opera mira exerceri ab animabus ſeparatis; & non ab Angelis? cùm ipſi communiter aſſerant animas rationales corrumpi ſimul cum corpore. *Ad Secundum* Neg. pariter Ant. quod omninò falſum eſſe jam olim cognovit Doctiſſimus Ariſtoteles; unde 8. Metap. tex. 52. Et 12. Metap. tex. 43. aſſeruit, motum Cœlorum oriri ab Intelligentiis; id eſt Angelis. Deinde ſi ipſa natura cœleſtium Sphærarum eſſet principium effectivum motûs, tam regulati ipſarum, non poſſet aſſignari cauſa, cur Sphæræ præfatæ motu raptûs potiùs ab Oriente in Occidentem; quàm è contra moverentur: natura enim non eſt magis nata efficere hunc, quàm illum motum. Item ſequeretur, quòd motus Cœlorum eſſet ipſis naturalis, & naturaliter debitus; quod falſum eſt; quia aliàs poſt diem Judicij, quando Cœli quieſcent, eſſent in ſtatu violento quietis; quod non eſt verum.

ARTICULUS II.

A quo Angeli ſint creati, & quo tempore ?

Dico primò: Solus DEUS creavit Angelos, tam malos, quam bonos. Ita Catholici; contra Valentinianos, Riſuik, Batavum, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat Angelos etiam malos eſſe creatos à DEO; unde Job. *40. ecce Behemoth, quem feci tecum*, ubi nomine *Behemoth* teſte Hieronymo, & Gregorio venit Dæmon, ſeu malus Angelus à DEO creatus. Et ibidem dicitur, *ipſe eſt principium viarum DEI*; quod gloſſat, Gregorius dicens, *& principium viarum DEI Behemoth dicitur, quia nimirum cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.* Et pſal. 103. generaliter de omnibus Angelis dicitur, *qui facit Angelos ſuos Spiritus.* Idem habetur ad Hebræos 1. *cap.* Et Joan. 1. dicitur, *omnia per ipſum facta ſunt*; & conſequenter etiam Angeli omnes à DEO facti ſunt: Ergo &c.

Probat. *ſecundò*: concluſionem quoque definit Concil. Lateran. ſub Innocentio III. de Deo Creatore C. firmiter. Sic dicens, *Creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam. Tertiò*: Eandem doctrinam de creatione Angelorum omnium à DEO habent paſſim SS. PP. ſignanter Epiphanius *hæreſ. 65.* Theodoretus *q. 3. in Gen.* Auguſtinus *lib. 11. de Civitat. cap. 6.* Gregorius *lib. 30. Moral. cap. 9.* Ergo &c.

Objectiones Hæreticorum, ſignanter Valentinianorum conſiſtunt in mera fabula, quâ volunt Luciferum genitum fuiſſe à trigeſima Æna, ab eoque deinde reliquos Diabolos fuiſſe procreatos, & ab his fabricatum totum mundum: quòd quia commentum purum redolet, non eget ulla reſpoſione, niſi negatione mera ejuſdem.

Dico ſecundò: Angeli omnes creati ſunt à DEO tempore formationis machinæ hujus univerſi; & non longè ante. Ita Catholici; contra Origenē, ac quoſdam Græcos priſcos.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura Geneſeos habetur, DEUM in principio (id eſt antequam quidquam faceret; uti exponit D. Auguſtinus *lib. 11. Civit. cap. 6.*) creâſſe Cœlum, & terram: Angeli autem pſal. 148. annumerantur iis, quæ in Cœlo ſunt: Ergo Angeli omnes creati ſunt à DEO ſimul tempore forma-

formationis machinæ hujus univerſi. *Secundò*, idem conſtat apertè ex Concil. Lateran. pro priori concluſione relato *in probat. 2. Tertiò* ſimiliter SS. PP. pro priori concluſione recitati *in probat.* 3. ſimultaneam creationem Angelorum cum tota Sphæra univerſi aſſerunt: Ergo &c.

Probat. *quartò*: Ratio quoque idem ſvadet; nam Architectus Divinus hoc Univerſum molitus eſt tanquam opus abſolutiſſimum, & omni requiſitâ perfectione præditum: ſed hujuſmodi perfectio conſiſtit tam in corporali, quàm in ſpirituali creatura univerſi condita: Ergo utramque ſimul molitus eſt in creatione univerſi. *Præterea* Angeli ſuâpte naturâ ſunt promptiſſimi ad operandum: Ergo reprobi non videntur diu ſtetiſſe in gratia poſt ſuam creationem, ſed lapſi fuiſſe: lapſi autem fuerunt paulo poſt creationem Cœli, & terræ: Ergo cum Cœlo, & terra fuerunt creati.

Objiciunt Adverſarii *primò*: S. Litteræ produnt creationem Angelorum peractam eſſe ante plaſmationem Cœli, & terræ; nam ad Tit. 1. *cap.* Incarnatio Verbi promittitur ipſis jam ante creationem mundi, *quam promiſit*, (inquit Scriptura) *DEUS ante tempora ſæcularia*: Ergo &c. *Secundò* Job. 38. habetur, *ubi eras quando ponebam fundamenta terræ* &c. *cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes Filii DEI*, id-eſt *Angeli*, ùt vertunt ſeptuaginta Interpretes: ex quibus verbis habetur jam præextitiſſe Angelos jubilantes ad initium formationis mundi, ſeu totius univerſi. *Tertiò*, multi Græci PP. ùt Chryſoſtomus, Damaſcenus, Nazian. Baſilius, &c. ſenſerunt Angelos fuiſſe creatos ante ſtructuram mundi: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad textum Tit. 1. *cap.* dico, per ly *promiſit* intelligi Divinum decretum prædeſtinans Incarnationem Verbi Divini, quod quia fuit ab æterno, ideo rectè dicitur factum ante tempora ſæcularia & formationem totius univerſi, ac abſque reſpectu ad creaturas aliquas, actu exiſtentes: & hæc Gloſſa eruitur ex S. Chryſoſt. & S. Anſelmo ſcribentibus in præfatum textum. *Ad Secundum* dico, ex illo textu Job. 38. ſolùm haberi, quòd quando DEUS mundum architectabat terram coordinando, ut appareret arida, & apta redderetur ad generationem fructuum, herbarum &c. (quod contigit tertio die creationis juxta S. Geneſim *cap. 1.* ſimiliter quando deſignabat aſtra) quod contigit quartò die teſte eadem Geneſi, quòd jam illo tempore Filii DEI, id eſt Angeli, jubilarent; nam ipſi primo die cum formatione Cœli, & terræ creari fuerunt; & illico, ut advertit V. Beda *in Hexamer.* in Laudem ſui Creatoris jubilando proruperunt, creationem ſui agnoſcentes, DEOque ut authori Univerſi eam attribuentes. *Ad Tertium* dico *primò*; illos SS. PP. ſic quidem forſitan ſenſiſſe; quia necdum ab Eccleſia definitum fuit tempus creationis Angelorum; at horum opinio poſtea per Concil. Lateranenſe ſub Innocentio III. ſublata fuit, per Decretum *pro 1. concluſione probat. 2.* relatum. *Secundò* dico, illos PP. Græcos tantùm velle, quòd Angeli creati ſint ante ornatum Cœli factum, per diſtinctionem aſtrorum, qui primò factus eſt die quarta, ſecundùm Gen. *cap. 1.* & ante ornatum terræ, qui factus eſt die tertio.

ARTICULUS III.

An Angeli ſint incorruptibiles?

Dico primò: omnes Angeli ſunt incorruptibiles, & immortales, ita ùt nunquam annihilabuntur. Ita Catholici; contra Libertinos, &c.

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ; quæ variis in locis promittit bonis æternam vitam gloriæ, & malis cruciatus æterni ignis; ùt Matth. 25. & Luc. 20. ſed Angeli partim ſunt boni, confirmati in gratia, & ordinati ad gloriam; partim mali, & determinati in gehennam ignis: Ergo Angelis concedenda eſt immortalitas, aliis in gloria, aliis in gehenna.

Probat. *ſecundò*; anima rationalis ex definitione Concil. Lateran. ſub Leone X. eſt immortalis, non obſtante affinitate ad corpus mortale, quod informat: Ergo à fortiori Angelus nullam dicens affinitatem ad corpus corruptibile. *Tertiò*: SS. PP. immortalitatem Angelis attribuunt; ùt videre eſt apud D. Baſil. *in Pſal.* 44. Et S. Dionyſium *cap. 4. de Div. Nom.* dicentem: *Angeli habent vitam ſempiternam.* Et S. Athanaſ. *Tract. de definitio*: docentem: *licèt Angeli initium habuerint, immortales ſunt, & æternùm vivent. Quartò*; hæc immortalitas fundatur partim in natura ſimplici Angelica, communis materiæ, & compoſitionis phyſicæ expertæ; & conſequenter non deſtruibili per aliqua agentia creata phyſica; partim etiam in peculiari DEI concurſu conſervativo, quò manutenet in ſuo eſſe ſubſtantiam hanc à ſe creatam creatione propriè dictâ, valdè ſublimem in entitate; & proximè ad Divinum eſſe accedentem; ita ut planè in S. Litteris nomine

nomine Divino *Jehovah* inſigniatur, & *collocetur*, ùt ait S. Dionyſ. *cap. 5. de Div. Nom. in ipſo veſtibulo ſuperſubſtantialis Trinitatis.*

Objectiones Hæreticorum nituntur ſolo erroneo aſſerto Hæreticorum, quod nullò S. Scripturæ, vel SS. PP. teſtimoniô comptobari poteſt.

ARTICULUS IV.

An inter Angelos ſit aliqua Hierarchia, & Ordo?

NOta primò: ly *Hierarchia* Græca vox ſonat latinè *Sacrum Principatum*; unde Angelica Hierarchia rectè ſic deſcribitur, quòd *ſit Principatus, ſeu cœtus diverſorum Angelorum, pollentium poteſtate quâdam ſacrâ & functione, cum ſubordinatione, & connotatione ad unum ſupremum caput, ac Principium.* Ordo verò Angelicus, quòd *ſit certa collocatio Angelorum in hac, vel in illa Hierarchia Angelica, habentium peculiare aliquod munus*; quam Catholici rectè vocant Chorum Angelorum, Cherubinorum, Seraphinorum, &c.

Dico primò: in cœleſti Republica omnino conſtitutæ ſunt certæ Hierarchiæ, & Ordines Angelorum. Ita Catholici; contra Calvinum, Bezam, Eraſmum, &c.

Probat. *primò*: authoritate S. Scripturæ; quæ meminit Angelicarum Hierarchiarum, & Ordinum puta Ordinis Seraphinorum *Ezech. 10.* Cherubinorum *ad Epheſ. 1*, Dominationum; Principatuum, Poteſtatum, & Virtutum *ad Coloſſ. 1.* Thronorum *1. ad Theſſal. 4.* Arch-Angelorum *Daniel. 10.* ubi quidam Angeli dicuntur cuſtodire Regna, & Nationes, quod eſt munus Arch-Angelorum. Et Angelorum *ad Roman. 8.* & alibi ſæpè: Ergo dantur varii Ordines Angelotum, & Hierarchiæ in cœleſti Republica.

Probat. *ſecundò*: authoritate Eccleſiæ, quæ jam ab antiquo enumerat varios Ordines Angelorum & Hierarchias in Officio omnium Sanctorum: Ergo in cœleſti Rep. revera conſtitutæ ſunt certæ Hierarchiæ, & Ordines Angelorum. *Tertiò* idem conſtat authoritate SS. PP. unde eandem Doctrinam exactam tradidit imprimis S. Dionyſ. *totò librò de cœleſti Hierarchia*; dicitque ſe illam habere à clariſſimo ſuo Præceptore, & ſacrorum initiatore S. Paulo. De iiſdem quoque ſacris Principatibus ſcripſêre alii SS. PP. Græci, ùt D. Ignatius *Epiſt. ad Trall.* Et Irenæus *lib. 2. cap. 54.* Et S. Athanaſius *lib. de communi eſſentia.* Et S. Baſilius *in ſua Liturgia*, inquiens, *Te laudant Angeli, atque Arch-Angeli, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, & multi oculi Cherubim, tibi adſtant in circuitu Seraphim.* Et Damaſc. *lib. 2. de fide cap. 3.* Chryſoſtomus *hom. 4. de Incomp.* Similiter Latini PP. Angelicas Hierarchias, & Ordines profitentur, puta Hieronymus *lib. 11. contra Jovin.* S. Auguſtinus *lib. contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas cap. 10.* Hugo Victorinus *in ſum. ſent. Tract. 2. cap. 5.* Anſelmus *ad cap. 12. ſecundæ ad Corinth.* S. Bonaventura, S. Thomas, &c.

Probat. *quartò* ratione: Angelorum merita in via fuerunt inæqualia: Ergo & gloria. Unde credendum eſt illos Angelos, qui maximè cooperati fuêre acceptæ gratiæ, relatos eſſe in unam ſupremam Hierarchiam, ubi maxima gloria; & ſic deinceps de aliis. Deinde decet terrenum Regem habere multos Miniſtros collaterales in varios cætus, & Ordines diſtributos: Ergo à fortiori hoc decet Regem cœleſtem: adeoque in cœleſti Republica conſtitutæ ſunt certæ Hierarchiæ, & Ordines Angelorum.

Nota ſecundò: ponuntur autem à S. Dionyſio priſco Patre Sapientiſſimo & Apoſtolorum diſcipulo tres Hierarchiæ, & novem Ordines, ſeu Chori Angelorum, quæ totam Remp. Angelicam conſtituunt; de quibus ſingulis vide *Tom. 1. mea Schola Theologicæ tract. 4. diſt. 2. quæſt. 6.*

Objectiones Hæreticorum conſiſtunt in mera erronea eorum doctrina, quam nullâ Scripturâ, Concilio, S. Patre, vel ratione ſtabilire poſſunt.

ARTICULUS V.

An ſinguli homines habeant Angelum ſuum Cuſtodem?

DIco primò: ex ordinatione Divinæ Providentiæ, & bonitatis ſingulis hominibus Cuſtodes Angeli SS. deputantur, ſive illi homines ſint Gentiles, ſive magni peccatores, ſive juſti, ſive parvuli, ſive adulti, ſive prædeſtinati, ſive reprobati. Ita communis TT. contra Calvinum, ejuſque Aſſeclas.

Probat. *primò*: generaliter de omnibus: Tum quia DEUS vult omnes homines, cujuſcunque conditionis ſint, ſalvos fieri, ſecundùm doctrinam D. Pauli: Ergo omnibus dat media ſufficientia ad ſalutem: ſed inter hæc quoque numeratur Cuſtodia Angelica: Ergo omnibus omnino hominibus deputatur Cuſtodia Angelica. Tum quia ita ſentiunt unanimiter SS. PP. D. Baſilius, Nyſſenus, Gregorius,

gorius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, S. Bernardus *lib. 5. de conſid. cap. 4.* dicens, *putemus Angelos dici (niſi tu convenientius aliquid conſideraſti) qui ſinguli ſingulis hominibus dati ſunt.* Et D. Hieronymus *in cap. 18. Matth.* ait, *Magna eſt dignitas animarum, at unaquaque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Quare Nyſſenus *lib. de vita Moyſis* hanc veritatem rectè appellat *Traditionem, & verum ſermonem*: Ergo omnibus hominibus indefinitè deputati ſunt SS. Angeli Cuſtodes.

Probat. *ſecundò* peculiariter de quavis conditione hominum: nam inprimis *Gentilibus* data eſt Cuſtodia Angelica; utì patet de Perſis, & Medis, qui habebant Angelos Tutelares, teſte Daniele Prophetâ *cap. 10.* & de Cornelio, qui adhuc Ethnicus ab Angelo fuit admonitus, ut mitteret viros in Joppen, & accerſeret Simonem Petrum, ab eoque in Evangelio inſtrueretur, & baptizaretur, *Act. 10.* Ergo &c.

Probat. *de magnis peccatoribus*: hi enim præ cæteris Angelicâ tutelâ egent, ad expurgandas pravas conſvetudines peccandi; ad reſiſtendum tentationibus, atque ſuggeſtionibus Dæmonum peccatorum illecebras inſtillantium, ad declinandos laqueos novorum flagitiorum, de quibus Pſalmiſta Pſalm. 141. *in via hac, quâ ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.* Ergo de Divina Providentia, & bonitate præſumendum eſt, quòd pro magnis quoque peccatoribus convertendis, & præſervandis Angelicam Cuſtodiam ordinârit.

Probat. *de juſtis*: quia ita docent omnes PP. ex quibus audi unicum Baſilium, *lib. 3. contra Eunom.* dicentem, *quòd autem unicuiq, fidelium adſit Angelus tanquam Pedagogus aliquis, & Paſtor vitam gubernans, nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis, ne contemnatis unum ex his puſillis, quoniam Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt: & Pſalmiſta dicit, caſtra metabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipſum.* Et propterea legimus in S. Litteris, Judith juſtam cuſtoditam fuiſſe ab Angelo in caſtris Holofernis; & Petrum Apoſtolum ab Angelo è cuſtodia eductum, &c. Ergo juſtis deputati ſunt certi SS. Angeli Cuſtodes.

Probat. *de Parvulis*: Quia & circa horum cuſtodiam conſtans eſt Patrum conſenſus; utì patet ex D. Hieronymo ſuprà *Probat. 1. citat.* Et ex D. Bernardo *ſerm. 12. in pſal. 90.* dicente, *parum eſt enim, quòd facis Angelos tuos Spiritus; facis & Angelos parvulorum.* Et favet apertè ille textus Evangelicus, *nè contemnatis unum ex his puſillis, quoniam Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*: Ergo & parvuli gaudent Cuſtodiâ Angelicâ.

Probat. *de Adultis*: Tum quia hi maximè expoſiti ſunt periculis ſpiritualibus Dæmonum infeſtantium, quos abigere, & comprimere ſolent SS. Angeli Cuſtodes. Similiter adulti indigent ſæpè illuminatione intellectûs circa aliqua intelligibilia; & inflammatione affectûs circa aliqua proſequibilia; directione circa aliqua agibilia; excitatione circa aliqua perceptibilia; & diverſione circa aliqua peccaminoſa; quæ omnia præſtare poſſunt SS. Angeli Cuſtodes: Ergo conſentaneum eſt Divinæ Providentiæ, ut ad ejuſmodi, & ſimiles effectus deſtinet adultis quoſdam SS. Angelos Cuſtodes.

Probat. *de prædeſtinatis*; juſtis deputata eſt tutela Angelica; utì paulò antè oſtenſum eſt: Ergo & prædeſtinatis. Deinde prædeſtinatorum ſaluti inſidiantur maximè Dæmones: Ergo ad eorum actus retundendos meritò SS. Angeli Cuſtodes ordinantur. Unde Petrus Damianus *Epiſt: ad Alexandr.* *Neque enim verſutia tam callidi, & exercitati hoſtis poſſet fragilitas humana reſiſtere; niſi eam à tentationibus Electorum virtus Angelica propulſaret.*

Probat: tandem *de Reprobis*: etſi Cuſtodia Angelica circa hos non habeat effectum meriti vitæ æternæ; attamen Reprobi per eam retrahuntur à variis peccatis, quæ aliàs patrarent; liberantur quoque à variis tentationibus; & illuſtrantur circa actiones aliquas bonas, ſi eas vellent ponere.

Objectiones Calvini conſiſtunt in voluntario ejus dicto contrario, quod nullô fundamentô reali comprobat.

ARTICULUS VI.

An SS. Angeli Cuſtodes ſint venerandi, & invocandi?

DIco primò: SS. Angeli Cuſtodes meritò ſunt venerandi, & invocandi. Ita communis Catholicorum; contra Calviniſtas, cæteroſque Hæreticos noſtri temporis.

Probat. *prima pars*: Tum authoritate SS. PP. venerationem & cultum Angelorum nobis inculcantium; unde D. Bernardus *ſerm. 12. in pſal. 90.* ſcribit, *in quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe; tu ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes?* Eandem venerationem nobis recommendat

Digitized by Google

mendat *ſerm. 1. de S. Michaële.* Tum quia cultum SS. Angelis exhibendum, & impendendum exigit titulus gratitudinis, ob complura beneficia ſuprà recenſita, aliáque particularia recepta à Sanctiſſimis iſtis Spiritibus; quare idem S. P. Bernardus *ſerm. 12. in cit. pſal.* nos adhortatur ad hujusmodi gratitudinem inquiens, *ſimus ergo devoti, ſimus grati tantis cuſtodibus; redamemus eos, honoremus eos, quantùm poſſumus, quantùm debemus*: Ergo SS. Angeli Cuſtodes meritò ſunt venerandi.

Objiciunt Hæretici: ad Coloſſ. 2. prohibetur veneratio Angelorum per illa verba, *nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & Religione Angelorum*, &c. Et Concilium Laodicæum decrevit, referente Theodoretô, *non eſſe ſupplicandum Angelis*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad allegatas authoritates dico; per eas ſolùm prohiberi illicitum cultum quorundam hominum, qui tempore D. Pauli, & Laodicææ Synodi docebant, teſte Chryſoſtomô *hom. 6. in cit. textum Epiſtola ad Col.* homines non debere facere aditum ad DEUM per Chriſtum; ſed per Angelos: & eos idcirco eſſe ſpecialiùs venerandos; qui cultus, cùm ſit præjudicioſus Chriſto, meritò eſt prohibitus in locis citatis. Cæterùm cultus moderatus, & ordinarius, quô SS. Angelos ſinè præjudicio cultûs Chriſti proſequimur, in allegatis authoritatibus non eſt prohibitus; unde jam olim varia Oratoria in honorem S. Michaëlis in Oriente fuerunt erecta; uti teſtatur vetus Scriptor Sozomenus *lib. 2. cap. 3.*

Probat. ſecunda pars Concluſionis; tum quia Sacra Scriptura commemorat, Patriarchas invocâſſe SS. Angelos Cuſtodes; utì patet de Jacob, qui volens benedicere filiis Joſeph invocando dixit, *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Et idem dixit ad Angelum, *non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Tum quia SS. PP. eandem invocationem partim ipſimet practicârunt, ùt Chryſoſtomus, qui *in ſua Liturg. cæleſtis* inquit, *militiæ Princeps Michaël rogamus te nunc indigni, ut tuis interceſſionibus munias nos*: partim eandem enixè hominibus recommendârunt; ùt S. Bernardus *ſerm. 12. in pſal. qui habitat* ubi ait, *quoties ergo graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem Angelum tuum*: Ergo SS. Angeli Cuſtodes meritò ſunt invocandi.

Objectiones Hæreticorum contra hanc partem ſolutæ ſunt ſuprà *lib. 5. cap. 3. art. 4.*

ARTICULUS VII.

An Angeli aliqui habuerint congenitam Beatitudinem ſupernaturalem?

Dico primò: Nullus Angelorum fuit creatus in ſtatu Beatitudinis ſupernaturalis. Ita Catholici; contra Baijſtas.

Probat. *primò de Angelis malis*: SS. PP. aſſerunt, Angelos malos in principio ſuæ creationis fuiſſe uniformes; & DEUM eos non diſcreviſſe priùs, antequam ipſi diſcernerent inter ſe; ſic loquitur D. Auguſtinus *lib. 4. ſuper Gen. non priùs DEUS diſcernebat bonos à malis, quàm eſſent diſcreti inter ſe*: Ergo mali fuiſſent quoque beati beatitudine ſupernaturali à principio ſuæ creationis, quod eſt falſum; quia aliàs non cecidiſſent, & ſe per peccata perſonalia diſcreviſſent à bonis: cùm beatitudo actualis afferat quamdam impeccabilitatem; ſitque inamiſſibilis ex ſua conditione.

Probat. *ſecundò* etiam *de Angelis bonis*: Si Angeli boni creati fuiſſent in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis, vi ejuſdem habuiſſent claram DEI viſionem, & fruitionem; quia in his conſiſtit formaliter beatitudo ſupernaturalis; ſed hoc dici nequit: Ergo Angeli boni non fuerunt creati in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis. Probat. Min. ſi Angeli boni habuiſſent claram DEI viſionem, & fruitionem, non potuiſſent quidquam mereri, defectu ſcilicet exercitii liberi arbitrii; ſicut defacto Sancti in Cœlis nequeunt mereri; nam clara DEI viſio tantæ eſt efficacitatis propter ſummam objecti beatifici bonitatem atque pulchritudinem, ut videntem neceſſariò in ſui notitiam, & fruitionem conſequentem alliciat: Ergo Angeli boni ab initio creationis ſuæ non habuerunt claram DEI viſionem, & fruitionem.

Objiciunt *primò*: S. Scriptura dicit Luciferum fuiſſe in deliciis Paradiſi Ezech. 28. *in deliciis Paradiſi fuiſti*: ſed iſtæ deliciæ ſunt viſio, & fruitio DEI; & conſequenter beatitudo ſupernaturalis: Ergo &c. *Secundò* S. P. Auguſtinus *lib. 4. de Geneſ. ad litt. cap. 24.* docet, Angelos fuiſſe creatos cum cognitione matutina; ſed cognitio matutina eſt viſio beatifica, & formalis beatitudo ſupernaturalis: Ergo Angeli creati ſunt in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis.

Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Min. & dico, delicias Luciferi fuiſſe vel illa chariſmata gratiarum, quæ ipſi unà cum aliis Angelis fuêre communicata in creatione: vel certè fuit ipſa amæniſſima habitatio Cœli Empyrei, infinitis deliciis Angelicis referta. *Ad Secundum* Neg. pariter Min. & dico, S. P. Auguſtinum per cognitionem matutinam Angelorum, cum qua Angelus dicitur fuiſſe creatus, intelligere cognitionem abſtractivam de Deo, elicitam ab Angelo beneficiò ſpeciei impreſſæ diſtinctè repræſentantis Eſſentiam Divinam; quæ quia valde perfecta, & diſtincta fuit, dicitur à memorato S. Patre *matutina*, ad diſtinctionem aliarum cognitionum imperfectarum naturalium, quas Angeli habuerunt de aliis rebus vel per ſpecies ab eis abſtractas; vel in proprio genere, ſed mediante diſcurſu; quæ meritò *veſpertina* reſpectivè dicuntur.

CAPUT XI.

De Apoſtolis.

Dico primò: SS. Apoſtoli aliquando receperunt pecunias, eaſque ſecum portavêre, & licitè eiſdem uſi fuêre. Ita Catholici; contra Pſeudo Apoſtolos, Sagarellum, Dulcinum; & eorum Sequaces.

Probat. *primò*: S. Scriptura narrat SS. Apoſtolos aliquando pecunias habuiſſe, & eiſdem uſos fuiſſe, emendo res ad victum pertinentes, & pro pauperibus, nec de hoc eos reprehendit; unde dicitur Joan. 4. *diſcipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent*, quod fit mediantibus pecuniis. Et Joann. 13. *cap.* narratur, Apoſtolum Judam habuiſſe loculos communes pro Salvatoris, & Apoſtolorum ſuſtentatione; ibi, *quidam enim putabant; quia loculos habebat Judas, quòd dixiſſet ei JESUS, eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*, &c. Ergo &c. *Secundò*, Apoſtolos aliquando habuiſſe pecunias, cum earundem uſu, & deportatione, docent SS. Patres, ùt videre eſt apud Theophilactum *in Joan.* Et Auguſtinum *lib. 2. de conſenſu Evangel. cap. 30.* Et *lib. de mend. cap. 22.* Et Hieronymum, Gregorium, & alios: Ergo &c. *Tertiò in Actibus Apoſt.* legimus, Paulum Apoſtolum victum de labore manuum ſuarum quæſiiſſe; quod fiebat utique recipiendo pecunias pro manufacturis ſuis, ad victum emendum: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: omnis poſſeſſio, & uſus pecuniæ Apoſtolis pro ſemper interdicitur à Chriſto: unde ait ad eos Matth. 10. *nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad authoritatem S. Scripturæ dico, illud interdictum, ſeu prohibitionem non fuiſſe abſolutam & pro omni tempore; ſed tantùm pro illo tempore, quô mittebantur ad prædicandum; nam tunc eos habere cupiebat expeditos ab omni cura rerum mundanarum; unde volebat, ut jactarent tantùm in Dominum cogitatum ſuum, atque in illo collocarent ſpem; quô factô ipſe illos per pios homines enutriret, ſinè recurſu ad pecunias; cùm dignus ſit operarius mercede ſua: unde cùm aliàs cum eiſdem S. Præconibus de iſto modo vivendi diſſeruiſſet, dixit eis, *quando miſi vos ſine ſaculo, & ſine pera, nunquid defuit vobis aliquid in via?* Luc. 22. *cap.* Dici etiam poteſt cum S. Auguſtino *loc. cit.* pro *probat. 2.* illud dictum Salvatoris non fuiſſe formale præceptum; ſed tantùm conſilium Evangelicum.

Dico ſecundò: Apoſtoli licitè aliqua neceſſaria vitæ reſervârunt in craſtinum. Ita Catholici; contra Pſeudo-Apoſtolos præfatos.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat Apoſtolos de mandato Chriſti collegiſſe, & reſervâſſe fragmenta panis; unde dicitur Joan. 6. *colligite, quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant; collegerunt autem duodecim cophinos fragmentorum*, de quibus utique aliquid reſervatum fuit per noctem? *Secundò* ex S. Scriptura pariter conſtat, Apoſtolos feciſſe Collectas per unam Sabbathi, ut inde egentibus diſtribuerent; quam diſtributionem pro temporis exigentia, & neceſſitate, ac egeſtate pauperum faciebant: adeoque aliquid de talibus Collectis in craſtinum reſervabant. *Tertiò*, rurſus ex Act. 11. *cap.* conſtat, multa ab Apoſtolis fuiſſe procurata pro Fratrum indigentia, ob imminentem famem per Agabum prædictam, quæ etiam ſub Claudio poſtea evenit. Et S. Paulus appellans ad Cæſarem, Romamque contendens in navi; uti conſtat ex Act. 15. utique proviſionem neceſſariam in plures dies ſibi facere debuit, ſinè qua in navim non fuiſſet receptus: Ergo Apoſtoli aliquid in craſtinum licitè reſervârunt.

runt. *Quartò* idem patet ex SS. PP. *pro priori concluſ.* citatis.

Objiciunt Hæretici: Chriſtus inhibet Apoſtolis reſervationem rerum neceſſariarum pro victu in craſtinum; unde dicit Matth. 6. *nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad textum Matth. 6. Dico *primò* cum S. Hieronymo *ſuper Matth.* per hoc adverbium *cras* intelligi totum tempus vitæ poſt præſentem diem futurum; quô pactô capitur Gen. 30. *cap. reſpondebitq́ mihi cras: juſtitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te*: vult ergo Chriſtus, ut Apoſtoli non faciant proviſionem pro toto tempore futuro, quod magnam ſolicitudinem, & conſequenter abſtractionem à prædicatione S. Evangelii afferret. *Secundò* dici poteſt, illo textu S. Scripturæ non prohiberi ipſam reſervationem pro craſtino; ſed ſolicitudinem nimiam, quâ à DEI ſervitio ſepararentur Apoſtoli; quam gloſſam facit Theophilactus *in Matth.*

CAPUT XII.

De Prophetis.

Dico primò: SS. Prophetæ utriuſque Teſtamenti non fuerunt arreptitii; ſed revera habuerunt intelligentiam ſuarum Prophetiarum. Ita Catholici; contra Montaniſtas, & Princillianiſtas.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat; SS. Prophetas non fuiſſe arreptitios; ſed à DEO eruditos intellexiſſe ea, quæ vaticinati fuerunt: unde dicitur de S. Daniele Propheta Dan. *1. cap. quod dederit ipſi DEUS intelligentiam omnium viſionum, & ſomniorum.* Et Propheta Ezechiel *cap.* 10. Ezech. dicit de ſua viſione, quâ vidit Cherubin ambulantes juxta rotas, *intellexi, quia Cherubin eſſent.* Et propterea communi prædicatô olim omnes SS. Prophetæ appellabantur, *videntes*, id eſt intelligentes ſuas Prophetias; & Prophetiæ eorundem vocabantur, *Viſiones*: unde Iſa. *cap.* 1. incipit Prophetia ejuſdem Prophetæ ſic, *viſio Eſaiæ Filii Amos.* Et Ezech. 1. *cap.* dicit Ezechiel, *Viſiones DEI vidi.* Et Nahum. 1. *cap.* ſic exorditur Propheta præfatus, ſic *Liber viſionis Nahum.* Et de hac Prophetarum viſione dicitur Daniel. 10. *cap. intelligentiâ opus eſt in viſione.* Unde ſi quis vaticinia eructet, & eadem non intelligat, Propheta non eſt cenſendus; & ideo cadaver Helizæi, quod mortuum prophetavit, utì refertur Eccleſ. 48. *cap.* non reputatur fuiſſe Propheta; Ergo &c. *Secundò* SS. PP. paſſim in ſuis Commentariis ſuper S. Scripturam, concedunt SS. Prophetis utriuſque Teſtamenti intelligentiam ſuarum Prophetiarum; ùt videre eſt apud Auguſtinum, Hieronymum, Theophylactum, Origen. &c. Ergo &c.

Quid pro ſua blaſphemia adducant Hæretici, non reperio, niſi impium arbitrarium ſuum dogma.

Dico ſecundò: SS. Prophetæ à DEO inſpirati ſunt vaticinati: unde nulla contraria, & falſa pronunciârunt. Ita Catholici: contra Appellitas, &c.

Probat. *primò*: S. Litteræ produnt, S. Prophetas prophetâſſe ex Divina inſpiratione; unde dicitur Luc. 1. *cap.* quòd *DEUS locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt Prophetarum ejus.* Et Propheta Regius ait Pſal. 44. *lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, id eſt S. Spiritus, ùt exponit S. Ambroſius, qui neſcit tarda molimina. Et ad Hebræos 1. *cap.* dicit S. Apoſtolus Paulus *multifariam multiſq́; modis olim DEUS loquens Patribus in Prophetis* &c. Et 2. Petr. *cap.* 1. habetur, *non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia; ſed Spiritu S. inſpirati, locuti ſunt Sancti DEI homines*: ſed DEUS, ſeu Spiritus S. non ſolet ſuggerere contraria, & falſa: Ergo &c. *Secundò* SS. PP. communi calculo dogmatizant, SS. Prophetas ſuas Prophetias à DEO accepiſſe, & Divino Spiritu afflatos, eaſdem pronunciâſſe abſque omni contrarietate, & falſitate; uti conſtat ex Auguſtino, Gregorio, Hieronymo, &c. Ergo &c.

Fundamentum ſuæ hæreſis ſumpſit Apelles ex eo, quòd reperiret aliqua, quæ ad ſpeciem ſibi repugnare videbantur, cumq́ue illa concialire neſciret, auſus fuit S. Prophetis contrarietatem, falſitatem, & mendacium impingere in eorundem Prophetiis: Verùm hujuſmodi dicta S. Scripturæ ad ſpeciem pugnantia optimè à Catholicis DD. conciliantur; prout

patet ex Commentariis eorum, factis ſuper S. Scripturam; & variis reſponſis, datis pro materiæ qualitate in hac Schola Controverſiſtica. Ad quæ aptè concilianda opùs eſt attendere ad circumſtantias temporis; Loci, perſonarum, & aliarum, in quibus proferuntur: item ad ſenſum, in quo enunciantur, an is ſit litteralis, vel Myſticus.

CAPUT XIII.

De Virginitate.

DIco primò: Virginitas & perfectione & meritô præfertur matrimonio; ac proinde licitè, & meritoriè colitur. Ita Catholici; contra Jovinianum, Helvidium, Baſilidem, Lutherum, Calvinum, &c.

Probat. *primò*: ex S. Scriptura conſtat Virginitatis Præcellentia, & meritum præ matrimonio; unde dicit Apoſtolus Paulus 1. ad Cor. 7. *qui matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit melius facit.* Et rationem addit infrà, *qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt: & mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit Sancta corpore, & Spiritu.* Et Matth. 22. *cap.* continentes, quales ſunt Virgines, Angelis aſſimilantur; quod magnam præcellentiam continentiæ, & Virginitatis præ connubio indicat: unde dicit Chriſtus, *in Reſurrectione non nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli DEI in Cælo*: Et de eadem continentiæ perfectione, præcellentia procedit illud dictum Salvatoris Matth. 19. *ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum; qui poteſt capere capiat*: acſi diceret, difficilè, & magnæ perfectionis eſt caſtrare ſe propter Regnum Cœlorum, id eſt devovere ſe continentiæ, & virginitati, quod non ab omnibus practicatur; unde qui poteſt rem tam arduam, & perfectam practicare, practicet: Ergo &c.

Probat. *ſecundo*: Concilia priſca damnârunt oppoſitam doctrinam Joviniani, & aliorum Hæreticorum, tanquam Fidei Catholicæ contrariam; ita fecit Concilium Romanum vetus ſub Syricio Papa *in epiſt. ejuſdem Papæ ad Epiſcopos Africanos*; ubi ait, *nos ſanè Nuptiarum vota non aſpernanter accepimus, quibus velamine interfuimus; ſed Virgines DEO devotas majore honorificentia remuneramur: factô ergo Presbyteriô conſtitit doctrina noſtra; id eſt Chriſtianæ Legi hæc omnia eſſe contraria* (id eſt dogmata Joviniani, & aliorum) *unde Apoſtolicum ſecuti Præceptum, quia aliter quàm accepimus, annunciabant, omnium noſtrorum tum Presbyterorum, tam Diaconorum, quàm etiam totius Cleri unam factam conſtat eſſe ſententiam, ubi Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Fœlix, Plotinus, Martianus, Januarius, & Ingenioſus, qui accentores novæ hæreſis, & blaſphemiæ inventi ſunt, Diviná ſententiá, & noſtrô judiciô in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent.* Idem fecit Concilium Africanum Thelenſe *in Epiſtola ejuſdem ad Syric.* Ergo &c. *Tertiô* ſimiliter SS. PP. Auguſtinus, Baſilius, Hieronymus, Gregorius, Chryſoſtomus, præcellentiam, & meritum virginitatis præ matrimonio aſſerunt: Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: & ſignanter Lutherus, impoſſibile eſt ſervare virginitatem, & continentiam; quæ eſt naturæ propriæ inimica; inſuper uxoris uſus eſt ita neceſſarius ad vitæ conſervationem ſicut cibus, & potus, inquit venereus hic Hæreticus: Ergo &c. *Secundò*: Sanctiſſimi viri, ut Patriarchæ priſci Abraham, &c. & Apoſtoli quidam, ùt Petrus, non coluêre virginitatem; Ergo non habet aliquam præcellentiam, & meritum præ matrimonio. *Tertiò*: DEUS Protoparentibus, & omnibus aliis mandavit Gen. 1. *creſcite, & multiplicamini*: Ergo extat præceptum de contrahendo matrimonio; & conſequenter hoc eſt excellentius continentiâ.

Reſondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam cum DEI gratia optimè ſervari poteſt virginitas, & continentia; ſi homo ſimul voluntatem ſeriam applicet, & occaſiones cadendi evitet: unde S. Paulo petenti, ut auferatur ſibi ſtimulus carnis ſuæ, reſpondit Dominus, *ſufficit tibi gratia mea 2.* ad Cor. 2. Et poſtquam hoc Divinum adjutorium gratiæ expertus fuerat, dixit ad Philipenſ. 4. *omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et S. Auguſtinus *lib. 2. de merit. & peccat. remiſſ. cap. 17.* dicit, *caſti non ſumus; non quia non poſſumus; ſed quia nolumus.* Et Origenes *hom. 9. ſuper Levit.* ait, *quia non facitis* (ſcilicet continentiæ cultum) *nolite conqueri de carnis infirmitate; nolite dicere, quia volumus, ſed non poſſumus; volumus continenter vivere, ſed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur ſtimulis ejus: tu das ſtimulos carni tua;*

tu eam

tu eam adversùs ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cùm eam carnibus ſatis, vinô nimiò inundas, omni molliciê palpas, & ad illecebras nutris. *Ad Secundum* reſpondi *tom. 1. lib. 2. cap. 8. art. 3. object. 3.* *Ad Tertium* Neg. Ant. num illa verba Gen. 1. non ſunt dicta generaliter ad omnes homines per modum præcepti; cùm S. Paulus 1. ad Cor. 7. dicat, *ſelutus es ab uxore, noli quærere uxorem*: & quia S. Joan. Evangeliſta, & Baptiſta non nupſerunt, nec multiplicaverunt humanum genus. Itaque illa ſententia directa fuit ad primos homines, & quamdiu neceſſaria erat hominum multiplicatio pro terræ repletione; poſtea verò liberum fuit, & meritorium magis ſervare virginitatem; unde S. Hieroymus Helvidio objicienti eandem ſententiam Geneſis reſpondit, *pro conditione temporum Sancti veteris Teſtamenti aliæ ſubjacuerunt ſententiæ; & aliæ nos in novo Teſtamento, in quos fines ſeculorum devenerunt. Quam diu lex illa permanſit, creſcite & multiplicamini, & replete terram; & maledicta ſterilis, quæ non parit ſemen in Iſraël; nubebant omnes, & nubebantur, & relictis Parentibus fiebant una caro. Quando verò vox illa pertonuit, tempus breviatum eſt, ut qui habent uxores, ſic ſint, quaſi non habentes; jam plenus eſt Orbis, nos non capit; quotidie bella ſecant, morbi ſubtrahunt, naufragia abſorbent, & nihilominùs de terminis litigamus.*

CAPUT XIV.
De Reſtitutione.

Dico primò: eſt obligatio reſtituendi res furrô, vel rapinâ ablatas. Ita Catholici; contra Græcos Schiſmaticos.

Probat. *primè*: ex S. Scriptura conſtat, res furtivas eſſe reſtituendas; unde Tob. 2. *cap.* dicitur, *videte ne fortè furtivus ſit* (ſcilicet hædus domum allatus) *reddite eum Dominis ſuis; quia non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contingere.* Et Ezech. *33. cap. Si dixere impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritq́; judicium, & juſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius, rapinamq́; reddiderit &c. vitâ vivet, & non morietur*: Et ad Rom. 18. *Omnibus reddite debitum,* &c. *& nemini quidquam debeatis*: Ergo &c. *Secundô* Similiter SS. PP. dogmatizant aliena eſſe reſtituenda; alioquin pœnitentia valida non eſt, unde S. Auguſtinus *epiſt. ad Macedon.* dicit, *ſi res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, pœnitentia non admittitur, ſed ſimulatur*: Ergo &c. *Tertiò*, ratio etiam eſt; quia juſtitia commutativa præcepit proximum læſum reddere indemnem: unde omnes Gentes bene inſtitutæ ad juſtitiæ normam puniunt fures, & raptores, atque ad reſtitutionem adigunt: & ideo tot emanârunt Leges Civiles circa eandem reſtitutionem; ſignanter *Lex bonæ fidei ff. de acquir. rerum dominio.* Et *Lex ult. ff. ſi ea conditione ff. de Lege Rhodia*, &c.

Græcorum fundamentum eſt impia avaritia Sacerdotum eorundem, qui ex ſolo motivo obtinendi pecunias dogmatizant, *Presbyteres Græcæ Eccleſiæ poſſe licitè fures, uſurarios & raptores abſolvere, pretiô pro abſolutione acceptô, ſine obligatione reſtituendi damnum ex parte pœnitentis.*

CAPUT XV.
De Votis.

Nota primò: *Votum* hìc deſcribitur rectè, quòd *ſit promiſſio firma DEO facta cum obligatione*: ut promiſſio talis teneat, & obliget, debet eſſe actus perfectè deliberatus, voluntarius, & procedens ex intentione, terminata ad obligationem: ejus materia debet eſſe opus DEO promiſſario gratum; & de re meliori, quàm ſit ejus ommiſſio.

Dico primò: Vota emittere de rebus puri conſilii eſt opus Sanctum, & DEO placens. Ita Catholici; contra Lamperios, Pſeudo-Apoſtolos, Wiclephiſtas, Lutheranos, & Calviniſtas.

Probat. *primò* omnibus argumentis, ſuprà *tom. 1. lib. 2. cap. 8. art. 3.* relatis pro defendendis Votis Monaſticis Religioſorum. *Secundò*: S. Scriptura ſvadet, ut Vota emittamus; adeoque cenſet Vota eſſe opera Sancta: unde dicitur pſal. *75. vovete, & reddite Domino DEO veſtro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.* Item teſte eadem Scriptura Vota facta à DEO expoſcuntur pro ſui adimpletione;

pletione; quod non fieret, ſi eſſent res malæ: nam Deut. 23. dicitur, *ſi Votum voveris, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus.* Item S. Scriptura refert aliquos viros ſanctos Vota emiſiſſe, quæ non reprobat; ſic pſalm. 131. David vovit conſtruere templum. Et Gen. 28. *cap.* Jacob vovit de dandis decimis: ſimiliter & Anna 1. Reg. 1. vovit dedicare DEO filium ſuum. Et B. V. MARIA Virginitatem ſuam DEO perpetuò voverat; uti teſtatur Auguſtinus *lib. de S. Virginitat cap. 4.* Et Lev. 27. & Deut. 12. varia recenſentur vota, tanquam permiſſa, & bona, ac DEO placentia: Ergo &c.

Probat. *tertiò* SS. PP. paſſim vota debitè emiſſa reputant Sancta, & DEO placentia; ùt videre eſt apud Dionyſium Areopag. *lib. Eccleſ. Hierarch. cap. 6.* Et Gregorium *hom. 20. ſuper Ezech.* Et Chryſoſtomum *hom. 11. in Epiſt. ad Hebr.* Ergo &c. *Quartò*: ipſum lumen naturæ quoque in hominibus rectè diſpoſitis oſtendit, opus Sanctum eſſe, DEUM colere per vota in ejus honorem emiſſa: & ſanè ſi juxta D. Jacobum *cap. 1. epiſt. ejuſdem* opus Sanctum cenſeatur, *viſitare viduas, & pupillos, & immaculatum cuſtodire ſe ab hoc ſæculo*; utique etiam vota facere DEO, & reddere eadem.

Objectiones Hæreticorum, quæ potiſſimè militant contra quædam vota in particulari, ſcilicet Caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ emittunt Religioſi, jam ſunt ſolutæ *tom. 1. lib. 1. cap. 8. art. 3.* Quod deinde addunt Lamperiani, omnia opera ſancta debere eſſe libera, juxta illud pſal. 53. *voluntariè ſacrificabo tibi*: Vota autem non ſunt libera: non evincit quidquam contra concluſionem, nam vota revera libera cenſentur; cùm ad ea quis liberè ſe adſtringit à principio; quæ libertas continuò redundat in eorum adimpletionem.

Dico ſecundò: eſt gravis obligatio adimplendi vota, ritè emiſſa. Ita Catholici; contra Lutheranos, Wichlephiſtas, Calviniſtas, Eraſ. Roterodamum.

Probat. *primò*: S. Scriptura expreſſè aſſerit, vota emiſſa eſſe ſub obligatione adimplenda; unde dicitur Num. 30. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciat irritum verbum ſuum; ſed omne quod promiſit, adimplebit.* Et Deut. 23. dicitur, *cùm votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus DEUS tuus: & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum; ſi nolueris polliceri abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum de labiis tuis, obſervabis, & facies, ſicut promiſiſti Domino DEO tuo*, &c. Et Eccleſ. 5. dicitur, *ſi quid voviſti DEO, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio; ſed quodcunque voveris, redde.* Et pſal. 94. *redde altiſſimo vota tua*: Ergo &c.

Probat. *ſecundò* eandem doctrinam definierunt SS. Concilia, ùt Carthaginenſe IV. *cap. ult. Decretorum ſuorum.* Et Toletanum IV. *cap. 55.* Et Valentinum *cap. 2.* Ergo &c. *Tertiò* in idem quoque conſpirant omnes SS. PP. ſignanter Iſidorus *lib. 2. de offic. Eccleſ. cap. 18.* Et Hieronymus *lib. 1. contra Jovin.* Et Baſilius *lib. de Virginit. cap. 55.* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: Paulus dicit, *melius eſt eſt nubere, quàm uri*: Ergo non eſt obligatio adimplendi votum caſtitatis occurrente ſtimulo carnis. *Secundò*: nemo tenetur ad impoſſibile; ſed vota aliqua ſunt impoſſibilia adimpletu; ùt votum caſtitatis, quando urgent tentationes: Ergo &c.

Reſpondeo *ad Primum*, S. Apoſtolum Paulum illa verba 1. ad Cor. 7. dirigere ad ſolas illas perſonas, quæ adhuc libertatem habent nubendi, & nullô votô Caſtitatis ſervandæ ſeſe adſtrinxerunt: nam loquitur de Virginibus, & Viduis, quæ continere non poſſunt, & poteſtatem nubendi habentibus; uti patet ex contextu. *Ad Secundum* Neg. Min. nam cum gratia DEI debitè implorata, & obtenta, ſuperari poſſunt omnes carnis tentationes; dicit enim D. Paulus ad Philip. 4. *omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Vide plura de hoc tom. 1. *lib. 2. cap. 8. art. 3. reſpon. 1.*

FINIS TOMI II.

Univerſas relationes hujus Operis Controverſiſtici humiliter ſubſterno Limæ Apoſtolicæ, ac Eccleſiæ Catholicæ.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM IN HOC TOMO II. CONTENTARUM.

P. paginam. c. Columnam ſignificat.

A.

A*Colytatus* viguit à principio Eccleſiæ. pag. 33. c. 1. & 2.

Adam fuit primus Parens omnium hominum. p. 114. c. 1. & 2. fuit creatus de limo terræ. p. 115. c. 1. ex Adæ coſta materiali fuit formata Eva. ibid. Adam finaliter eſt Salvatus ibid. c. 2. Adam ſi permanſiſſet in ſtatu Innocentiæ fuiſſet immortalis. p. 117. c. 1. & 2. abſolutè tamen mori potuiſſet. ibid. c. 2. radix immortalitatis Corporis Adæ duplex aſſignatur. p. 117. c. 2. Adam in ſtatu Innocentiæ per copulam carnalem genus humanum propagâſſet. p. 116. c. 1. & 2. Objectiones ſolvuntur. p. 116. c. 2. & p. 117. c. 1.

Adulterium non eſt cauſa diſſolvendi matrimoninm conſummatum. p. 36. c. 1.

Anabaptiſtarum Objectis contra Baptiſmum parvulorum reſpondetur. p. 4. c. 1.

Angelus deſcribitur. p. 124. c. 1. extant Angeli. ibid. & c. 2. Objectis reſpondetur. p. 125. c. 1. Angelos ſolus Deus creavit tam bonos, quàm malos. p. 125. c. 2. Angeli quando creati. ibid. & p. 126. c. 1. Angeli ſunt incorruptibiles, & immortales. p. 126. c. 2. dantur Hierarchiæ & Ordines Angelorum. p. 127. c. 1. & 2. quivis homo habet Angelum Cuſtodem. p. 127. c. 2. & p. 128. c. 1. & 2. SS. Angeli Cuſtodes ſunt venerandi, & invocandi, p. 128. c. 2. & p. 129. c. 1. Angeli non fuerunt creati in ſtatu Beatitudinis ſupernaturalis. p. 129. c. 2. Objectis reſpondetur. p. 130. c. 1. & 2. Angeli boni intelligunt noſtras orationes. p. 54. c. 1. & orant pro nobis. ibid. & c. 2. Angelis non eſt impendendus cultus latriæ. p. 46. c. 1.

Anima rationalis deſcribitur. p. 118. c. 1. non eſt quidditativè particula Divinæ ſubſtantiæ, ſed ſubſtantia creata. ibid. & c. 2. non creatur ab Angelis, ſed immediatè à ſolo DEO. p. 119. c. 1. non formatur ex igne & Spiritu nec per modum traducis ex anima Patris mediante virtute ſeminali, nec ex ullo alio principio materiali, vel ſpirituali præexiſtente, ſed creatur ex nihilo. p. 119. c. 2. & p. 120. c. 1. nulla anima præextitit longè ante ſui unionem cum corpore, ſed quævis tunc creatur, quando infundenda eſt corpori. p. 76. c. 1. & p. 176. c. 1. & 2. Objectiones ſolvuntur. p. 120. c. 2. & p. 121. c. 1. Animæ non meruerunt prædeſtinari, aut aſſociari corporibus Electorum. p. 76. c. 2. Anima rationalis quantumcunque peccatrix poſt mortem non convertitur in dæmonem, aut in brutum. p. 121. c. 1. Animæ non tranſmigrant à priore corpore in aliud in revolutione anni Platonici. p. 121. c. 2. & p. 122. c. 1. Anima rationalis ſuapte natura eſt immortalis, & incorruptibilis. p. 122. c. 1. & 2. Objectis reſpondetur. p. 123. c. 1. & 2. Animæ in Purgatorio exiſtentes ſunt extra ſtatum merendi, & demerendi. p. 103. c. 1. ſunt ſecuræ & certæ de ſua ſalute. ibid. c. 2. & p. 104. c. 1. Animæ in mortali decedentes ſtatim detruduntur ad Infernum. p. 107. c. 1. & 2.

Antichriſtus quis p. 71. c. 1. necdum venit in hunc mundum. ibid. & c. 2. Hæreticorum objectis reſpondetur. p. 72. c. 1. & 2. Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus. p. 72. c. 2. Objectiones ſolvuntur. p. 73. c. 2. & p. 74. c. 1. & 2. Antichriſti character quibus conditionibus erit qualificatus. p. 74. c. 2.

Apoſtoli aliquando receperunt, & licitè uſi fuerunt pecuniis. p. 130. c. 1. licitè etiam aliqua neceſſaria vitæ reſervârunt in craſtinum. ibid. c. 2.

Arbitrium liberum deſcribitur. p. 70. c. 1. datur in homine lapſo. ibid. & p. 80. c. 1. Objectiones ſolvuntur. p. 80. c. 2.

Baptiſmus

B.

Baptiſmus fluminis definitur. p. 1. c. 1. Baptiſmus flaminis deſcribitur. ibid. Item Baptiſmus ſangvinis. p. 1. c. 2. Baptiſmi Sacramentum eſt omnibus ad ſalutem neceſſarium etiam parvulis & natis ex Parentibus fidelibus. p. 1. c. 2. & p. 2. c. 1. Baptiſmus mortuis non eſt neceſſarius. p. 2. c. 1. Objectis contra neceſſitatem Baptiſmi ſatisfit. p. 2. c. 2. & p. 3. c. 1. in defectu Baptiſmi fluminis ſufficit flaminis vel ſangvinis. p. 3. c. 1. infantes etiam infidelium ſunt capaces Baptiſmi. p. 3. c. 2. Anabaptiſtis reſpondetur. p. 4. c. 1. Baptiſmi legitima materia quæ. p. 4. c. 2. nec ignis, nec ſangvis eſt legitima materia. p. 5. c. 1. in forma Baptiſmi debet exprimi SS. Trinitas. p. 5. c. 1. item actio Miniſtri, & perſona Baptizati. p. 5. c. 2. actio Miniſtri poteſt exprimi per verbum ſive Indicativi Modi, ſive Imperativi ibid. Baptiſmi Miniſter extraordinarius quis eſſe poſſit? p. 5. c. 2. & p. 6. c. 1. Parvuli dum baptizantur, non habent fidem actualem. p. 6. c. 2. nec alios pios motus. p. 7. c. 1. Objectis ſatisfit. p. 7. c. 1. & 2. Baptiſmus Chriſti fuit diſtinctus à Baptiſmo Joannis. p. 7. c. 2. & p. 8. c. 1. Objectiones Hæreticorum ſolvuntur. p. 8. c. 2.

Beatitudo vera eſt poſſibilis, itâ quòd DEUS poſſit videri intuitivè. p. 51. c. 1. Objectiones ſolvuntur. p. 51. c. 2. & p. 52. c. 1. Sanctorum animæ in novo Teſtamento ſtatim poſt mortem beatificantur. p. 52. c. 2. & p. 53. c. 1. Objectis ſatisfit. p. 53. c. 2. Sancti in Beatitudine conſtituti intelligunt orationes noſtras, ac res ſublunares. ibid. Sancti orant pro nobis p. 54. c. 2. non ſunt omnes æquales in gloria cæleſti. p. 55. c. 2.

Bellum eſt licitum ex genere ſuo. p. 88. c. 1. quæ conditiones requirantur. ibid. c. 2. & p. 89. c. 1. etiam Chriſtianis licitum eſt bellum, maximè contra Turcas. p. 89. c. 2. Objectiones Hæreticorum ſolvuntur. p. 90. c. 1. & 2.

C.

Canonizatio Sanctorum deſcribitur. p. 50. c. 1. Canonizatio ritè peracta eſt infallibilis, itâ ut canonizatus ſit verus Sanctus. ibid. Objectis reſpondetur. ibid. c. 2. & p. 51. c. 1. & 2.

Capellas conſtruere pium eſt. p. 57. c. 1.

Chriſti corpus & ſangvis verè continetur in Euchariſtia. p. 10. c. 1. & 2. & p. 11. c. 1. & 2. Chriſtus non eſt in Euchariſtia præſens per ubiquitatem. p. 13. c. 2. & p. 14. c. 1. Chriſtus in Euchariſtia eſt adorandus cultu latriæ. p. 15. c. 2. & p. 16. c. 1. Deus poteſt efficere, ut Chriſtus habeat duplicem præſentiam ad Cœlum, & Euchariſtiam. p. 21. c. 2. & p. 22. c. 1. Chriſtus qualiter pro nobis ſatisfecerit. p. 30. c. 2. Chriſtus non exercuit dominatum ſæcularem, ſed ſpiritualem. p. 95. c. 1. Chriſtus, & non Simon Cyrenæus, verè fuit crucifixus. p. 96. c. 1.

Concubitus promiſcuus eſt illicitus. p. 37. c. 1. & 2.

Confeſſio Sacramentalis deſcribitur. p. 23. c. 2. Confeſſio ſpecifica homini facta requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. ibid. & p. 29. c. 1. Objectis reſpondetur. p. 29. c. 2.

Confirmatio deſcribitur. p. 9. c. 1. eſt verum Sacramentum. ibid. non eſt mera Cæremonia, & nudum miniſterium. p. 9. c. 2. quis ejus effectus primarius, & ſecundarius. p. 10. c. 2.

Crux vera, & originalis licitè colitur & adoratur. p. 48. c. 1. & 2. & p. 49. c. 1. Objectiones ſolvuntur. p. 49. c. 2. Cruces Typicæ ſive pictæ, ſive quavis materia expreſſæ ſunt quoque venerandæ. p. 49. c. 2. & p. 50. c. 1. Crucis ſignum manibus formari ſolitum in primitiva Eccleſia fuit in uſu, & veneratione. p. 50. c. 1. & 2.

D.

Decalogum poteſt juſtus cum gratia DEI ſervare. p. 81. c. 1. Objectiones ſolvuntur. p. 82. c. 1. & 2.

Diaconatus viguit à ptincipio Eccleſiæ. p. 33. c. 1. & 2.

Dominatus ſuper alios licitus eſt etiam inter Chriſtianos. p. 94. c. 1. 2. Objectis reſpondetur. p. 95. c. 1. non amittitur per peccatum mortale. p. 95. c. 1. & 2.

E.

Eleemoſynæ proſunt defunctis, ut à pœnis Purgatorii ſolvantur. p. 69. c. 1. & 2.

Epiſcopatus viguit a Principio Eccleſiæ. p. 33. c. 1.

Eva fuit formata de materiali coſta Adæ. p. 115. c. 1. aſſecuta eſt finaliter ſalutem æternam. ibid. c. 2. & p. 116. c. 1.

Euchariſtia deſcribitur. p. 10. c. 1. in ea verè, & ſubſtantialiter continetur Corpus, & Sangvis Chriſti. ibid. & c. 2. & p. 11. c. 1. & 2. Hæreticorum objectis ſatisfit. p. 11. c. 2. & p. 12. c. 1. & 2. & p. 13. c. 1. & 2. Quatuor Regulæ præſcribuntur pro explicandis SS. PP. Authoritatibus. p. 12. c. 2. & p. 13. c. 1. in Euchariſtia non eſt Chriſtus præſens per ubiquitatem. p. 13. c. 2. et p. 14. c. 1. in Euchariſtia impanatio non ſit, ſed tranſubſtantiatio. p. 14. c. 2. Objectis ſatisfit. p. 15. c. 1. & 2. Chriſtus in Euchariſtia eſt adorandus cultu latriæ. p. 15. c. 2. & p. 16. c. 1. reſpondetur objectis. p. 16. c. 1. & 2. quæ ſit legitima

materia

ria Euchariſtiæ pro conficiendo Corpore Chriſti. p.16. c. 2. & quæ pro conficiendo Sangvine Chriſti. p. 17. c 1. Panis tam Azymus quàm fermentatus eſt legitima materia conficiendi Corporis Chriſti. p. 17. c. 1. ad Euchariſtiam conficiendam requiritur determinata forma, nec ſufficit recitare *Pater noſter*, aut alias precatiunculas. p 17. c. 2. & p. 18. c. 1. ad licitam ſumptionem Euchariſtiæ, quæ præmittenda ſint. p. 18. c. 2. Laici non obligantur Præceptô Divinô ad Communionem ſub utraque ſpecie. p. 19. c. 1. & 2. & p. 20. c. 1. Hæreticis objicientibus reſpondetur. p. 20. c. 1. & p. 21. c. 1. & 2. DEUS poteſt efficere, ut idem numerò Corpus Chriſti habeat duplicem præſentiam ad Cœlum, & Euchariſtiam. p. 21. c. 2. & p. 22. c. 1. Miniſter conſecrans Euchariſtiam quis? p. 22. c. 1.

Excommunicatio deſcribitur. p. 97. c. 1. Excommunicationem, & alias cenſuras Eccleſiaſticas ferendi poteſtas reſidet in Eccleſia. ibid. & c. 2. & p. 98. c. 1 & 2.

Exorciſtatus ordo viguit à principio Eccleſiæ. p. 33. c. 1. & 2.

Extrema Unctio vide *Unctio*.

F.

Fatum quid ſit? p. 70. c. 1. Corpora & actiones noſtræ maximè liberæ, non dependent à Fato. ibid. & c. 2. Objectis reſpondetur. p. 71. c. 2.

Feſta Domini Sabbaoth, B. V. ac Sanctorum ab Eccleſia conſtituta licitè & piè celebrantur. p. 56. c. 1. Objectiones Hæreticorum ſolvuntur. ibid. c. 2.

Fornicatio ſimplex eſt mortale peccatum, & à DEO prohibita. p. 92. c. 1. & 2.

Funerum uſus eſt pius. p. 112. c. 1. liciti ſunt ritus à Catholicis ad funera ex præſcripto Eccleſiæ adhiberi ſoliti. ibid. c. 2. & p. 113. c. 1. Objectis reſpondetur. p. 113. c. 2. & p. 114. c. 1. & 2.

H.

Hierarchia deſcribitur. p. 127. c. 1. dantur certæ Hierarchiæ Angelorum. ibid. eæque ſunt tres. p. 127. c. 2.

Homicidæ licitè poſſunt occidi authoritate publica. p. 93. c. 1. & 2. & p. 94. c. 1. non verò authoritate privata. p. 94. c. 2.

I.

Jejunium licitum eſt, & meritorium. p. 58. c. 1. & 2. Objectionibus reſpondetur. p. 59. c. 1. ad quæ jejunia obligántur fideles. p. 59. c. 2. Objectis contra obligationem ad jejunia ſatisfit. p. 60. c. 1. & 2.

Imago quid ſit? p. 38. c. 1. ab Idolo quomodo differat ibid. Imagines Sanctorum effigiare licet. ibid. c. 2. Objectis reſpondetur. p. 39. c. 1. & 2. Imagines DEI, & SS. Trinitatis licet effigiare. p. 39. c. 2. & p. 40. c. 1. quomodo populus circa has effigies inſtruendus. p. 40. c. 1. Imagines Chriſti, & Sanctorum in Eccleſiis licitè collocari poſſunt. p. 40. c. 2. Objectis reſpondetur. p. 41. c. 1. Imaginibus SS. licitè adhibetur cultus Duliæ ſecundùm quid tam intra, quàm extra templa. p. 41. c. 2. & p. 42. c. 1. Imaginum cultus tribus modis rectè inſtitui poteſt p. 42. c. 2.

Incendiarij poſſunt licitè occidi authoritate publica. p. 93. c. 1. & 2. & p. 94. c. 1. non verò privata. p. 94. c. 2.

Indulgentia deſcribitur. p. 67. c. 1. Indulgentias concedendi poteſtas eſt in Eccleſia & uſus earum eſt licitus & utilis. p. 67. c. 1. & 2. & p. 68. c. 1. Reſpondetur Objectis Hæreticorum. p. 68. c. 2.

Infernus deſcribitur. p. 105. c. 1. extat Infernus locus realis. ibid. pœnæ damnatorum in Inferno non ſunt nudus terror, & anxietas conſcientiæ; ſed combuſtio in ſtagno ignis, & ſulphuris, item nivis frigoris, caloris, et tormenta aliarum cauſarum extrinſecarum. p. 105. c. 2. et p. 106. c. 1. pœnæ Infernales in perpetuum durabunt. p. 106. c. 2. Reſpondetur Objectis. p. 107. c. 1. Animæ in mortali decedentes ſtatim detruduntur ad Infernum. p. 107. c. 1. et 2.

Innocentiæ ſtatu permanente Proto-Parentes per copulam carnalem genus humanum propagâſſent. p. 116. c. 1. et 2. Objectiones ſolvuntur. ibid. c. 2. et p. 117. c. 1. Connubium tunc fuiſſet melius quàm continentia. p. 117. c. 2. Proto-Parentes in eo ſtatu fuiſſent immortales. p. 101. c. 1. et 2. Radix immortalitatis duplex affertur. ibid. c. 2.

Invocatio Sanctorum licita eſt, et proficua. p. 46. c. 2. et p. 47. c. 1. et 2.

Judicium Univerſale omnium prorſus hominum electorum, et reproborum fiet aliquando. p. 111. c. 1. Infideles non judicabuntur judicio diſcuſſionis. p. 111. c. 2.

Juramentum deſcribitur. p. 99. c. 1. Juramentum facere licitum eſt Chriſtianis. ibid. et c. 2. Juramenta quæ prohibeantur. p. 100. c. 1. nunquam licet perjurium, etiam ad occultandam doctrinam ſuam, vel quæcunque ſecreta. p. 100. c. 2.

L.

Lectoratus viguit à principio Eccleſiæ. p. 33. c. 1. et 2.

Liberum arbitrium deſcribitur. p. 79. c. 1. datur in homine lapſo ad vitanda peccata, et

facienda bona. ibid. & c. 2. & p. 80. c. 1. Objectiones ſolvuntur. p. 80. c. 2. homo juſtus poteſt cum gratia DEI implere omnia Præcepta Divina. p. 81. c. 1. Objectis reſpondetur. p. 82. c. 1. & 2.

Limbus Patrum deſcribitur. p. 104. c. 1. cur vocetur *Sinus Abrahæ*: item *Infernus* ſeu *Inferus* ibid. Limbus Patrum olim dabatur. p. 104. c. 1. & 2.

M.

Malefactores grandes poſſunt publica authoritate licitè occidi. p. 93. c. 1. & 2. & p. 94. c. 1. illo Decalogi *non occides* ſolùm prohibetur occiſio authoritate privata. p. 94. c. 2.

Mandata omnia Divina poteſt juſtus cum gratia ſervare. p. 81. c. 1. Objectiones ſolvuntur. p. 82. c. 1. & 2.

B. Maria Virgo non reſurget in Reſurrectione univerſali. p. 108. c. 2. Virginitatem ſuam DEO perpetuò vovit. p. 134. c. 1.

Matrimonium deſcribitur. p. 33. c. 1. & 2. Matrimonium eſt licitum. p. 34. c. 1. ac etiam ſecundæ Nuptiæ. ibid. c. 2. Matrimonium eſt verum Sacramentum. ibid. c. 2. & p. 35. c. 1. Objectis ſatisfit. ibid. Polygamia Chriſtianis jure Divino eſt prohibita. p. 35. c. 2. Objectioni reſpondetur. p. 36. c. 1. Matrimonium conſummatum ob nullam cauſam, etiam adulterij, diſſolvi poteſt. p. 36. c. 1. Objectis ſatisfit. ibid. c. 2. concubitus promiſcuus eſt illicitus. p. 37. c. 1. & 2.

Martyr non eſt, qui ſe ipſum interimit pro expiando peccato. p. 96. c. 2. nec qui ob quamcunque cauſam extra motivum fidei, & virtutis mortem patitur, vel eam ſibi infert. ibid. & p. 97. c. 1. Martyrium potiùs ſubeundum eſt, quàm Chriſtus negandus. p. 96. c. 1.

Miſſa deſcribitur. p. 22. c. 2. Miſſa Catholicorum eſt propriè dictum ſacrificium, ſtatim à principio Eccleſiæ in uſu poſitum. p. 22. c. 2. & p. 23. c. 1. & 2. & p. 24. c. 1. Hæreticorum objectis reſpondetur. p. 24. c. 1. & 2. Miſſæ Sacrificium eſt propitiatorium pro peccatis. p. 25. c. 1. reſpondetur objectis. ibid. c. 2. Miſſas privatas celebrare licitum eſt, & bonum, etiam extra Eccleſias. p. 26. c. 1. licitum eſt quotidie celebrare Miſſas privatas. p. 26. c. 2. etſi nullus fidelium communicet, aut nullus præter miniſtrum adſit. ibid. & p. 27. c. 1. & 2. Miſſæ ſacrificia proſunt defunctis, ut à pœnis Purgatorij ſolvantur. p. 69. c. 2.

N.

Nuptiæ ſunt licitæ. p. 34. c. 1. etiam ſecundæ. ibid.

O.

Occiſio grandium malefactorum licita eſt authoritate publica. p. 93. c. 1. & 2. & p. 94. c. 1. non verò authoritate privata. p. 94. c. 2.

Oleum Infirmorum ſingulis annis renovandum eſt. p. 32. c. 2.

Opera aliqua juſtorum non ſunt peccaminoſa, ſed bona. p. 61. c. 1. & 2. Hæreticis reſpondetur. p. 62. c. 1. & 2. aliqua opera bona ſunt juſtis neceſſaria ad ſalutem. p. 62. c. 2. & p. 63. c. 1. & 2. Objectis ſatisfit. p. 63. c. 1. & 2. juſti per bona opera ex gratia facta promerentur vitam æternam. p. 63. c. 2. & p. 64. c. 1. Objectiones ſolvuntur. p. 64. c. 2. & p. 65. c. 1. licita ſunt bona opera obligationis, & ſupererogationis intuitu mercedis æternæ directè elicita. p. 65. c. 1. Objectis ſatisfit. ibid. c. 2. opera bona ſunt ſatisfactoria qnoad remiſſionem pœnæ temporalis. p. 66. c. 1. ſunt etiam impetratoria apud Deum. ibid. opera bona non ſunt omnia æqualia. p. 66. c. 2.

Oratio publica in lingva peregrina reſpectu talis patriæ non eſt vetita. p. 61. c. 1. & 2. Orationes proſunt defunctis. p. 69. c. 1. & 2.

Oratoria conſtruere pium eſt. p. 57. c. 1.

Ordo deſcribitur. p. 32. eſt verum Sacramentum. ibid. c. 2. quo ſenſu quivis Chriſtianus ſit Sacerdos. ibid. c. 2. qui Ordines viguerint à principio Eccleſiæ. p. 33. c. 1. & 2. *Ordines* Angelorum dantur. p. 127. c. 1. ſuntque novem ibid. c. 2.

Originale peccatum quod. p. 82. c. 1. quivis homo (B. V. exceptâ) ex Adam propagatus illud contrahit. ibid. & p. 83. c. 1. & 2. Objectiones ſolvuntur. p. 84. c. 1. & 2. decedens cum peccato originali incurrit pœnam damni. p. 84. c. 2. & p. 85. c. 1.

Oſtiariatus viguit a principio Eccleſiæ. p. 33. c. 1. & 2.

P.

Peccatum originale quod. p. 82. c. 1. quivis homo (excepta B.V.) ex Adam propagatus illud contrahit. ibid. & p. 83. c. 1. & 2. Objectiones ſolvuntur. p. 84. c. 1. & 2. decedens cum peccato originali incurrit pœnam damni. p. 84. c. 2. & p. 85. c. 1. non ſolus incredulitatis actus. ſed alij ſunt peccata perſonalia mortifera. p. 85. c. 2. non omnia peccata ſunt æqualia. p. 86. c. 1. non omnia peccata ſunt mortifera, ſed quædam tantùm venialia. ibid. c. 2. Objectis reſpondetur. p. 87. c. 1. fideles committentes peccata reddere debent de illis rationem DEO. p. 87. c. 1. peccata reprehenduntur non tantùm à Lege veteri, ſed etiam ab Evangelica. ibid. c. 2. peccata fidelibus imputantur. ibid. fideles graviter peccantes

peccantes excidunt è gratia DEI, & ſi finaliter in eis perſeverent, à Regno DEI. p. 87. c. 2. motus concupiſcentiæ prævenientes advertentiam rationis, & conſenſum voluntatis non ſunt peccata. p. 88. c. 1. & 2.

Peregrinationes devotionis causâ inſtitutæ ſunt laudabiles. p. 60. c. 1. & 2.

Perjurium nunquam licet etiam ad occultandam ſuam doctrinam, aut quæcunque Secreta. p. 100. c. 2.

Pœnitentia Sacramentum deſcribitur. p. 27. c. 1. varia ejus nomina referuntur. ibid. dari verum Sacramentum Pœnitentiæ probatur ibid. & c. 2. & p. 28. c. 1. Objectis ſatisfit. p. 28. c. 2. Confeſſio Sacramentalis deſcribitur. ibid. Confeſſio ſpecifica homini facta requiritur ad Pœnitentiæ Sacramentum. p. 28. c. 2. & p. 29. c. 1. Hæreticorum argumenta ſolvuntur. p. 29. c. 2. Viator poteſt redimere pœnas temporales, & pro eis ſatisfacere. p. 30. c. 1. & 2. Objectiones ſolvuntur. ibid. c. 2. & p. 31. c. 1.

Polygamia eſt Jure Divino inhibita Chriſtianis. p. 35. c. 1. Objectio diſſolvitur. p. 36. c. 1.

Pontifex Romanus non eſt Antichriſtus. p. 72. c. 2. Objectiones ſolvuntur. p. 73. c. 2. & p. 74. c. 1. & 2. Pontifex Romanus non facit Laureti ad Statuam B. V. miracula. p. 74. c. 1.

Poteſtas Politica quæ. p. 94. c. 1. etiam inter Chriſtianos licitè conſtituitur. ibid. & c. 2. Objectis Hæreticorum reſpondetur. p. 95. c. 1. Poteſtas Politica & juriſdictio non amittitur per peccatum mortale. ibid. c. 1. & 2. Saul etiam in peccatis fuit verus Rex. p. 95. c. 2. Nabuchodonoſori pagano DEUS dedit varia Regna. ibid.

Prædeſtinatio quid nominis. p. 74. c. 1. & quid rei. ibid. Prædeſtinatio aliquorum ad gloriam æternam datur in DEO. ibid. & c. 2. Prædeſtinatio eſt ita infallibilis, ut prædeſtinatus nequeat excidere à gloria. p. 75. c. 1. Objectis ſatisfit. p. 75. c. 2. quomodo intelligendum illud: *Si non es prædeſtinatus fac ut prædeſtineris*, ibid. Prædeſtinatio non eſt facta ob merita præcedentia Ordinis ſupernaturalis ab animabus ſeparatis elicita. p. 76. c. 1. Prædeſtinatio non eſt facta ob bonum uſum liberi arbitrij, aut alia opera naturaliter elicita. p. 76. c. 2. & p. 77. c. 1.

Presbyteratus viguit à principio Eccleſiæ. p. 3. c. 1.

Prophetæ utriuſque Teſtamenti non fuerunt arreptitii, ſed habuerunt intelligentiam ſuarum Prophetiarum. p. 131. c. 1. S. Prophetæ à DEO inſpirati, ſunt vaticinati, & nulla falſa, aut contraria pronunciârunt. p. 131. c. 2.

Proto-Parentes ſunt ſalvati finaliter. p. 115. c. 2. propagâſſent in ſtatu Innocentiæ genus humanum per copulam carnalem. p. 116. c. 1. & 2. Objectiones ſolvuntur. ibid. & c. 2. & p. 117. c. 1. Proto-Parentes in ſtatu Innocentiæ fuiſſent immortales. p. 117. c. 1. & 2. radix immortalitatis duplex. ibid. c. 2.

Purgatorium deſcribitur. p. 101. c. 1. extat reale Purgatorium. ibid. & c. 2. & p. 102. c. 1. & 2. Objectionibus Hæreticorum reſpondetur. p. 102. c. 2. animæ in Purgatorio exiſtentes ſunt extra ſtatum merendi, & demerendi. p. 103. c. 1. ſunt ſecuræ & certæ de ſua ſalute. p. 103. c. 2. & p. 104. c. 1.

Q.

Quadrageſimam inſtituendi jus habet Eccleſia. p. 59. c. 2. Quadrageſimæ jejunium ab Apoſtolorum temporibus fuit inſtitutum. ibid. Quadrageſimam non inſtituit Teleſphorus Papa. p. 60. c. 2.

R.

Reliquiæ SS. quæ. p. 43. c. 1. licitè poſſunt coli plùs quàm cultu civili. ibid. & c. 2. & p. 44. c. 1. Objectis Hæreticorum ſatisfit. p. 44. c. 1. & 2. Reliquiis nequit impendi cultus Latriæ. p. 44. c. 2. non eſt credendum Reliquijs Sanctorum ineſſe virtutem Divinam, vel vim ſupernaturalem per ſe patrativam miraculorum. ibid. Reliquiæ SS. non ſunt invocandæ, ſicut ipſi ſancti. ibid. Reliquiæ SS. ſunt colendæ propter ipſorum SS. Excellentiam. p. 45. c. 1. cultus debitus SS. Reliquijs poteſt dici cultus Duliæ ſecundùm quid. ibid. c. 2.

Reprobatio poſitiva quæ. p. 77. c. 2. & quæ negativa. ibid. Reprobatio poſitiva ſubſequens prævilionem peccatorum finalium datur in DEO. p. 77. c. 1. & 2. et p. 78. c. 1. non præjudicat miſericordiæ DEI. p. 78. c. 1. reprobatio poſitiva antecedens prævilionem peccatorum finalium non datur. p. 78. c. 1. & 2. Objectiones ſolvuntur. p. 79. c. 1. & 2.

Reſtituere res furtô vel rapinâ ablatas eſt obligatio. p. 133. c. 1. et 2.

Reſurrectio generalis omnium fiet. p. 108. c. 1. exceptis iis, qui jam cum corpore ſunt translati in Cœlum. ibid. & c. 2. reſpondetur objectis. p. 109. c. 1. omnes homines reſurgent in primæva carne palpabili, tractabili, & viſibili. p. 109. c. 1. & 2. ſolvuntur objectiones. p. 109. c. 2. in Reſurrectione manebit differentia ſexuum. p. 110. c. 1. Scotus non docuit oppoſitum. ibid. c. 2. poſt Reſurrectionem corpora Sanctorum non erunt mortalia, paſſibilia, aut corruptibilia. p. 110. c. 2.

S.

Sacrificium deſcribitur. p. 22. c. 2. Sacrificium *cruentum* quid. ibid. & quid *incruentum* ibid. Sacrificium Miſſæ deſcribitur. ibid. Miſſæ

Catholicorum eſt verum Sacrificium ab initio Eccleſiæ uſitatum. ibid. et p. 23. c. 1. & 2. et p. 24. c. 1. Objectis reſpondetur. p. 24. c. 1. & 2. Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium. p. 25. c. 1. Objectis ſatisſit. ibid. c. 2.

Sacrilegi poſſunt licitè occidi authoritate publica. p. 93. c. 1. et 2. et p. 94. c. 1. non verò privata. p. 94. c. 2.

Sancti licitè coli poſſunt cultu Duliæ. p. 45. c. 1. et 2. Objectiones ſolvuntur. p. 46 c. 1. Sanctorum invocatio licita eſt, et proficua. p. 46. c. 2. & p. 47. c. 1. Objectis reſpondetur. p. 47. c. 2. & 48. c. 1. et 2. *Sanctorum Canonizatio* vide *Canonizatio*, Sanctorum *Beatitudo*. vide *Beatitudo*. Sancti beatificati intelligunt orationes noſtras, & res ſublunares. p. 54. c. 1. orant pro nobis in Cœlis, ibid. c. 2. fideles per merita Sanctorum piè DEUM orant, p. 55. c. i. & piè imitantur exempla Sanctorum. ibid. Sancti in gloria non ſunt æquales. p. 55. c. 2.

Satisfacere poteſt Viator pro pœnis temporalibus. p. 30. c. 1. et 2. Objectiones ſolvuntur. ibid. c. 2. & p. 31. c. 1.

Sepultura uſus in locis etiam Sacris eſt pius. p. 112. c. 1. ritus à Catholicis ad ſepulturas adhiberi ſoliti ſunt liciti. ibid. c. 2. et p. 113. c. 1. Objectionibus reſpondetur. p. 113 c. 2. et p. 114. c. 1. & 2.

Simonia deſcribitur. p. 91. c. 1. eſt ſub gravi culpa prohibita. ibid.

Subdiaconatus viguit à principio Eccleſiæ. p. 33. c. 1. et 2.

Suffragium quid ſit. p. 69. c. 1. ſuffragia licita ſunt, & proſunt defunctis, ut à Purgatorij pœnis ſolvantur. ibid. et c. 2. objectis reſpondetur. p. 70. c. 1. et 2.

T.

Templa erigere pium eſt. p. 57. c. 1. Templa non ſunt inſtituta ad actiones profanas. ibid. Templorum ornatus eſt licitus ibid. c. 2. Templorum Dedicationes meritò celebrantur. ibid.

Tranſubſtantiatio quid ſit. p. 14. c. 1. in Euchariſtia fit vera tranſubſtantiatio. p. 14. c. 2. Objectis ſatisfit. p. 15. c. 1. et 2.

Tyrannus titulo quis. p. 92. c. 1. & *adminiſtratione* quis. ibid. Tyrannus *adminiſtratione* nequit ſinè ſententia interfici per privatum Vaſallum, etiam per clanculares inſidias. ibid. et c. 2. et p. 93. c. 1. facta à Republica præconizatione Tyranni, talis poteſt à privato occidi. p. 93. c. 2. Tyrannus *titulo* poteſt à quovis etiam privato occidi. ibidem.

V.

Virginitas & perfectione & meritò præfertur Matrimonio, eſtque licita & meritoria. p. 132. c. 1. & 2. reſpondetur objectis. ibid. c. 2. & p. 133. c. 1. & 2.

Unctio extrema deſcribitur. p. 31. c. 1. eſt verum Sacramentum. ibid. & c. 2. S. Jacobus illud non inſtituit, ſed promulgavit ejus ritum. p. 31. c. 2. nec Innocentius I. Papa illud inſtituit. ibid. Oleum Infirmorum ſingulis annis renovandum. p. 32. c. 2.

Votum deſcribitur. p. 133. c. 1. votum de rebus puri Conſilij eſt opus Sanctum, & placens DEO. ibid. & p. 134. c. 1. vota adimplendi gravis eſt obligatio. p. 134. c. 1. & 2.

Uſura quid. p. 91. c. 1. omne genus Uſuræ prohibetur Lege Divina. ibid. DEUS Judæis uſuras rectè permiſit & cur? p. 92. c. 1. Jus Civile permittens uſuras eſt correctum à Jure Canonico. ibid. titulus *laboris* in numerando, *temporis*, & obligationis non legimat uſuras. p. 92. c. 1.

FINIS.